EXEMPLAR
VITÆ SPIRITUALIS ET PERFECTIONIS,
SEU
EXERCITIA
HUIUS VITÆ
PRACTICA
Pro Tironibus CARMELITIS DISCALCEATIS.
Et aliis piè & spiritualiter volentibus vivere in CHRISTO
CONSCRIPTA.
In duas partes distincta.
Ex quibus
PARS PRIMA
Tractat de triplici EXERCITIO, Vitæ Spiritualis *V. De Oratine, de Mortificatione, & de Virtutibus.*
PARS SECUNDA
Actus internos variarum virtutum complectitur.

olim

Per P. F. SEBASTIANUM
ab Omnibus Sanctis
CARMELITAM DISCALCEATUM.

nunc verò
Sumptibus Provinciæ Lithvanæ
REIMPRESSA.

VILNÆ
Typis S. R. M. Academicis Soc: JESU An: 1741.

Num putas te virum esse Spiritualem, quia statutis horis in Choro oscitanter psallis, aut per aliquam horulam quotidie Divina mysteria, tepida mente consideras? Cum tamen levia peccata non timeas? tuos immoderatos affectus non ordines? virtutes & animi puritatem non quæras? & aut in vanis studiis, aut in supervacuis colloquiis, tempus & vitam impendas? Toto Cœlo erras, si hoc putas. *Lucherius in 1. Reg: 10.*

BEATISSIMO
JOSEPH,
Sanctissimæ DEI Genitricis Virginis
MARIÆ
SPONSO,
Ac
Specialissimo Ordinis CARMELITARUM
PATRONO.

QVod *rudî Minervâ concinnatum est pro Tironibus* Carmelitis, *hoc Tibi, ô Specialissime post Beatissimam Virginem MARIAM Sponsam Tuam, Religionis nostræ Patrone, S. IOSEPH, præ-*

ſentatur ac offertur, ita, ut & ipſi ſimul Tibi præſententur & offerantur. Nam ſi ex ſpeciali DEI providentia & ordinatione, nos omnes Carmelitæ *Tui ſumus; id etiam in votis habemus, ut & Tirones Ordinis ſint Tui, ut eorum curam in educatione ſpirituali ſuſcipias, quatenus verè Spirituales ſervi DEI, Deoq; placentes efficiantur. Cui enim eos commendare potiùs debemus, quàm Tibi, cujus tutelæ & educationi etiam Filius DEI à Patre Æterno Cœleſti commiſſus fuit. Et ſi ipſe Unigenitus DEI Filius factus Homo, Te in ſuum Patrem Putativum, & ſuæ carnis humanæ Nutritium in terris elegit; quis igitur mortalium viventium in terris, Te Nutritorem ſuum habere non exoptabit? Ecce nutrimenta ſpiritualia pro juven-*

veritate Carmelitana *parata sunt, Tu, ut illi prosint ad vitam spiritualem, ipsius Nutritium Te Fidelem exhibeas: immò de Tui cordis penu alia salubriora alimenta pro nobis omnibus depromas, ut nos omnes meliùs per Te enutriti citò spirituales reddamur. Fatemur nondum nos multos incepisse spiritu vivere, & quibus solidus cibus competebat, adhuc lacte opus est. Quapropter supplices Tibi vota nostra & preces offerimus, ut vnicuiq; nostrûm cibum eiusmodi provideas, qualis ipsi secundum ætatem spiritualem convenit: ut iuvenculos in spiritu, & incipientes, lacte lacrymarum & pœnitentiæ; iam verò adultos & Proficientes, solidiori cibo virtutum; grandævos autem & Perfectos delicatioribus eduliis amoris DEI enu-*

trias: & ut omnes ad perfectionis culmen pertingant, Tu, ô fidelissime Patrone, Tuis precibus apud DEUM obtineas, atq; Te verum & faventem nobis Tutelarem nostrum, & in vita: & in morte ostendas.

APPROBATIO.

Illustrissimi Excellentissimi ac Reverendissimi Domini, Domini Loci Ordinarii.

Ad Reimprimendum Librum cui titulus *Exemplar Vitæ Spiritualis & Perfectionis* ab A.R.P MARTIALI à Protectione S. JOSEPH Provinciali per Majorem Poloniam & M. D. Litthv: Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Authoritate nostra Ordinaria facultatem damus & impertimur. In quorum fidem Datt: Vilnæ in Palatio nostro Episcopali A. D. 1741. Die 26. Junii.

MICHAEL JOANNES
ZIENKOWICZ
Episcopus Vilnensis
mpp.

FACULTAS ORDINIS

Fr: Ambrosius ab Assumptione Vicarius Generalis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. ELIÆ Ordinis Beatissimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo.

Tenore præsentium facultatem Cõcedimus ut possit reimprimi liber, cui titulus est: *Exemplar Vitæ Spiritualis & Perfectionis*. à R. P. F. Sebastiano ab Omnibus Sanctis Carmelita Discalceato compositus. In quorũ fidẽ præsentes dedimus,, manu propria subscriptas, & sigillô officii nostri munitas. Datt: Romæ in Conventu SS. Theresiæ & Joannis à Cruce Die 12. Augusti 1741.

Fr: Ambrosius ab Assumptione Vicarius Generalis

Locus ✠ Sigilli

F. Bernardus à SS. Trinitate Secretar.

INDEX CAPITUM

Hujus primæ partis & eorum quæ in eis tractantur.

PRIMUM EXECITIUM

Vitæ Spiritualis est Oratio.

pro

CAPUT XXVII.

CAPUT XXVIII.

CAPUT XXIX

EXERCITIUM II.

Vitæ Spiritualis est Mortificatio.

CAPUT I.

CAPUT II.

in

EXER-

EXERCITIUM III.

Vitæ Spiritualis est Virtus.

PRÆ-

PRÆFATIO

In qua ad cognoſcendam vitam Spiritualem & perfectionem ſcitu digna proponuntur.

QUi vitam ſpiritualem ducere volunt opus eſt, ut ſciant, in quo *hæc vita conſiſtit*: Conſiſtit namq; *habitualiter, ſeu radicaliter, & in Actu primo*, in gratia DEI Sanctificante, quæ eſt donum DEI præſtantiſſimum animæ noſtræ inditum, illam faciens DEO gratam, ac vivificans ad vitam æternam; per quam homo fit Filius DEI, & hæres Regni cœleſtis; ſinè qua anima noſtra licet naturaliter vivat, tamen coram DEO mortua eſt, & inimica DEI, ac jure cœleſtis regni privata. Incipit autem vivere, dum ei Gratia à DEO infunditur: quod fit per Sacramentũ Baptiſmi, aut Pœnitentiæ, vel per amorem DEI, vel per Contritionẽ. Hæc gratia per quodlibet peccatũ mortale amittitur: conſervatur autem per fugam peccatorum, & per ſpeciale Perſeverantiæ DEI donum, quod homo obtinere poteſt à DEO per orationem, & mortificationem; augetur verò per exercitium virtutum, maximè charitatis; item per rectum uſum Sacramentorum, præcipuè Sanctiſſimæ Euchariſtiæ.

Hæc vita spiritualis in actu secundo consistit in continuo orationis, & mortificationis, vitiorum extirpationis, ac virtutum, bonorumq; operũ exercitio, ad amorem DEI proximiq; directo. *Cujus vitæ spiritualis finis ultimus, est vita æterna*, quæ consistit in clara visione DEI; quam desiderare debemus principaliter propter amorem DEI, ejusq; beneplacitum; ut non tam nobis bene sit in Cœlo, quàm ut Dominus DEUS habeat suam gloriam, suasq; delicias ex nobis, quos ad imaginem suam creavit, redemit, & variis donis exornavit: possumus tamen expetere vitam æternam secundariò, propter bonum & commodum nostrum; videlicet, ut fruamur DEO in æternum.

Finis autem non ultimus, & intrinsecus vitæ spiritualis est, perfectio Christiana, quæ consistit in charitate DEI, & proximi, per quam unimur DEO, tanquam fini ultimo.

Et quoniam status Religionis est, quædam disciplina, vel exercitium tendendi ad perfectionem, ut docet Sanctus Thomas; ideo omnes Religiosi tenentur semper tendere ad habendam perfectionem charitatis, quæ est finis status Religiosi.

Hæc perfectio Charitatis consistit essentialiter, & primariò in observatione mandatorum dilectionis DEI, & proximi: secundariò verò in aliis præceptis: quorum observantia charitatem conservat; quæ ordinantur ad removenda ea, quæ sunt charitati contraria, cum quibus charitas esse non potest; ut sunt peccata mortalia. *Instrumentaliter*

autem

autem consistit in consiliis; quæ ordinantur ad removenda impedimenta actuum Charitatis, quæ tamen Charitati non contrariantur.

Porro *Charitas est* duplex: *Alia de præcepto*, quam præcipit DEUS, quæ excludit omne illud, quod est contrarium Charitati, scilicet, peccatum mortale: & iste gradus charitatis est infimus, quæ consistit in observantia mandatorum DEI; & est omnino necessaria omnibus ad salutem. *Alia Charitas est de consilio*, quæ non solùm excludit illud, quod est contrarium charitati, scilicet peccatum; sed etiam omne illud, quod impedit, nè affectus mentis totaliter dirigatur in DEUM. Impedit autem nos, tum affectus ad temp ralia, & occupatio circa eadem, à quibus per consilia, videlicet, per obedientiam, Castitatem, & Paupertatē avertimur: tum inordinatæ passiones, quarum vehementiam sedant virtutes. *Et in hac duplici Charitate perfectio religiosa consistit*, quæ requirit à nobis observantiam mandatorum DEI, & consiliorum, mortificationem passionum, & acquisitionē omniū virtutum, ad quod multùm conducit Oratio.

Sunt autem *tres gradus Charitatis*. *Primus est:* initium Charitatis; dū homo conversus ad DEUM, & ab eo per gratiam infusam justificatus, incipit amare DEUM; & ex amore DEI dolet de peccatis, fugit, & odio habet illa, extirpat vitia, mortificat sensus, & passiones, ex quibus immortificatis nascuntur vitia. *Secundus est:* Augmentum charitatis; dum homo crescit in Charitate; & ex illa

fugit minimas offenſas DEI; proficit in mortificandis paſſionibus:in abnegatione, & contemptu ſui; & in acquirendis virtutibus. *Tertius eſt:* Conſervatio charitatis, dum homo firmiter unitur DEO per charitatem.

Secundùm quos gradus charitatis dantur *tres ſtatus hominum ad perfectionem aſpirantium. Primus eſt Incipientium*; in quo homines dant operam, ut peccata gravia evitent, & paſſionibus vehementibus, & vitiis adverſus charitatem militantibus reſiſtant. Itaq; tam diu in hoc ſtatu incipientes verſantur, donec moderatas paſſiones, & inclinationem, pravosq; habitus ita repreſſos habeant, ut facilè à peccatis mortalibus ſint liberi.

Secundus ſtatus eſt Proficientium, qui hoc potiſſimùm intendunt, ut in charitate, & in aliis virtutibus progreſſum faciant, cùm à vitiis, & concupiſcentiis, ſeu paſſionibus non adeò oppugnentur. In quo ſtatu tam diu conſiſtit homo, donec paſſiones ita ſint ei ſubjectæ, ut facilè, ſi ſe moveant, reprimantur, & peccata non tantùm gravia, ſed etiam venialia citò effugiat. Quod cum ſinè virtutũ exercitio fieri nequeat; ideò proficientium potiſſima cura eſt,ut eas continuìs exercitiìs acquirant.

Tertius eſt Perfectorum, qui hoc præcipuè curant, ut DEO ſe uniant, eoq; fruantur. In quo ſtatu homo per vitiorum expugnationẽ, paſſionum, & concupiſcentiarum compreſſionem, ac virtutum comparationem, à rebus temporalibus abſtractus, ſublimem quendam gradum pacis, & amoris DEI

adi-

adipiſcitur, per quē intimè unitur DEO, ipſiq; immergitur, quo flagrans amore, ſe ſe totum pro gloria DEI procuranda, quidvis agendo, & patiendo, ſecundùm oblatas occaſiones expendit, & nihil deſiderat, niſi pati pro DEO, & contemni.

Secundùm hunc triplicem ſtatum *datur triplex via perfectionis, Purgativa, Illuminativa, & unitiva.*

Via purgativa, Incipientium eſt, quorum præcipuum ſtudium eſt, animam ſuam à peccatorum ſuorum maculis purgare, & emundare: quod fit per veram contritionem, per actus externos pœnitentiæ: videlicet per abſtinentiā, jejunia, vigilias, cilicia, diſciplinas; præterea per mortificationē paſſionū, & vitiorū eradicationem; ad quod eſt neceſſarium, circa quatuor noviſſima, & damna, quæ nobis afferunt peccata, orationis exercitium. Itaq; hæc ſunt propria viæ purgativæ exercitia; cujus fundamentum debet eſſe Timor DEI, qui naſcitur in nobis ex conſideratione mortis, judiciorumque DEI, atq; pœnarum inferni.

Via illuminativa, eſt Proficientium, quorum omne ſtudium in veris virtutibus, ſeu animæ luminibus (quæ lumina ſunt virtutes cum majori cognitione DEI conjunctæ) cōquirendis conſiſtit; quibus conveniunt exercitia ad illuminandum idonea; uti ſunt meditationes de vita, & Paſſione Chriſti Domini Redemptoris noſtri, ut hinc per imitationē ejus ad virtutes comparandas moveamur.

Unitiva via, Perfectorū eſt, qui Domino va-

care, & arctissimè se illi conjungere semper conantur; quorum exercitia propria sunt. Contemplatio Divinæ Majestatis, & perfectionum ejus, atq; ipsius Amor, nec non usus orationum jaculatoriarum, quæ omnia animam DEO uniunt.

Et quoniam *omnium Religiosorum finis est, Perfectio*: ideò ad hunc finem alii tendunt per vitam Contemplativam; alii per vitam activam; alii per compositā ex his, seu mixtam: quemadmodum & *nostra Sacra Religio tendit ad Perfectionem per vitam Contemplativam, & Activam simul*, ita tamen, ut potissima sit ejus pars Contemplativa vita.

Satisfacimus autem Contemplativæ vitæ per diligens orationis exercitium, & Præsentiæ DEI; per Actus anagogicos, & frequentes aspirationes, per lectionem librorum spiritualium, crebras tunc elevationes cordis ad DEUM faciendo; per cultum silentii, & solitudinem, de qua Regula nostra præcipit: *Maneant singuli in cellulis suis, vel juxta eas die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes.*

Jam verò *vitæ Activæ satisfacimus* per mortificationem sensuum, & passionum; per actus tam internos, quàm externos virtutum; & per actiones ab obedientia injunctas, pro salute, & commodo proximi peragendas; videlicet, ut causâ proximi studeamus, prædicemus, confessiones excipiamus, & manibus laboremus.

EXER-

EXERCITIUM PRIMUM Vitæ Spiritualis est, ORATIO.

CAPIIT I.

De divisione Orationis in Vocalem, & Mentalem.

UT satis fiat intentioni Religionis nostræ, quæ potissimam partem instituti sui vult esse Contemplationem: præterea viæ Purgativæ, seu Incipientium, quæ in purgatione animæ consistit, tam quò ad partem cognoscitivam, quàm quò ad partem affectivam: ad purgandam autem partem cognoscitivam, est optimum medium Oratio, per quam à memoria excluduntur vanæ apprehensiones, & nocivæ, ac inutiles notitiæ, pias meditationes, & sanctos discursus formando in orationis exercitio: ideo hic dicitur, quod primum exercitium vitæ Spiritualis est, Oratio. *Est autẽ oratio duplex: Mentalis, & Vocalis, Mẽtalis* Oratio est, quæ interno actu mentis perficitur: seu quæ solâ mẽte peragitur. *Vocalis est*, quæ externâ voce exprimitur; utraquè essentialiter consistit in Petitione.

Et licèt utraquè oratio sit necessaria viro spirituali, magis nihilominùs Mentalis, sinè qua parum prodest Vocalis. Dum enim oramus lingvâ, debemus & Spiritu, & mente orare secundũ Apostolũ. Ideò consultissimum est unicuiquè proficere in spiritu volenti, ut vocalibûs orationibûs non se occupet, nisi quantùm indiget ad excitandum aliquando mentis torporem; aut quantùm ex debito sui status, & pro-

professionis tenetur. Itaquè utriusq; orationis tam Mentalis, quàm vocalis rectè faciendæ modus Tironibus vitæ spiritualis est proponendus.

Dividitur autem Vocalis oratio, in publicam, & Privatam. Publica est, quam Ecclesia per Ministros suos, vel quam Ministri nomine Ecclesiæ faciunt, licèt non publicè, sed occultè fiat. *Privata est*, quam quælibet persona nomine suo, pro se, vel pro aliis profert, quamvis in publico faciat. *Oratio publica* ab ipsa Ecclesia est præscripta, ut sciremus, quomodo DEUM laudare, & quid ab ipso petere deberemus. *Unde nihil aliud est hæc Oratio, quàm certa ratio publicè laudandi, & orandi DEUM, Ecclesiæ auctoritate statuta.* Et *Vocatur Officium Divinum*; quia in DEI honorem est institutum. *Vocatur etiã Horæ canonicæ*; quia secundùm Ecclesiæ sanctiones, seu Canones certîs, & designatîs horîs recitandæ sunt: ex quibus; *aliæ dicuntur Nocturnæ:* ut Matutinũ, & Laudes. *Aliæ diurnæ:* ut Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium.

Sunt autem Septem, propter multas rationes, præcipuè verò ob septem mysteria Passionis Domini nostri, juxta hos versus.

Hæc sunt, septenis, propter quæ, psallimus horis, Matutina ligat Christum, qui crimina purgat: Prima replet sputis: causam dat Tertia mortis: Sexta cruci nectit; latus ejus Nona bipertit: Vespera deponit: tumulo Cõpleta reponit. Quas horas Canonicas, omnino curent omnes, qui

ad

ad Chorum tenentur, cũ aliis recitare, propter majus meritum, & fructum; tum ex intentione Ecclesiæ, in cujus persona, & nomine fiunt: tum ex loci sacri, in quo fiunt, devotione: tum etiam, ex eorum, qui simul psallunt, mutua communicatione, per quam fit, ut unius distractio, vel negligentia non voluntaria, nec affectata, suppleatur, & excusetur aliorum attentione, & devotione.

CAPUT II.

De Officio Divino piè, & fructuosè persolvendo

TRia sunt servanda circa Officium Divinum. Alia ante Officium Divinum. Alia in ipso Officio. Alia post Officium Divinum.

Ante Officium Divinum facienda est Præparatio, Intentio, & Oblatio.

Præparatio consistit in consideratione infinitæ Majestatis Divinæ, & nostræ vilitatis, & indignitatis.

In intentione exprimitur finis nostræ orationis; videlicet, gloria, & beneplacitum DEI.

Oblatio est quædam præsentatio laudis nostræ DEO pro certis rebus: ut in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis: in satisfactionem pro peccatis: pro impetrandis donis necessariis ad vitam æternam consequendam; & pro variis necessitatibus, tam publicis, quàm privatis. Poterunt quoque istæ laudes Officii Divini in honorem alicujus mysterii Passionis Domini nostri offerri.

Exem-

Exemplum Præparationis, Intentionis, & Oblationis pro Officio Divino.

O Superamantissime DEUS meus, Quis, & Quantus es Tu, quem nunc alloqui, & laudare intendo! Credo, quia tu es Dominus infinitæ magnitudinis altissimus. Confiteor, quia tu es Rex immensæ Majestatis potentissimus, mihiquè præsentissimus: & ideò adoratione, & affectu omniū Angelorum, & Sanctorū & electorum, te adoro, & me coram tua Divina Majestate humilio, & prosterno, Agnosco quoquè, & fateor, quòd ego sum creatura vilissima, pulvis, & cinis, & peccator maximus, indignus, ut loquar ad te Dominum meū, ob peccata mea gravissima, de quibus ex puro amore tui doleo, ac emendationem propono, & à te veniam spero. Cupio tamen, & volo te nunc laudare, benedicere, & deprecari; quia tu vis; ut voluntatem tuam faciendo, gratissimum tibi obsequium exhibeam, tibiquè quàm maximè placeam: ad quas laudes, omnes creaturas convoco, uniendo mihi laudes, orationes, & merita Domini nostri JESU Christi, & Beatissimæ Virginis MARIÆ, omniumque Angelorum, & Sanctorum, ut te cum iis laudem. Immò te laudare exopto, ipsomet ore sacratissimo, & corde dulcissimo dilecti Filii tui, ejusq; Virginis Matris, eorumq; cunctorum, quorum laudes tibi placuerunt unquam, & placebunt in æternum.

Quas laudes, atq; hoc servitutis meæ obsequiū, Omnium Beatorum, & electorum triumphantium & militantium, omniumq; creaturarum possibilium

omni

omni poſſibili affectu offero, ad maximam gloriam, amorem, & beneplacitum tuū: in proteſtationē, & recognitionē excellentiæ tuæ, & ſupremi Dominii, & omnimodæ ſubjectionis noſtræ, & dependentiæ à te: in gratiarum actione pro omnibus beneficiis nobis, & aliis, præcipuè electis, collatis, & conferendis in æternum, in ſatisfactionem omnium peccatorū noſtrorum; & pro omnibus donis impetrādis, quibus egemus ad vitam æternam conſequendam; maximè pro impetrāda mortificatione paſſionis N. Pro exſtirpando vitio N. & acquirenda virtute N. pro obtinenda vera de peccatis contritione, peccatorum remiſſione, & ab omni peccato præſervatione, atq; charitatis perfectione, dono quoq; finalis perſeverantiæ, & bona morte: pro infidelium Hæreticorum, Schiſmaticorū converſione, & peccatorum juſtificatione, benefactoribus noſtris æterna retributione: pro omnibus ſtatibus Eccleſiæ, præſertim noſtræ Religionis in ſua obſervantia conſervatione, ejuſquè augmento, & omnium Religioſorum noſtrorum perfectione, & Sanctitate: deniq; pro impetranda fidelibus defunctis æterna requie.

Suſcipe Domine DEUS meus, & perfice hoc obſequium meum, juxta beneplacitū tuum, ad tuam æternam gloriam, & honorem, animarumq; noſtrarum ſalutem.

O MARIA Virgo puriſſima, Mater DEI Sanctiſſima, & glorioſiſſima: o Sancti Patroni mei, & hujus diei, omneſq; Beati, iſtas laudes offero in honorem, & augmentum gloriæ, gaudiorumq; veſtrorum,

rum, & obſecro vos, orate pro nobis, & magnificate Dominum nobiſcum, noſtrasq; Orationes, veſtris adjungentes, ſupplete, perficite, offerte, & impetrate nobis omnem gratiam, & miſericordiam, ſicut expedit ad DEI honorem, noſtramq; ſalutem: atq; in hora mortis nobis aſſiſtite, & miſericorditer ſuccurrite.

Quod ſi alicui non vacabit hæc omnia recenſere; poterit ſubſiſtere in illis verbis: offero ad maximam gloriam, amorem & beneplacitum tuum.

Vel ſi tempus adhuc cuipiam defuerit, utatur formâ Directionis ex Diſciplina clauſtrali, vel illâ, *quæ eſt in principio Breviarii.* Aperi Domine os meum ad benedicendum Nomen Sanctum tuum.

Quod ſi quis vellet plus adhuc meriti lucrari: poſſet hâc formâ oblationis uti: Superdilectiſſime Pater Cœleſtis, æterne DEUS, in unione meritorū, orationum cogitationum, verborum, & actionum Domini noſtri JESU Chriſti Filii tui, & Virginis Sanctiſſimæ, omniumq; Sanctorum, iſtas laudes, & actum, & in his laudibus, & actu, omnes cogitationes meas, verba, ſyllabas, & literas, omnes cordis mei & animi, & corporis motus, omnes reſpirationes meas, omnia momenta temporis, omni poſſibili affectu, ad maximam gloriam, amorem tuūq; beneplacitum offero, & volo, ut hæc ſingula ſint, quàm perfectiſſimi actus Fidei, Spei, Charitatis, Laudis, Gratiarum actionis, Contritionis Humilitatis, Obedientiæ, Reſignationis, & omnium alia-

rum

rum virtutum. *Habetur etiam Oblatio Horarum Canonicarum egregia Par: 2. pag: 418.*

Aliud exemplum brevius Præparationis pro Officio Divino.

O MARIA Sanctissima Virgo, & Mater DEI, & nostra! O Angeli, & hujus diei Sancti, Patroni mei speciales, & omnes Beati, magnificate nunc Dominum mecum, eundemq; nobiscum exorate.

Et tu benignissime JESU, nos omnes te laudare, & orare gestientes, sanctifica, excita, conforta, reple, illumina, & adjuva, ut propter te, per te, & tecum has orationes, & laudes, cæteraq; exercitia nostra per svavissimum Cor, & Spiritum tuum, ex affectu, & devotione, tuæ Virginis Matris, omniumq; Beatorum Angelorum, & Sanctorum, persolvamus: in unione omnium laudum, & orationum, quas tu, & prædicti Sancti fecistis in terris & nunc facitis in Cœlis ad tuam, & Sanctorum gloriam, nostramq; & omnium, pro quibus tu vis, aut teneor, vel intendimus orare, salutem præsentem, ac perpetuam. *Adduntur Oblationes à DEO inspiratæ.*

S. Mechtildi Christus dixit: qui horas inchoat, dicat ore, vel corde: Domine, in unione illius devotæ intentionis, quâ ipse in terris laudes DEO Patri persolvisti, hanc tibi horam persolvo.

Eandem docuit, ut orans ita diceret, & alios doceret: JESU bone, laudo te; & quidquid minus est in me, rogo, ut suppleas pro me: JESU Bone, amo

te,

te; & quidquid minus est in me, rogo, ut cordis tui amorem DEO Patri offeras pro me.

Eidem hanc Oblationem commendavit: O æterne Pater, omnia desideria mea, intentionem, & orationem offero tibi, in unione desideriorum; intentionum, & Orationum Filii tui DEI mei JESU, ut placeant tibi amore illius, Amen.

OBLATIO DIVINI OFFICII.

In honorem Passionis Domini nostri,

AD MATUTINUM.

AMantissime JESU Christe, infinitas tibi gratias ago pro omnibus, quæ fecisti, & sustinuisti totâ nocte, omnibûs diebûs vitæ tuæ; maximè pro illa oratione, quam in horto angustiatus Patri tuo obtulisti, & omnibûs tormentîs, quæ Passionis nocte pertulisti: supplico tibi, recipe has laudes, dulcissimo corde tuo, meq; semper facias tuam laudare Divinam Majestatem, secundùm beneplacitum tuum, & me ab omni peccato, nocte, & die, totâq; vitâ liberare.

AD PRIMAM.

Benignissime JESU, infinitas tibi gratias ago, pro immensa charitate, & pro omnibus, quæ hâc horâ passus es: maximé quòd injustè accusari, examinari, & condemnari voluisti: supplico tibi, infunde mihi gratiam, ut nunquam temerè proximũ meum judicem, & vana hominum judicia, atquè iniquissimam opinionem conceptam de me pro nihilo ducam.

AD

AD TERTIAM.

Domine JESU, infinitas tibi gratias ago pro omni molestia, quam sustinuisti hâc horâ omnibûs diebûs vitæ tuæ, maximè pro eo, quòd voluisti pro nobis flagellari, spinis coronari, & opprobriis vexari: supplico tibi, defende me contra lenocinia, & blanditias carnis; item ab omni fastu, & vana gloria: gratiamq; largire, quâ te adorem in spiritu, & veritate tuamq; Passionem cum mærore & compassione contempler.

AD SEXTAM.

Domine JESU, ago tibi infinitas gratias pro omnibus, quæ hâc horâ passus es; maximè verò pro ea charitate, quâ mortis sententiam suscepisti, crucem humeris tuis, cum summa fatigatione deportâsti, probroso in patibulo suspendi voluisti, supplico tibi, libera me à sententia mortis æternæ; da mihi gratiam, ut crucem feram pœnitentiæ: confige animam meam clavis amoris, & timoris tui.

AD NONAM.

Infinitas tibi gratias ago pro immensa charitate, & pro omnibus quæ hâc horâ passus es; maximè pro atrocissimis tormentis, & doloribus, quos trium horarum spatio pendens in cruce sustinuisti: supplico tibi per hunc amorem, dona mihi donum perseverantiæ finalis, usq; ad mortem: memor sim amarissimæ Passionis tuæ, & ex ea cordialissimè compungar; nè moriatur anima mea morte immortali, quam quodlibet peccatum mortale operatur.

AD

AD VESPERAS.

Domine JESU, infinitas tibi ago gratias pro tua Charitate; maximè, quia permisisti lanceâ latus tuũ aperiri, & de cruce deponi voluisti, & recipi brachiis castissimæ Virginis Matris tuæ incredibili dolore sauciatæ, supplico tibi, confige cor meũ plagâ amoris tui, & animam meam illâ aquâ, quæ de latere tuo dimanavit, expurga ab omni labe peccati: faciasq; me participem lacrymarũ, & immensi doloris Matris tuæ Sanctissimæ.

AD COMPLETORIUM.

Domine JESU, infinitas tibi ago gratias, pro omni eo, quòd fecisti omnibûs diebûs vitæ tuæ; maximè quia in sepulchrum inferri voluisti: supplico tibi, præpara in anima mea conveniens sepulchrum, in quo deponaris unctione aromatica virtutũ conditus; adhibeas custodes, ne fortè vana gloria suffuretur opes, quas in ea collocaveris.

In Officio Divino quæ sunt servanda?

INnocentius Papa, qui, ut Divinum Officium recitaretur; instituit, *vult nos studiosè, & devotè* benedicere Domino.

Studiosè tunc fiet, si debito tempore, & modo absolvetur: unde orare ante tempus, est prudentia: in tempore, obedientia; post tempus negligentia *S. Augustinus.*

Horas dicere ante tempus, est securitas; in hora dicere, est justitia; post horam, negligentia *S. Gregorius.*

Qui orat ante tempus, timet DEUM, qui orat in tem-

tempore, laudat DEUM: qui orat post tempus, reddet rationem *S. Bernardus.*

Est autem Divinum Officium recitandum, *Primò*, absq; syncopa, id est, verborum omissione. *Secundò*, absq; verborum mutilatione, non abscindendo ultimas syllabas. *Tertiò*, absq; interruptione. *Quartò*, absq; transpositione horarum, & sinè acceleratione: nisi interrumpere, vel transponere, sit justa causa.

Devotè ut Officium Divinum dicatur, ad hoc requiritur *Reverentia & Attentio.*

Reverentia exigit *Primò*, ut cum humilitate, & cum timore DEI, laudemus ejus Divinam Majestatem, nam revereri, est actus doni Timoris.

Secundò, ut in loco decenti; Locus quidem Officii Divini publici est Chorus: privati verò, sit cella vel alius decens locus. Licet enim Oratio Mentalis ubiq; haberi possit; Vocalis tamen requirit locum decentem, & quietum, nisi necessitas excuset.

Tertiò, ut situs corporis, vel cōpositio sit honesta, & humilis: unde in choro sit talis, qualis ibi est in usu: si autē privatim dices; vel genuflexus, vel stans, vel humiliter, & modestè sedens; librū, vel aliquam piam imaginem aspiciens; apertoq; capite Officium Divinum recitabis. Nam immodestè sedendo, aut huc, & illuc temerè circumcursando, aut lecto cubando, signum est modicissimæ fidei, & cordis irreverentissimi, quod nescit Divinæ Majestatis præsentiā ponderare. Poterunt tamen aliquæ mortificationes parvæ exerceri; ut, aliquando Breviarium

elevando, unâ manu magis illud ſuſtentando, nec ipſum pectori applicando; vel pedem elevando; non innitendo parieti; in extremitate ſcamni ſedendo, citò aſſurgendo; tardiùs parùm ad ſedendum ſe componendo.

Quartò, ut exactiſſimè ſerventur omnes ceremoniæ, id eſt, inclinationes, genuflexiones, proſtrationes &c. & omnes vitentur errores: propter quam cauſam, prævidenda ſemper omnia, quæcunq; erunt dicenda.

Attentio eſt multiplex: alia eſt *Externa*: alia *Interna*.

Externa eſt, quæ abſtinet ab operibus externis, cum quibus attentio interna conſiſtere nequit, ut ſcribere ſimul, & orare.

Interna eſt, quâ quis attendit, vel ad verba, vel ad ſensū verborum, vel ad DEUM, & res Divinas.

Attentio Interna eſt triplex: alia *Habitualis*, alia *Actualis*; alia *Virtualis*.

Habitualis eſt, dum quis recitat aliquid ex habitu, & uſu, nihil ad illud attendens, quod recitat, ut ſi quis in ſomnis cantet.

Actualis eſt, quâ quis actualiter attendit, vel ad verba, vel ad ſenſum.

Virtualis eſt dum aliquis cum actuali incipit orare, & virtute illius proſequitur.

Actualis rurſus *eſt triplex*: ut ait S. Bonaventura, *Superficialis*, quâ orans ad ſola verba attendit; ut bene, & ſine errore illa proferat.

Literalis, quâ orans ad ſenſum literalē Pſalmorum, vel Lectionum attendit.

Spi-

Spiritualis, quâ orans ad pios affectus, v.g. Amoris DEI, Spei, doloris, timoris &c. attendit: & DEUM ipsum, quem alloquitur, cum magno motu reverentiæ, & humilitatis intuetur.

Prima est sufficiēs: *2da* utilior, & perfectior: *3tia*, utilissima, & perfectissima; & in hac vera devotio consistit. Ille enim devotè orat, qui pios in Oratione, & humiles eructat affectus.

Modum ostendit S. Augustinus: Si, inquit, Psalmus orat, orate: & si gemit, gemite, si gratulatur, gaudate: & si sperat, sperate: & si timet, timete.

Quomodo Attentio paranda?

PRimò, cogitando te coram Christo Salvatore nostro, vel coram Sanctissima TRINITATE stare.

Secundò, considerando suas necessitates, & miseriam, & DEI Misericordiā, atq; clementiam. Nihil enim efficaciùs hominem ad orandi studiū excitat quam miseria, quâ premitur; & Misericordia conditoris sui, ad quam cum fiducia recurritur.

Tertiò, Septem horas Canonicas ad mysteria Passionis Domini nostri applicando: ut *Matutinū*, Christo in horto oranti, cujus imago orantis pro DEI præsentia formari potest.

Primam. Christo flagellato. *Tertiam*, Spinis coronato, *Sextam*, Crucem bajulanti, *Nonam*, Cruci affixo, *Vesperas*, de Cruce deposito. *Completorium*, Christo Domino sepulto.

Quintò, attendendo ad sensum verborum, & illis verbis, ac si non essent aliunde accepta, sed ex cor-

de proprio deprompta, DEUM alloquendo.

Quintò, ut hoc verſetur in corde, quod profertur in voce.

Sextò, obſervando nomina, quæ tribuuntur Divinæ Majeſtati, ut ſunt, DEUS, Creator, Rex, Dominus &c. & pronomina, ut Tu, Tuus, Qui & verba, quæ ad ipſum diriguntur: ut, *Tu mandaſti, mandata tua cuſtodiri nimis*. Ad quæ verba cor ſtatim elevandū exprimendo aliquem affectū; v.g. ad hoc Nomen DEUS, vel Creator &c. &c. poteſt dici in corde; *Sit benedictus in æternum*; & ad Nomen Rex: *utinam omnia ſerviant tibi*. Vel ad hoc pronomen Tu; *Quis es tu Domine, & ego, quis ſum, ut loquar tecum?* Præcipuè verò notentur verba, quibus petitur aliquid à Domino DEO: ut, *DEUS in adjutorium meum intende*: *DEUS in Nomine tuo ſalvum me fac*, & ſimilia, quæ ſunt frequentiſſima in Officio Divino. Aliqui poſt quemlibet verſum in quantum fieri poteſt in mente actus Fidei, Spei & Charitatis faciunt, dicentes in corde: *O DEUS meus in te credo, & ſpero, te amo ſuper omnia*. Vel actus Adorationis, Laudis, & Amoris, erga JESUM, & MARIAM, addendo Nomina laudis ſecundùm Alphabetum, vel ſubſtantiva; ut te adoro, laudo, & amo amor noſter JESU, & MARIA: vel bonum noſtrum, conſolatio, dulcedo, exultatio, felicitas, gloria noſtra &c. Vel adjectiva: Te adoro, laudo, & amo amantiſſime JESU, & MARIA: Vel Benigniſſime, Clementiſſime, Dulciſſime, &c. quæ omnia ſupradicta exerceri poſſunt

cum

cum aliis recitando Officium Divinum in choro, præsertim dum Psalmi cantantur.

Septimò, Notentur verba, quæ exprimunt laudē DEI, & illa cum magno affectu proferantur: v. g. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Benedicamus Domino. DEO gratias. Alleluja. Sit nomen Domini Benedictum: & similia.* Notentur & similes Psalmi, quales sunt: *Jubilate DEO. Laudate Dominum Omnes gentes. Laudate pueri Dominum. Laudate Dominum de Cœlis.* Notentur & Cantica. *Benedicite omnia opera Domini Domino. Benedictus Dominus DEUS Israël. Te DEUM Laudamus. Magnificat anima mea Dominum.*

Post Officium Divinum quid faciendum?

OBserventur defectus commissi in Officio Divino; an sit festinanter dictum? an sint verba mutilata? an minùs reverenter, minùs attente, minùs devotè? an aliquid omissū? *Cognitis defectibus, eliciatur Actus contritionis dicendo ter DEUS propitius esto mihi peccatori.* Doleo ex amore tui, quidquid nunc deliqui in tuo Sancto servitio, emendationem propono, & desidero abhinc, cum debita reverentia, attentione, & devotione te semper laudare. *Qua de re S. Mechtildis orans pro alio, qui querebatur de horis parùm attentè persolutis, tale responsum accepit à DEO: semper post finem horarum hoc adjungat.* DEUS propitius esto mihi peccatori: *vel hoc.*

O Agne mitissime miserere mei!

Si enim, inquit, *hoc verbum*, DEUS propitius &c. *in publicano tantùm prævaluit, cur non in alio veniam impetrabit? Nam misericordia mea tantæ clementiæ nunc est, quantæ tunc fuit.*

Deinde pro supplendis defectibus dicatur: Laudate Dominum omnes gentes &c. & *versus*; Salvos fac servos tuos Domine, DEUS meus, sperantes in te. Domine exaudi orationem meam &c. & *Oratio*. Prætende Domine famulis tuis dexteram cœlestis auxilii,&c. *Vel, Sub tuum Præsidium &c.* & versus. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix &c. & *Oratio*. Famulorum tuorum, quæsumus Domine, delictis ignosce, ut qui tibi de actibus nostris placere non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri JESU Christi intercessione salvemur. Per eundem Dominum nostrum, &c.

Vel illud ex Breviario: Sacrosanctæ & Individuæ TRINITATI &c.

Vel illud S. Gertrudi à Christo Domino insinuatum: Bone JESU, propitius esto mihi peccatori; ego distractum, ac tepidum hoc servitium meum mellifluo cordi tuo commendo emendandum, ac perficiendum: tibiq; ipsum offerro, ad salutem omnium; in unione illius perfectissimæ attentionis, quâ tu Patrem tuum orâsti, & laudâsti in terris. Responde, quæso, satisfac, & supple pro me plenissimè.

Vel. Suscipe Clementissime DEUS, precibus & meritis B. M. semper Virginis, & omnium Angelorum, & Sanctorum ac Sanctarum, Officiū hoc

servi-

servitutis, laudis, & Obedientiæ nostræ; & si quid dignum laude egimus propitius respice, & quod negligenter actum est, clementer ignosce: qui in TRINITATE perfecta vivis & regnas DEUS, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Quicunq; ergo modus supplendi suos defectus in Officio Divino alicui placuerit, ipso utatur.

Ad supplendos autem defectus Officii Divini, non oportet illud repetere, si recitatum sit, sinè voluntaria distractione; quia hoc esset in infinitum procedere. Unde imprudenter, & scrupulosè nimis agunt, qui Officium Divinum repetunt, eò, quòd non fuerit rectè, aut cum debita attentione dictum, sed sit contentus supplere suos defectus per aliquam Orationem, ex prædictis, & magis confidat in DEI misericordia, quam in sua justitia.

CAPUT III.

DE ORATIONE MENTALI

Et definitione ejus: & de Prima parte, quæ est Præparatio.

ORationis Mentalis exercitiũ proprium est hominum spiritualiũ, & servitio DEI mancipatorũ, atq; ad perfectionem tendẽtiũ. Est enim hoc exercitium, efficacissimum medium, & instrumẽtum, ad evacuationem peccatorum, ad eradicationẽ vitiorũ, & passionum mortificationem, virtutum acquisitionem, & ad cõsequendam intimam cũ DEO unionem; in quibus exercitiis vita spiritualis consistit, & per quæ ad perfectionem facilè pervenire possumus.

Eſt autem Mentalis Oratio, Mentis ad DEUM elevatio. Quia per hanc orationem mens noſtra ad DEUM Altiſſimum cognoſcendum, & amandum elevatur. Quamvis enim de aliis rebus, præter DEUM, in oratione mentali aliquando cogitaverimus, ut de peccatis, de quatuor noviſſimis, de virtutibus, & de aliquibus creaturis: nihilominùs, hæc omnia conſideranda ſunt in ordine ad DEUM. Nam de peccatis cogitare debemus, ut illa propter DEUM deteſtemur; quia ſunt offenſa DEI: de noviſſimis, ut timeamus DEUM: de virtutibus, ut illas exercendo DEO placeamus & Chriſto Domino conformemur: de creaturis, ut illas propter DEUM contemnamus; vel pro illis Domino DEO gratias agamus. Itaq; conſideratio omnium iſtorum, erit mentis noſtræ ad DEUM elevatio. *Fit autem hæc elevatio, per intellectum, & voluntatem*, quibus quaſi duabus pennis mens noſtra ſupra terrena ad cœleſtia, ad ſuperna, & ad DEUM ſuſtollitur: per intellectum quidem, dum DEUM, & cœleſtia, & alia in ordine ad DEUM conſiderat: per voluntatem verò, dum per conſiderationem intellectûs excitata DEUM amat, peccata ex amore DEI odio habet, vitia extirpare, virtutes exercere, & ſanctè vivere deſiderat.

Sed iſtæ duæ potentiæ *Intellectus, & voluntas; ut bene ſe gerant in oratione mentali*, indigent auxiliis ſupernaturalibus Divinis ad hoc, ut ad ſublimes ac ſupernaturales ſuas operationes in oratione exercendas eleventur. Et imprimis *Intellectus* indiget

diget duplici lumine: hoc est lumine fidei, & lumine Donorum Spiritus Sancti; Sapientiæ, Intellectus, Scientiæ, & Consilii. *Voluntas* quoq; indiget auxilio gratiæ Divinæ, & donis Spiritus S. Fortitudinis, ad vincendas difficultates, & proposita ardua facienda, & exequenda: donô Timoris, ad minimas imperfectiones detestandas & fugiendas: donô Pietatis, ad concipiendum ferventem zelum honoris DEI, & salutis animarum. Unde bonum est ante Orationem dicere: *Veni Creator Spiritus*, &c.

Sed & nos debemus cooperari gratiæ, & auxiliis DEI prædictis, ad quod requiritur, ut intellectus habeat perfectam cognitionem orandi mentaliter, secundùm omnes partes Orationis Mentalis: habeat quoq; perspectas rationes & motiva, quibus voluntas ad bonos affectus excitari potest: insuper habeat notitiam virtutum, & vitiorum, quoad naturam, proprietates, & actus earum. Requiritur etiam, ut voluntas habeat vehemens desiderium, affectus pios in oratione exercendi, & proposita firma faciendi, & exequendi, atq; bonam præparationem pro Oratione mentali instituendi, & singulas Orationis partes rectè exequendi.

Sunt autem Partes orationis Mentalis, sex, secundùm usum consvetum nostræ Religionis; *Præparatio, Lectio, Meditatio, Gratiarum actio, Petitio & Oblatio*. Et quia hæc *Oratio dividitur in Intellectivam & Affectivam*, ideò in meditatione, est Oratio Intellectiva, & in reliquis partibus, est Affectiva.

Prima

Prima pars Orationis Mentalis *est præparatio.* Hæc præparatio *est duplex, Remota & proxima. Remota* consistit, tùm in fuga distractionum, & abdicatione curarum: tùm in continuo præsentiæ DEI exercitio: tùm in puritate vitæ, ac munditia cordis, cum intima compunctione. Hæc puritas requirit fugam peccatorum, etiam minimorum, & abstractionem affectus nostri à rebus terrenis.

Proxima consistit in consideratione magnitudinis Divinæ Majestatis, propriæ vilitatis, & in Actibus Adorationis, Humilitatis, Contritionis, & Petitionis auxilii Divini, & donorum Spiritus Sancti. Hinc unusquisq; potest seipsum alloqui mentaliter hoc modo: O homo considera. Quis, & Quantus est iste Dominus, cum quo nunc agere vis? agnosce quoq; tuam vilitatem, & indignitatem propter innumera peccata tua. Adora igitur hunc Dominum: humilia te coram ipso: veniam peccatorum, & auxilium ab eo pete: *quod fiet modô hic propositô, ex libro Schola Orationis dicto, desumpto.*

Exemplum Præparationis.

O Altissima Majestas, supreme Dñe ac DEUS meus! ego vilissimus peccator tecũ locuturus sum. Magnum quid hoc est, Domine: Minimè autem dubiũ est, quin tu ex infinita bonitate, & dulcedine permittas, ac digneris, ut ego, qui abjectus quidam sum vermiculus, quiq; æternâ quadam repulsâ à te deberem repelli, cum Divina tua loquar Majestate accessumq; inveniam cum eadem propiùs

piùs; ac de plano agendi. Ego te, potentissime Regum Rex, adoro, & me coram immensa tua magnitudine prosterno, tibiq; cor meum consecro, ut ipsum vacet tibi: quin meorum me ex amore tui maximè pœnitet peccatorum; & ex toto corde meo te deprecor, ut ea mihi propitius digneris ignoscere, mihiq; adesse, ut horam hanc fructuosè Orationi queam impendere.

Domine miserere mei sicut potes, scis, & vis: da mihi quidquid volueris, & fac mecum secundùm gratissimam voluntatem tuam.

Qui autem vult, ut ei bene succedat oratio, præter dictam Præparationem, debet quoq; præparare Meditationis materiam ante Orationem. *Præterea*, debet habere præcognitas vehementiores Passiones & tentationes, à quibus vexatur; & culpas, in quas sæpiùs labitur; & virtutes, quibus indiget; ut sciat, quid proponere, & [illegible] debeat. *Insuper* debet excitare maximum in se orandi desiderium, ad hæc sunt quatuor necessaria; *primò*, indigentiæ alicujus rei experimentalis cognitio. *Secundò*, desiderium rem eandem consequi, *Tertiò*, agnoscere solum DEUM esse, qui nostræ necessitati succurrere possit. *Quartò*, Seipsum coram DEO humiliare, simulq; DEI opem, ut ea, quæ nobis desunt largiatur, in oratione implorare.

CAPUT IV.

De secũda parte Orationis mẽtalis, quæ est Lectio.

HÆc adhibetur ad inveniendam Orationis materiam. Sit igitur. *Primò*, attenta; ut

be

benè percipiatur, quid legitur. *Secundò*, debet esse lenta; ut memoriæ imprimatur id quod legitur, in qua debet seligi punctum, quod judicatur majorem vim habere, ad excitandos in voluntate nostra bonos & necessarios affectus, videlicet amoris DEI, Odii alicujus vitii, vel desiderii alicujus virtutis.

Debent autem ab Incipientibus, qui sunt in via Purgativa *legi libri* tractantes de peccatis; de vitæ humanæ miseriis, quarum sunt causæ peccata: de vanitate mundi: de quatuor novissimis: de ultimo fine hominis: de abnegatione sui; de mortificatione sensuum externorum, & internorum, passionum, amoris proprii, judicii proprii, & voluntatis.

A Proficientibus debent legi libri, de vita Christi Domini nostri, actionibus, & virtutibus ejus de vita Beatissimæ Virginis MARIÆ; & aliorum Sanctorum; explanationes Regulæ, & constitutionum Ordinis nostri.

A Perfectis verò versentur libri de Theologia Mystica tractantes: de perfectionibus, & beneficiis Divinis: de actibus Anagogicis, & de modo perveniendi ad Christianam perfectionē.

Notandum Quòd præter hanc Lectionem, quæ fit proximè ante orationem mentalē, est alia librorum spiritualium Religiosis contemplativis maximè necessaria, qui omninò singulis diebus certo tēpore sunt legendi. Nam Sanctus Thomas Doctor Angelicus docet: *Lectionem hanc, ad vitam contemplativam, ut dispositionem, pertinere.*

Legendi autem libri sunt tales, qui nobis adju-

mento sint comparandæ perfectionis, & qui magis nostro Instituto sunt conformes. *Quidam Asceticus Auctor, illos legere suadet libros qui hæc tria habent:* Præcepta, Exempla, & Motū; *Præcepta* seu doctrinam, ut instruamur. *Exempla*, ut ea imitemur. *Motum*, ut ad devotionem, & aliquos pios affectus moveamur.

Qua de re Dionysius Carthusianus in Institutione Novitiorum sic ait: Debent legere salubria, & suo proposito magis accomoda ut pote ea, quæ compunctionem inducunt, devotionem nutriunt, & inflammant, timorem DEI in corde stabiliunt, & quæ ad vitiorum honorem, ad mundi contemptum; ad sui ipsius aspernationem, & humiliationem vehementius incitant atq; erudiunt. Ea quoque, quæ efficacius docent modum, ac ordinem spiritualis profectûs, reformationem passionum, remedia, & triumphum tentationum.

Modus legendi sit talis, *Primò*, ut præcedat directio brevis, & oratio, quâ postulemus gratiam ad intelligendum, & fructum percipiendū, *dicendo cum S. Ephrem:* Domine JESU Christe, aperi aures, & oculos cordis mei ad audiendum, & intelligendum sermonem tuum; faciendamq; voluntatem tuam. O Domine quoniam incola ego sum in terra, non abscondas à me mandata tua. Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. In te enim spes mea, DEUS meus, ut tu mentem meam illumines.

Secundò, ut non sit fortuita, & varia lectio, & quasi

quasi casu reperta: sed consultò assumpta, certi libri, & Auctoris, & tempore determinato.

Tertiò, ut non requiratur curiositas, sed animæ nostræ utilitas.

Quartò, ut non sit ideo, ut scias, sed ut facias.

Quintò, ut sit attenta, lenta, & sæpiùs oratione brevi interrupta, quà vel aliquod malum vitare, vel aliquod bonum facere statuamus, ut si legamus de humilitate vel obedientia, &c. easdem exercere virtutes proponamus: & quòd simus superbi, aut inobedientes &c. doleamus.

Fructus hujus lectionis spiritualis, *Primus* est, animarum salus; *ut S. Augustinus expertus est*, qui ex lectione libri spiritualis fuit conversus.

Secundus est, mundi contemptus; *ut S. Fulgentius fecit.*

Tertius est, instrumentum perfectionis, *ut S. Gregorius Nazianzenus cognovit.*

Quartus est, Orationis cibus & alimentum; *ut S. Damascenus Papa ait.*

Quintus est, animæ nutrimentum, *ut ait Sanctus Augustinus.*

Sextus est, armamentarium, atq; thesaurus medicamentorum: *ut* inquit *S. Ephrem.*

Septimus est fons, pratum, & hortus *ut Sanctus Chrysostomus.*

Octavus est, speculum; *ut Sanctus Augustinus.*

Nonus, quia hinc maximus acquiritur virtutum fructus; *ut quidam senex in Prato spirituali de se testatur.*

Deci-

Decimus, nam Lectio est æquè nobis necessaria ac oratio, *sic S. Damianus*; Animæ, ait, oratione crescunt, lectione pinguescunt; & *S. Bernardus*; Lectio & Oratio, sunt arma quibus diabolus impugnatur.

Undecimus, per lectionem discimus, quid facere, quid cavere, quò tendere debeamus; *ita docet Sanctus Bernardus.*

Duodecimus, per hanc familiaritatem cum DEO contrahimus: Nam qui vult cum DEO semper esse, frequenter debet orare, frequenter & legere; *monet S. Augustinus.*

CAPUT V.

De Tertia Parte Orationis mentalis, quæ est Meditatio: & de modo Meditandi.

MEditatio, est quædam pia intellectûs exercitatio, quod fit, tum per Cogitationem bonam, tum per ipsam propriè dictam Meditationem, tum per contemplationem; per quæ omnia Oratio mentalis Intellectiva exercetur. Nam *Cogitatio*, est Oratio Incipientium; & est infimus orationis gradus. *Meditatio*, est Proficientium; quæ est medius orationis gradus. *Contemplatio*, est sublimis gradus, & Perfectorum. Et quamvis nonnunquam hæc tria circa eandem materiam occupentur, aliter tamen agit cogitatio; aliter meditatio; aliter contemplatio. In cogitatione enim est evagatio: in meditatione veritatis investigatio: in contemplatione veritatis admiratio. Cogitatio, veritatem à longè aspicit; meditatio ad

ipſam pervenit; contemplatio illius pulchritudine perfruitur. *Quomodo hæc tria circa eandem materiam poſſunt exerceri, patet ex hoc exemplo.* Si enim intellectus noſter circa Chriſti Domini Paſſionem, ſinè ordine & diuturna cogitatione per multa, & varia, quæ in illa Paſſione contigerunt, diſcurret, tunc cogitat: ſi attentè & profundè cauſas, & fructus illius inquirat; tunc meditatur, ſi cognita per diſcurſum illum una veritate, ut DEI erga nos charitate? in Paſſione Chriſti oſtensâ, illam ſinè diſcurſu inſpiciat & intueatur; tunc contemplatur.

Eſt igitur Cogitatio, quædam mentis agitatio ad aliquid cognoſcendum: Seu ſecundùm Richardum, *Eſt improvidus animi reſpectus ad evagationem piorum:* ſeu, Eſt tranſitoria & brevis conſideratio, vel ex memoria, vel ex aliquo ſenſu orta, in qua cùm nihil profundè, & diligenter conſideretur, neceſse eſt mentem, per multa vagari: quia, *ut ait Gerſon,* formatur vel ex actualibus ſenſationibus, quæ ſinè labore fiunt; vel ex phantaſmatibus paſſim occurrentibus, quæ evagantur præſentanturq; nobis etiam invitis.

Et quod dictum eſt de cogitatione generaliter accepta, hoc debet intelligi de cogitatione bona & ſancta, â qua incipiunt ſuam Orationem mentalem, qui ſe ſtudio Orationis tradunt; quæ *Cognitio dicitur Incipientium Oratio, eſtq; nihil aliud, quàm improviſa ac breviſſima rerum Divinarum vel ſpiritualium conſideratio, ad bonos affectus in voluntate excitandos ordinata.* Dicitur *improviſa;*

visa; hoc est, non prævisa, nec præcognita: dicitur *Brevissima*; quia parùm durat. Mens enim tunc ex uno cogitatu, ad alium facilè transit, & per multa sinè ordine ullo vagatur, & in nullo stabilitur; ex eo, quòd non nititur profundiùs investigare veritatem.

Et ideò talis *Cogitatio* dicitur esse cum modico labore, & cum modico fructu. *Meditatio* autem fit cum labore, & fructu. Sed *Contemplatio* sinè labore, cum insigni fructu.

Meditatio propriè sumpta est discursus Intellectûs voluntatem nostram ad bonum hortantis, vel à malo dehortantis. Dicitur *discursus*, quasi per multas considerationes cursus, quas facit intellectus investigando veritatem: ut, si hanc veritatem vellemus habere notam, quòd virtus humilitatis sit amplectēda, & exercenda; debemus expendere hujus virtutis naturam, proprietates, & effectus ejus, quæ considerationes ostendunt nobis hanc veritatem; quòd necessariò debemus amplecti, & quærere hanc virtutem humilitatis.

Eodem modo, ut habeamus cognitam hanc veritatem, quòd vitium superbiæ est nobis fugiendū; examinanda est nobis natura hujus vitii, proprietates, causæ, & effectus.

Dicitur *voluntatem nostram ad bonum hortantis, vel à malo dehortantis*: ut sciamus, quòd ideò illum discursum facere debemus, ut excitemus voluntatem nostram ad aliquod bonum amplectendū; & retrahamus eam ab aliquo malo; ita, ut *Incipi-*

entes excitentur ad odium, & fugam peccati, ad vitia exſtirpanda, ad pœnitentiam, & verum dolorē de peccatis, ad mortificandos ſenſus, & inordinatos affectus, ex quibus vitia naſcuntur. *Proficientes* verò ad exercendas virtutes. *Perfecti* autem ad amorem DEI.

Hinc patet *ſumma neceſſitas meditationis rectè inſtituendæ:* tum propter quotidianam renovationem, & emendationem vitæ, quæ conſiſtit in fuga, & exſtirpatione vitiorum, & acquiſitione virtutū: tum propter acquirendam perfectionem, & ſanctitatem, quæ requirunt eadem: tum propter excitandam in nobis Devotionem, quæ nihil eſt aliud, quàm prompta voluntas offerendi ſe ad obſequiū DEI. Hæc *Devotio naſcitur in nobis* ex conſideratione bonitatis, & beneficiorum DEI, quæ excitat in nobis dilectionē eius, ex qua proponimus, vitare mala, & quidquid diſplicet DEO; & facere bona, ſeu in virtutibus nos exercere, paſſiones cohibere, & ſecundum vocationem noſtram DEO ſervire; & per hoc facimus gratum obſequium DEO: ex eadem Devotione, & bona meditatione oritur debita Gratiarum actio, & prompta Oblatio, & fervens Petitio.

Et quoniam Meditatio non fit propter ſe, verùm propter excitandos affectus bonos in voluntate: *Sciendum eſt*, quòd aliquando affectus citò excitatur, & citò evaneſcit; & tunc reſumenda eſt meditatio; ad quod plurimùm conducit breves quaſdā meditationes ultimis partibus intermiſcere, ut ſic affe-

ctus

ctus identidem excitentur. Aliquando non statim affectus per meditationẽ movetur; & tunc aliquantulum in ea persistendum, rogando DEUM, ut nos adjuvet. Sed si media hora Orationis transierit; relinquatur meditatio, atq; ad alias partes Orationis transeundum: videlicet, ad Gratiarũ actionẽ, Oblationem, & Petitionem, Et idem dicendum; si nullum aliquis potest facere discursum.

De modo Meditandi.

MOdus Meditandi, *alius est* ex parte personæ meditantis; *Alius* ex parte materiæ meditandæ. *Ex parte personæ meditantis modus meditandi est*, ut facturus aliquis meditationẽ de quacunq; materia assũpta: *Primò*, faciat sibi præsentem Dominũ in illa imagine, in qua Præsentiam DEI diurnam habet, Quodsi contigat Meditatio de alio mysterio Passionis Christi, non verò de illo, de quo habetur Præsentia DEI diurna, tunc relictã diei Præsentiã, & imagine Christi, assumatur imago illius mysterii, de quo quis meditatur. Formentur autem istæ imagines, intra nos, hoc est in corde; vel propè nos, propter majorem recollectionem. Si verò aliquis in hoc difficultatẽ senserit, & per experientiam didicerit, ex modo alio Præsentiæ DEI, majorem fructum se percipere in Oratione, tunc potest illum modum tenere. Aliqui svadent, ut orantes imaginentur Cœlum esse apertum, & Sanctissimã TRINITATEM cum omnibus Sanctis illum aspicientem, & Angelos orationes nostras eidem offerentes: Alii,

ut concipiant DEUM, ut lucem ſplendidiſſimâ totum mundũ illuminantem,& replentem, & eũ qui orat illâ luce eſſe circumdatũ, & in ea permanentẽ.

Secundò, ut meditationem faciat aliquando ſeipſum alloquendo: v.g. dum conſiderat Chriſtũ Dominũ flagellatum ad ſeipſum dicendo: *Conſidera anima mea. Quid paſſus eſt Chriſtus, pro te in illa crudeli & ignominioſa flagellatione?* quos tunc dolores pertulit pro te, dum à tot impiis tortoribus flagellaretur? &c. Præterea conſidera. *Quis eſt iſte, qui pro te flagellatus eſt? &c.* Deinde conſidera, *Cur flagellatus eſt?* hoc eſt; ex qua cauſa, ob quã cauſam &c. Conſidera quoque, *Quomodo ſe geſſit Chriſtus in illa flagellatione?* quanta cum humilitate, patientia, manſvetudine? &c. omnes tunc dolores & tormenta pertulit? &c. *Qui modus Meditandi Incipientibus convenit.*

Aliquando meditationẽ inſtituere aliquis poteſt, alloquendo DEUM, ſicut jam exercitati in oratione faciunt. Qua in re unuſquiſq; ſeipſum probet, qui modus meditandi melius ipſi ſuccedit.

Alius modus meditandi eſt, ex parte materiæ meditandæ; ut ſciamus quomodo meditationẽ formare debeamus, de perſonis,& actionibus earũ: videlicet, de DEO, Virgine Sanctiſſima: & aliis Sanctis? quomodo de virtutibus & vitiis? quomodo de Sacræ Scripturæ verbis?

Modus Meditandi de DEO *erit.*

UT conſideremus tres in una Divinitate Perſonas: Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum,

ctum, secundùm symbolum S. Athanasii; præterea Perfectiones Divinas, quæ quia sunt infinitæ, saltē magis notas; ut Omnipotentiā, Sapientiā, Bonitatē, Providentiam, Infinitatem, Immensitatē, Æternitatem, Pulchritudinem, Immutabilitatem, Veritatē, Justitiam, Misericordiam, & alias: *quæ considerationes Perfectis competunt*, ex quibus, moventur ad amorem DEI, ad exercendos actus Fidei, Spei, Adorationis, Laudis, Gaudii de bonis DEI, Gratitudinis, & Resignationis.

Proficientibus quoquè convenit considerare illas DEI Perfectiones, ex quibus moventur ad formandam in se similitudinem DEI, per exercitium virtutum. Ad hoc enim creatus est homo, ad imaginem & similitudinem DEI, ut sicut DEUS Creator, *teste S. Ambrosio Lib: de Parad: c. 3.* Qui hominem ad similitudinem suam creavit, est charitas, est bonus, & justus, patiens, atq; mitis, mansvetus atq; misericors: (*sunt verba S. Doct:*) ita homo creatus est, ut charitatem haberet, & bonus esset & justus, ut patiens atq; mitis, & mundus atque misericors foret. Quas virtutes, quantò plùs quis habet in se, tantò majorem sui conditoris gerit similitudinem. Imago, itaq; DEI est, in ipsa animæ spirituali substantia: similitudo verò DEI in virtutibus illis, per quas DEO similes efficimur.

Incipientes etiam possunt expendere aliquas Perfectiones Divinas, ex quibus moventur, ad cōtritionem, ad odium, & fugam peccati, ad exstirpanda vitia, ad mortificandas passiones, ad timorē

DEI, & ad Spem in Misericordia DEI. Igitur ad Incipientes pertinet considerare Bonitatem DEI. Justitiam, & Misericordiam ejus. Bonitatem quam offenderunt, ut de peccatis suis doleant; Justitiā, ut DEUM timeant: Misericordiam, ut non desperent.

Modus meditandi de Christo Domino nostro erit.

UT aliquando consideremus ejus nomina Sanctissima, quæ plurima in Sacra Scriptura reperiuntur: ut quòd vocetur, Filius DEI, ante Luciferum genitus in splendoribus Sanctorum, Verbum Patris, Splendor, & Figura substantiæ ejus, Candor Lucis æternæ, Sol Justitiæ, Rex gloriæ, Rex regum, Dominus Dominantium, Sanctus Sanctorum, Verbum Caro Factum, Princeps pacis, Lux mundi, Via, Veritas, & Vita, Pastor bonus, Agnus mansvetus, Leo de tribu Juda, Aquila magnarum alarum, & alia: sub quibus nominibus diversis, *possumus meditari de Christo*, pro diversitate solemnitatum & temporum; videlicet, *in Sacratissima ipsius Nativitate*, quòd sit Pastor bonus, qui venit in mundum, quærere, & congregare oves dispersas, & ideò in stabulo nasci dignatus est. *In festo Circumcisionis*, ut Agnus mansvetus. *Epiphaniæ*, ut Rex Regū. *Resurrectionis*, Sol, aut Leo, de quo scriptum est: *Vicit Leo de tribu Juda: Ascēsionis*, ut Rex gloriæ, vel, ut Aquila provocās advolandū pullos suos; *Aliquando verò* immò sæpissimè expendemus ejus vitam Sanctissimā, cujus Historia in quatuor Evangeliis est descripta; ubi expressæ sunt actiones ejus, ut eas imitemur: & do-

ctrina,

ctrinã, ut eam amplectamur: *de quo S. Basilius in Const: Monast: cap: 2. sic ait:* Omnis actio, omnis item sermo Salvatoris nostri JESU Christi, excolendæ pietatis, virtutisq; obeundæ Regula est; propter hoc enim etiam humanam naturam suscepit, ut in se velut in tabula quadam, verã nobis pietatem ac virtutem depingeret, eamq; omnibus nobis ante oculos statutam unicuiq; pro viribus imitandam ceu Archetypum proponeret.

Dum verò aliquis considerare vellet Christi Domini actiones, vel ejus sacratissimam Passionẽ, hoc faciet, examinando circumstantias istas. *Quis*, *Quid*, *Cur*, *Quomodo*: hoc est, personam, Opus, causam, & Modum. Possumus etiam aliquando meditationẽ instituere, de fine actionum, & passionum vitæ, & mortis Christi Domini nostri, qui duplex fuit: *Gloria*, scilicet, *Patris æterni*; & *humani generis utilitas*; ut exemplo ejus, gloriam DEI in omnibus actionibus nostris, & salutem nostram proximorumq; nostrorum quæramus.

Modus Meditandi, de quibuscunq; Sanctis erit.

CONsiderando eorum nomen, statum, dignitatem, vitam, virtutes, actiones, afflictiones, labores, doctrinã, gratias, & beneficia DEI; præsertim gratiam electionis, vocationis, justificationis, & sanctitatis: & quomodo sint cooperati gratiæ DEI. Insuper mortem felicissimam, & gloriam sempiternam, & miracula.

Etiam posset aliquis meditationẽ instituere de Sanctis, secũdũ illas circũstantias omnibus notas. *Quis*,

Quid, ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

Modus meditandi de virtutibus moralib9 erit.

CONſiderando earum nomen, naturam, cauſas, affectus, actus, proprietates, media ad illas acquirendas.

Nomen virtutis deducitur à viro. Nam ſignificat robur, & fortitudinem, quæ eſt viris propria.

Natura virtutũ cognoſcitur ex definitione earũ.

Cauſa virtutum prima, & univerſalis eſt DEUS; nos autem cauſa proxima per actus internos virtutum. Et ideò facilis eſt virtus: quia ad eam acquirendam nobiſcum concurrit DEUS, nos excitando, & adjuvando.

Effectus virtutis ſunt innumeri, qui recenſentur, cum proprietatibus virtutis.

Actus virtutum ſunt modi, & inſtrumenta, quibus acquiruntur; quorum actuum exercitia, per Ferias diſtincta, & per hebdomadas diviſa inferiùs habentur *in Par: 2.*

Proprietates Virtutum ſunt Honeſtas, Utilitas, Delectabilitas, & Pulchritudo; ex quibus ſumuntur incitamenta virtutum; & quæ præcipuè in meditatione conſiderandæ ſunt, ut excitetur voluntas noſtra ad amorem, & deſiderium virtutis. Voluntatem enim noſtram nihil poteſt moveri, niſi bonũ, quod dividitur in honeſtum, utile, & delectabile: Pulchrum quoq; idem eſt in virtute, ac bonũ, Itaq; cum virtus ſit honeſta, utilis, delectabilis, & pulchra, habet in ſe omnem rationem boni; quod cũ

in

in Meditatione expendetur, facilè voluntas ad virtutem amandam, & desiderandam inclinabitur.

Honesta est virtus, immò ipsa honestas: quia sola hominem honestat, & decet. Est enim naturæ rationali propria, ipsiq; conformis: quia omnes actiones nostras condecorat, ac honestat: facit nos quoq; similes DEO, ac DEI-formes: prætèrea venerabiles, ac omni honore dignissimos, efficit. Ipsa est Mater gloriæ, honoris, & nominis immortalis. Ipsa nobilitas animarum nostrarum. Sola est laudabilis, sola per se appetibilis; cũ simpliciter in se sit bona. Est enim participatio Divinæ Perfectionis, & Bonitatis.

Utilitas est virtus: quia nos bonos, & opera nostra bona facit, evacuat peccata, eradicat vitia, pronitatẽ ad malum moderatur, difficultatẽ ad bonum vincit, vehementiam passionum in nobis impedit, partem inferiorem superiori totaliter subdit, perficit potentias animæ nostræ, ut operationes suas perfectas producat.

Non solùm autem utilis, sed etiam necessaria est virtus: quia sine illa neq; placere DEO, neq; finem nostrũ, qui est vita æterna, consequi possum9: quia per illam benè, & sanctè vivimus, vitã, & gloriam æternam promeremur: quia est pretium, quo regnum Cœlorum emitur: est vis: quâ violenter rapitur: est jus; quô in hæreditatem homo assumitur; est character, quô Filii DEI ad Cœlũ admittuntur; est vestis nuptialis, quâ decorari oportet eos, qui ad Cœnam Regis æterni vocantur.

Jucunda seu delectabilis est virtus, non tatùm; ut jam acquisita, & adepta; sed etiam; ut est in adeptione, & acquisitione: Nã exercendo virtutes gaudemus, & quia scimus, quòd exercitio virtutis DEO placemus; & propter conscientiam rectè facti; & propter spem præmii gloriæ cœlestis à DEO fideli promissæ; & propter instinctum naturæ rationalis, quæ delectatur in operibus bonis. Delectabilis est quoq; virtus jam adepta, & acquisita; quia illa sola possessores suos, pura & perpetua delectatione perfundit, sola vera voluptate animum nostrum satiat, & quietat; sola plenam lætitiam, jucunditatẽ, tranquillitatem, & quietem nobis affert. *Unde S. Chrysostomus Hom:* 1. *ad Rom:* Si, *inquit*, voluptate frui volumus ante omnia alia, fugiamus vitia, virtutemq; sectemur; aliter enim nobis non licet voluptatis participes fieri. *Et benè:* Nã voluptas ex præsentia rei convenientis nascitur; nihil autem convenientiùs est naturœ rationali, quàm virtus; & ideò ex nulla re, tantummodò ex virtute sola voluptatem, & delectationem veram, & purã, atq; homine dignam habere possumus. Et quamvis à longè conspecta virtus, aliquando nobis incutiat timorem, & amara videatur, tamen gustata dulcescit, & sui amorem nutrit.

Pulchra est quoq; virtus: quia est ornamentum animæ nostræ, propter quod anima dicitur. *Cant:* 6. Pulchra, & decora, & amica DEI, id est, Charissima: quia est vestis nuptialis, sinè qua DEO placere nemo potest: quia rebus pulcherrimis compa-

rantur

ratur, ut ſoli, lunæ, ſtellis, & lapidibus pretioſis, Sol eſt, *inquit S. Bernardus ſerm: 27. in Cant:* fervens charitas; Luna continentia; ſtellæ, aliæ virtutes. Hæc unica virtutis eſt pulchritudo, quam ſi oculis carnis homines viderent, omnium amorē in ſe concitaret. Hanc cœleſtis Sponſus amat, qui reſpiciens humilitatem ancillæ ſuæ; id eſt, Virginis MARIÆ, hujus amore captus, deſcendit de Cœlis. Hanc diligunt Angeli Sancti, de quibus dicitur; *Recti diligunt te:* Angeli Sancti omninò ſunt recti: *ait S. Bernardus ſerm: 24. in Cant:* qui animam virtute pulchram diligunt, dum eam ſibi ſimilem eſſe conſpiciunt.

Modus meditandi de vitiis erit.

CONſiderando eorum nomen, naturam, cauſas, effectus, proprietates, actus, remedia, ſeu media ad illa exſtirpanda, & ad excitandum odium vitiorum.

Nomen vitii deducitur à vitando; quia ſignificat malum, quod vitari debet.

Natura cognoſcitur ex deſcriptione ejus, quæ eſt talis: Eſt prava diſpoſitio mentis ad peccatum inclinans.

Cauſa vitii, ut ſumitur pro actu vitioſo ſeu peccato, eſt Dæmon ſvadens malum, & voluntas noſtra ipſi obediens: ut autem vitium ſumitur pro habitu, ſeu pro illa prava diſpoſitione, tunc vitii cauſa ſunt præcedentia peccata, ſeu actus vitioſi.

Effectus vitii recenſentur cū proprietatibus vitii.

Actus quoq; vitiorum, præſertim ſeptem Capitali-

talium habentur inferiùs per Ferias diſtincti, primâ Hebdomadâ, *Par*: 2.

Proprietas vitiorum eſt, malitia habens in ſe trinam rationem mali, quod ſit malum inhoneſtum, inutile, inſvave, & amarum.

Inhoneſtũ eſt: quia de decet hominẽ rationalẽ. Eſt enim diſconveniens & difforme naturæ rationali; & ideò eſt contra naturã rationalem: quod infames & ignominioſos homines reddit, & ipſum omni vituperatione, & odio eſt dignum. Præterea *eſt deformitas animæ*, ejus pulchritudinem deturpans, quâ ſuper carbones ſit denigrata ſuper omnem immunditiem fædata, omni execratione digna, & maximopere diſplicens DEO. *Et turpitudo erubeſcenda*; eſt *fæditas* viliſſima, quæ dehoneſtat animam. *Eſt contumelia* nobilitatis noſtræ.

Inutile, propter ſummum damnum DEO illatum, privans illum debito honore: quia eſt injuria infinita DEO facta; quia peccando legem DEI contemnimus, & nos à DEO, Creatore, ſummo & incommutabili bono avertendo, ad infimum, & incommutabile bonum creaturæ convertimus, in quo eſt infinitus DEI contemptus. Eſt quoq; inutile, propter damnum nobis illatum: quia nos ſpoliat gratia ſanctificante, & omnibûs Spiritûs S. donîs, ac virtutibûs infusîs: privat nos jure regni cœleſtis; cauſat reatum pœnæ æternæ: facit animam diaboli captivam, & inferni incolam; quia nos inclinat ſemper ad malum: quia per peccatum amittitur nitor, & pulchritudo animæ, & inducitur turpis macula, per affectũ inordinatũ ad creaturas. *In-*

Insvave est,& amarũ: Est enim venenum. Quis enim læto animô cibum & potum venenô imbutũ sumeret? *Est dirus Tyrannus; ut ait S. Chrysostomus,* qui nostrã animam continuò crudeliter torquet. *Est dæmon,* qui animam in peccato hærentẽ possidet; & ideò, quot vitia habuerit homo, tot dæmones, *ut B. Cæsarius testatur:* qui ut animarum nostrarum ferocissimi hostes, eas, ut captivas, supra modum affligunt. *Est crux: ut S. Bernardus de vitio ambitionis asserit:* O ambitio, inquit, ambientium crux, quomodo omnes torques? nil enim acriùs cruciat, nil molestiùs inquietat. *Est vermis* diu noctuq; rodens animam. Præterea est vitium insvave; quia privat nos consolationibus Divinis, quas solet DEUS communicare justis; tum etiam serenitate ac lætitiã, quam actus boni & virtuosi nobis adferunt; tum cordis tranquillitate, incutiens nobis timorem judiciorum DEI, ac pœnarum inferni, commemorans quoq; nos, esse inimicos DEI, factos odibiles ei, & Angelis ejus.

Modus meditãdi de seipso, ad cognitionẽ sui erit.

CONsiderando hominis nomen, naturam, causas, proprietates, vitæ miserias, actiones, ejus novissima.

Nomen hominis est ab humo desumptum: quia de humo, seu de terra factus est; & ideò homo humilis, & sui contemptor esse debet.

Natura hominis ex definitione patet: quia *est animal rationale.* Nam hoc totum habet, quod animal: videlicet, sensus externos & internos,

per quos cognoscit suae naturae, & vitae necessaria: habet quoq; appetitum, per quem appetit illa. Praeterea habet rationem, per quam differt ab animalibus. Hinc homo est compositus *ex parte inferiori sensitiva*, ad quam pertinet sensus, & appetitus sensitivus; *& ex parte superiori rationali*; inter quas partes, est continua pugna; quia ut homo per peccatum factus est rebellis DEO in paradiso, sic etiam in homine factus est pars inferior rebellis superiori.

Ab aliis describitur homo, quod sit *centrum uvinersi:* quia sicut lineae à circulo deductae ad centrum ibi copulantur, ita omnium creaturarum perfectiones in homine congregantur. Deinde quod sit *Compendium omnium operum DEI*, qui dedit homini esse cum elementis, & rebus non viventibus: vivere, cum plantis, & arboribus: sentire cum piscibus, avibus, & animalibus: & intelligere cum Angelis. Insuper *est parvus mundus*, in quo DEUS perfectiones repertas in hoc visibili toto mundo inclusit.

Causa efficiens hominis est DEUS, Creator noster; ipse enim creat animas nostras; ipse quoq; creavit limum terrae, de quo formavit corpus primi hominis, de quo limo & nos sumus.

Causa Materialis hominis est terra, pulvis, & cinis.

Causa formalis hominis est anima rationalis, quae est forma hominis: sed forma animae, est imago DEI.

Causa

Causa finalis primaria est DEUS: ipse enim est finis noster ultimus, qui nos creavit propter se, ut ei serviamus, ut eum diligamus tanquam summum bonum, propter se super omnia appetibilia: *secundaria Causa finalis est æterna beatitudo*, quæ est finis noster ultimus secundarius: seu finis Cujus, est DEUS: & finis Quo, est æterna beatitudo, in qua est DEI fruitio.

Actus hominis, ut est naturæ rationalis sunt illi proprii, qui sunt convenientes & conformes rectæ rationi, quales sunt actus virtuosi, & boni. Nam tales sunt secundum rationalem naturam: Mali autem, & vitiosi, sunt contra naturam humanam.

Proprietates hominis sunt relinquendæ Philosophis; sed nos consideremus in meditatione proprietates animæ rationalis: videlicet quòd sit spiritus; quòd sit incorporea, immortalis, in partes quantas; quòd sit tota in toto corpore, & in qualibet parte corporis; quòd sit capax æternæ beatitudinis. *Dignitas hominis* consistit in eo, quòd sit ad imaginē & similitudinem DEI factus; quòd sit rationalis; quòd sit post Angelos omnium creaturarum nobilissimus; quòd sit Præses à DEO cōstitutus, super omnes creaturas hujus mundi; quòd DEUS clemētissimus ex summa dilectione erga hominem pro eius salute, Unigenitum Filium suum misit in terrā, ut homo fieret, & pro ipso moreretur; quòd DEUS hanc homini potestatem dedit, ut Filius DEI fieret; quòd sit capax gratiæ DEI sanctificantis, quæ est participatio Divinæ naturæ; insuper, quòd natura huma-

humana in Christo Domino nostro, supra omnes Angelorum choros, usq; ad thronum gloriæ, ad dexteram cœlestis Patris sit exaltata.

Conditio hominis præsens est, pronitas ad malum & peccatum, & multæ miseriæ vitæ ipsius: tandem mors, quam sequitur judicium DEI, tandē vel infernus, vel gloria cœlestis.

Modus meditandi Sacram Scripturam.

FRequens est in nostra Religione usus considerandi Sacram Scripturam: partim cum super Evangelia pro diebus Dominicis, & Festis Sanctorum meditationes leguntur: partim cūm pro præparatione ad Sanctissimæ Eucharistiæ sumptionem; punctum aliquod ex Evangelio currentis Festi, vel diei Dominicæ consideratur. Igitur, ut cum majori fructu istæ meditationes circa Sacram Scripturam fiant, *Sciendum* nobis est, *Verborum S. Scripturæ esse multiplicem sensum:* primò *Literalem*: deinde *triplicem Mysticum seu spiritualem*; videlicet, *Tropologicum seu Moralem, Allegoricum & Anagogicum.*

Sensus Literalis Significatur per verba, aliquādo secundum propriam significationem; ut dum dicitur, DEUS judex, justus, fortis, & longanimis. Aliquando, secundum significationem figurativam, seu metaphoricam; ut cum de Christo Domino dicitur, Quòd sit Leo: quia est fortis: vel Petra; quia est immobilis, & constans: vel Agnus; quia mansvetus,

Sensus Tropologicus seu Moralis est, quando res

res dicta vel facta, dat nobis exemplum, quid agere debeamus. *Allegoricus est*, quando res aliqua gesta, est figura, vel signum alicujus, quod fiet in Ecclesia, vel Christi Domini. *Anagogicus est*, quando illa, quæ geruntur hîc in Ecclesia, sunt signum illorum, quæ erunt in gloria. Itaq; quando aliquæ sententiæ in Sacra Scriptura, non possunt, secundùm proprium sensum verborum accipi, sed exponendæ sunt vel de Christo, vel de Ecclesia; *hic sensus est Allegoricus*; vel de virtutibus, ac moribus hominum Christianorum, sicut multæ parabolæ Christi, & multæ cerimoniæ veteris testamenti; *hîc sensus dicitur Anagogicus*. Patet hoc, in hoc nomine *Jerusalem*, quod in multis Sacræ Scripturæ sententiis intelligitur *de civitate*, quam inhabitavit populus Judæorum; & & hic *sensus est literalis*. In quibusdam verò sententiis intelligendum est, de *Ecclesia Christi*, sic sensus est *Allegoricus*. In aliis sententiis *de anima Fideli* quæ est spiritualis civitas, in qua habitare oportet justitiam & sanctitatem; & sic sensus *Tropologicus*. Deniq; in nonnullis sententiis intelligendum est *de cœlesti civitate*, quæ dicitur nova civitas *Jerusalem* & iste sensus est *Anagogicus*. Inter hos Sacræ Scripturæ sensus, Literalis & Tropologicus competit Incipientibus. Allegoricus verò & Anagogicus Proficientibus & Perfectis.

CAPUT VI.

De Quarta parte Orationis Mentalis, quæ est Gratiarum actio.

HActenus dictum est de pia intellectus exercitatione, seu de intellectiva Oratione: nunc autem agendum est, de voluntatis devoto exercitio, quod fit per affectus in quo consistit affectiva Oratio.

Est autem affectus, inclinatio seu motus appetitûs, quo aliquid prosequimur vel vitamus. Hîc *appetitus* est in nobis *duplex: Sensitivus*, qui sequitur sensuum apprehensionẽ;& *Rationalis*,qui sequitur intellectûs cognitionẽ, & qui dicitur volũtas; *duplices quoq; sunt in nobis affectus*; voluntatis scilicet,& sensitivi appetitus. *Affectus voluntatis*,est inclinatio seu motus ad aliquid,quod intellectus judicat conveniens: vel aversio ab aliquo, quod intellectus decernit inconveniens: qui affectus fit sinè ulla immutatione corporis; quia est actus spiritualis, & à potentia spirituali procedit, & in ea recipitur. *Affectus appetitus sensitivi*, est inclinatio, seu motus ad aliquid, & aversio ab aliquo quod sensus internus conveniens, vel inconveniens judicat: qui motus fit, cum immutatione corporis; & propterea passio vocatur. *Sunt* autem *Passiones in nobis undecim*; videlicet, Amor, desiderium, Gaudium seu Delectatio, Odium, Fuga, Tristitia, Spes, Desperatio, Audacia, Timor & Ira. *Totideq; sunt affectus voluntatis,qui iis nominibus appellantur:* Nã voluntas, dum sibi in bono complacet, & est Amor; aut appetit bonum absens, & est desiderium; aut in bono adepto quiescit, & est Delectatio; aut malum ei displicet, & est Odium; aut renuit adhærere

hærere illi, & est Fuga; aut si præsens est invita sustinet, & est Tristitia: similiter voluntas, aliquando appetit bonum futurum difficile, sed adipisci possibile, & est Spes; vel ad illum consequendum, per cōveniētia media se erigit, & est Audacia; quod si bonum aliquod consequi non possumus, nec evadere malum, est Desperatio; si verò instat malum, quod vitari non potest, est Timor; deniq; si excandescimus, ob injuriam nobis illatam ad inferendam à nobis vindictam, est ira.

Et quoniā per Meditationē excitandi sunt affectus voluntatis nostræ, ad bonū prosequendū, & ad malū fugiendum; hoc est, ad Desideriū boni, & Odiū mali: ideò in quacunq; Oratione, hos præcipuè affectus exercere debemus, primò Odii alicujus vitii: deinde amoris & desiderii virtutis illi vitio contrariæ. Primò enim debet esse recessus à malo; postea accessus ad bonum. *Et Incipientes quidem*, quorum munus est Purgatio animæ, debent in suis orationibus concitare in voluntate odium peccatorū, atq; dolorem; postea desiderium emendationis, fugæ peccatorum, exstirpationis vitiorum, mortificationis, & pœnitentiæ externæ, seu afflictionis corporis sui; tandem faciant gratiarum actionem Divinæ Majestati, quòd eos per suam bonitatem, tamdiu in mundo sustinuit, nec eos in gehennam misit, & pro aliis beneficiis.

Proficientes quoq; hoc idem facere debent; primò commoveant in voluntate odium suorum vitiorum & defectuum: deinde amorem, & desideriū

virtutum oppositarum: ut, si quis consideraret humilitatem, Obedientiam, Paupertatē, Patientiam, & alias virtutes Christi Domini nostri, agnoscens, quod ille sit superbus, inobediens, impatiens, &c. tunc concipiendum esset ei odium istorum vitiorum: deinde amor & desiderium illarum virtutum, quas in Christo cognovit, ut ipsum imitetur. Hinc Gratiarum actionem Redemptori nostro instituere pro illius humilitate, obedientia, patientia, & aliis virtutibus, quarum nobis exemplum reliquit, & pro omnibus aliis beneficiis *Similiter & Perfecti* suas imperfectiones advertentes habebunt justam causam, ad odium suarum imperfectionum, & ad desiderium vitandi ea, quæ displicent DEO, & quæ illos ad intimam unionem cum DEO impedire possunt.

Ut autem vehementiùs & efficaciùs concipiamus odium alicujus vitii nostri, expendenda est natura ejus, proprietates, & motiva; quæ jam sunt suprà posita de modo meditandi de vitiis, & ex his facienda est *dilatatio odii* per *Accusationē sui* coram Divina Majestate: per *Admirationem*, per *Confusionem*, per *Reprehensionem sui*, per *Expostulationem*, per *Exsecrationē*, per *Abominationē*, quæ est ipsum odiū, quod subsequitur *dolor*, *spes*, & *propositū vitandi illud vitiū*; seu ut odiū majus habeamus vitii cujuspiā, ante ipsum actū odii, præmittuntur isti actus, videlicet, Accusatio sui, Admiratio, Confusio, Reprehensio, expostulatio, Exsecratio.

Post

Poſt tale exercitium affectus odii, exercendus erit affectus amoris, & deſiderii virtutis illi vitio oppoſitæ, quod deſiderium, ut ſit cum majori efficacia & fructu, debemus cognoſcere naturam ejus, proprietates, & motiva,de quibus ſuprà dictum eſt de modo meditandi, de virtutibus; ex quibus dilatabitur affectus deſiderii illius virtutis: quia, ſcilicet, juſtum & æquum eſt, ut ita faciamus, ut pro vitio per virtutem DEO â nobis læſo, ſatisfaciamus quia eſt honeſta, neceſſaria, utilis, jucunda, & DEO placens, & propter exemplum Sanctorum, præſertim Chriſti Domini noſtri.

Primus modus dilatandi affectum odii per Accuſationem ſui:in qua accuſabimus nos corã DEO, de vitiis & peccatis, cum aliqua exaggeratione recenſentes frequẽtes lapſus in peccata vel tale peccatũ,diuturnitatẽ temporis, in permanẽdo in illo,negligentiã in eo vitãdo,& varios actus illius peccati.

Modus autem Accuſationis poterit eſſe hujuſmodi, Fateor,Domine DEUS meus, & me accuſo, quia adverſum te peccavi, & te his vitiis peſſimis NN. vel hoc vitio N. offendi quod feci non ſemel, ſed iteratò, & ſæpiſſimè, ita ut videar ex inolita conſvetudine peccare.

O quàm dudum his vitiis laboro? ô quot jam menſes, quot anni, quot ætates tranſierunt, ut in hoc vitiorum cæno hæreo! nec ullam vim mihi in illis evitandis adhibeo; quia etiam ipſe occaſiones ad ea perpetranda ex induſtria quæro; aut etiam oblatas admitto. Hinc fit, ut, quotquot iſtorum

vitiorum actus dantur, hos ego vel omnes, vel multos commiserim, & adhuc committam.

Notandum quòd hæc, exempli gratiâ, posita sunt, quibus unusquiq; secundùm suæ conscientiæ notitiam, & veritatem utatur.

Quòd si quis videns Christi Domini virtutes, in se verò agnoscit contraria vitia, tunc seipsum sic, vel modo simili accusabit. Heu me miserum! qui tam longè sum ab exemplo tuæ hujus virtutis, v. g. Humilitatis, qui sæpiùs te per meam superbiam offendo; qui nullam vim mihi adhibeo, ut exemplo tuo, sim humilis, de quo me coram Divina tua Majestate accuso.

Secundus modus dilatandi odium est, per Admirationem. Fit autem admiratio propter magnitudinem alicujus rei; vel quia est aliquid rarum, inusitatum, inauditum, ultra spem, & opinionem humanam.

Sunt autem modi Admirationis. O quanta mea, & quàm intoleranda malitia fuit, per quam adeò gravia & innumera peccata in te DEUM meum perpetravi! ô quis non obstupescat super hanc enormitatē & multitudinem iniquitatū mearum? ô quanta bonitas tua, Domine DEUS meus! ô quàm inaudita miseratio tua, per quam mihi tam diu pepercisti:

Tertius modus per Confusionem, Quæ fit propter defectum timoris DEI, in cujus oculis homo peccat: propter ingratitudinē erga DEUM: & quòd videat homo Filiū DEI, tam humilem, obedientem, patien-

patientem, ipſe verò ſit ſuperbus, impatiens, inobediens, &c.

Sunt autem modi Confuſionis: Pudore ſuffundor, quia peccavi coram te; quoniam tu præſens eras, & oculi tui ſuper me, quando ego transgrediebar legem tuam.

Confundor, Domine, de tanta impietate, quòd auſus ſum, tuam infinitam lædere Bonitatem, & offendere te amabiliſſimum Patrem, & ſummũ Benefactorem meum.

Erubeſco, quòd propter viliſſimas creaturas te DEUM infinitæ magnitudinis, potentiæ, dignitatis ſæpiùs contempſi.

Pudet me, Domine, dum te video humilem, obedientem, patientem, &c. ego autem ſum ſuperbus, inobediens, impatiens, &c.

O me impudentem hominem, qui tantam humilitatem Domini mei cernens, ego ſuperbiam meam non deſero!

Verè ego ſum perfrictæ frontis homo, qui videns Dominum altiſſimæ Majeſtatis ſic humiliatum; ego tamen adhuc vilis creatura ſuperbire audeo.

Quartus Modus per Reprehenſionem. Quæ ſit propter rem tam fædam & abominabilem, & quæ dedecet hominem; propter tantam impietatem, & ſcelera, propter quæ homo quilibet vituperio & omni pœnâ dignus eſſe cenſetur. Hæc Reprehenſio poteſt fieri propter illa, quæ ſunt ſuprà dicta, de modo meditandi de vitiis, ſcilicet, quòd vitium, ſit inhoneſtum &c.

Sunt autem Modi Reprehensionis. Jure me reprehendere debeo in conspectu tuo, Domine DEUS meus: meritò me arguere, vituperare, objurgare, tanquam hominem nequam, impium, & sceleratum, qui non sum veritus rem tam fædam, & abominabilem, prout est quodlibet peccatum, & quæ dedecet me ratione Te à DEO Conditore meo ornatum, committere; meritò acriori reprehensione, & vituperio, immò & pœnâ acerbissimâ me dignum esse censeo. Fateor nihil mihi deberi, nisi afflictiones, opprobia, immò omnes totius mundi ac inferni cruciatus, atq; tormenta.

Verè non sum dignus premere terram pedibus meis, Cœli pulchritudinem oculis contemplari, & inter homines communem ducere vitam.

Quintus Modus per expostulationem. In qua conqueritur homo, apud seipsum de damnis, quæ affert nobis aliquod vitium: hæc damná recensentur suprà de modo meditandi de vitiis, ubi ostensū est, quòd vitium sit inutile & insvave.

Sunt autem Modi Expostulationis. Heu me miserū, quid ego feci; qui te Dominū meū offendendo, non tantùm te injuriâ infinitâ affeci, sed etiam mihi gravissima damna intuli? quia tuam gratiam & amicitiam amisi, Cœli aditum mihi præclusi; portam inferi mihi reseravi; & mancipium diaboli me feci.

Hei mihi, quid lucri habeo, de mea superbia, per quam DEI inimicus factus sum, & mihi injurias, ut poté ipse auctor pænarum æternarum, ineffabiles feci!

Heu

Heu me infelicem, quid ago, quòd tantâ animæ meæ damna, quæ illinc ſequuntur parvi pendo?

Sextus Modus per Exſecrationem, Quæ eſt quaſi ejuratio alicujus vitii, ſeu abominatio tanquã rei maledictæ, Bonitati Divinæ contrariæ, DEO inviſæ & injurioſæ.

Sunt autem Modi Exſecrationis. Exſecror, Domine mi, ex amore tui, omnia ſcelera mea, vel ſuperbiam meam; quia eſt tuæ Bonitati, vel humilitati contraria.

Sint maledicta peccata omnia; quia tibi Domine mi, inviſa ſunt, & injurioſa.

Pereat de terra universũ peccatum, vel ſuperbia.

Septimus Modus per Actus ipſius Odii. eſt autẽ odiũ, quædã diſplicentia, & averſio animi à malo.

Poteſt autem Odium ſic exerceri. Jam mihi diſplicent omnia peccata mea; vel ſuperbia: quia tibi diſplicet.

Deteſtor, abominor, odio habeo omnia ſcelera, vel ſuperbiam: quia tu Domine mi, eadem odio habes; & quia ſunt offenſa tua; abhorreo ab illis propter te.

O utinam priùs occubuiſſem, quàm peccaſſem! ô utinam te per ſuperbiam nunquam offendiſſem!

Octavus Modus per actus doloris ejuſmodi. Doleo, Dulciſſime DEUS meus, ex puro amore tui, quòd unquam offenderim te peccatis meis multis; vel ſuperbia.

Pœnitet me graviter peccatorum meorũ: quia te DEUM meũ ſummè dilectum, & infinitè bonum offendi.

Nonò post hæc Spes veniæ elicietur. Et quamvis me terreant ſcelera mea, & pœnas mihi æternas inferni minentur: nihilominùs quia credo infinitè majorem tuam eſſe bonitatem, quàm meam malitiā; ideò confido in hac tua bonitate, quia veniam indulgebis: immò ſi ſolus ego omnium peccatorum, quæ ab ineunte mundo commiſſa fuêre, reus eſſē, tu benigniſſime Domine, libenter ignoſceres.

Spero, ò Domine infinitæ miſericordiæ, quòd facies mecum miſericordiam, & veniam dabis meæ ſuperbiæ.

Deinde fiat Propoſitum emendationis. Nolo te, dulciſſime Domine mi, ampliùs offendere tuâ Divinâ adjutus gratiâ, in qua ſola confido, & quam humiliter à te peto.

De Modo dilatandi amorem, & deſiderium alicujus virtutis.

AMor nihil aliud eſt, quàm complacentia & converſio voluntatis ad aliquod bonum, ſeu virtutem amplectendam.

Amamus verò & deſideramus aliquod bonum, vel virtutem; quia eſt res excellens, ſeu præſtātiſſima, & honeſta, neceſſaria, utilis, jucunda, pulchra, DEO grata, & propter DEI voluntatem, atq; ob exemplum Chriſti Domini noſtri & Sanctorum.

Sunt autem modi Amoris. Placet mihi mirū in modum hæc virtus.

Æſtimo, appretio, & amo ſummoperè hanc virtutem.

Toto corde & voluntate propenſum me ſentio in hanc virtutem. Amo

Amo ex animo & amplector hanc virtutem.

Modi verò Desiderii sunt.

DEsidero ob amorem tuum, Benignissime JESU, humilis esse.

O si jam incipiam te in hac virtute humilitatis imitàri, prout summoperè percupio.

Verè justum & consentaneum est, ut ita faciam; ut per humilitatem pro vitio superbiæ, quo te sæpissimè offendi, tibi aliquam satisfactionem exhibeam. O quando id faciam?

Utinam auferatur à me cæcitas mentis, ut cognoscam hanc virtutem esse mihi ad salutem maximè necessariam!

O quantus tepor meus, quòd negligam hanc virtutem, adeò mihi utilem ad exstirpandum elationis vitium, & ad perfectionem acquirendam!

O quando istam virtutem sedulò exercebo, sicut hominem ratione præditum decet, & amplectar tanquam rem præstantissimam, excellentissimam, honestissimam & omni laude & amore dignissimam? O quid ago?

Cur non quæro, illam jucunditatem, tranquillitatem, & puram delectationem, quam exercitium hujus virtutis animo nostro afferre solet?

Cur tam parui æstimo gemmam istam pretiosissimam & pulcherrimam, Deoq; gratissimam, quæ est singulare ornamentum animæ nostræ?

O quando tibi, Domine mi, per hanc virtutem placebo, sicut placuit tuæ Divinæ Majestati, Beatissima Virgo, & multi alii Sancti, cujus tu exem-

plum

plum nobis dedisti? pro quo sis infinities benedictus.

Gratiarum actio.

HÆc consistit in affectibus gratitudinis: erga DEUM excitandis, & amoris, & laudis DEI. Debemus autem gratias agere primò pro illo beneficio, quod in meditatione occurrit: deinde pro aliis beneficiis DEI, ut Creationis, Conservationis, Redemptionis, Vocationis ad fidem Catholicam, & ad Religionem Sanctam, & pro omnibus, tam pro naturalibus, quàm pro supernaturalibus donis.

Modus Gratiarum actionis.

INfinitas tibi gratias ago v. g. pro crudeli Flagellatione; vel spinea Coronatione; vel Crucis bajulatione, & pro omnibus doloribus tuis, quos pro nobis pertulisti & pro tua humilitate, quam tunc ostendisti, similiter tibi infinitas ago gratias, & pro aliis beneficiis in me collatis, præsertim pro beneficio Creationis, Conservationis, Redemptionis, Vocationis ad Fidem, & Religionem Sanctam. Itaquè pro omnibus his beneficiis, gratiis, & donis infinitas tibi gratias ago, ô æternum bonum meum! quin infinita corda habere vellem, ut iis omnibus opulentissimam misericordiam tuam, charitatem, & bonitatem decantare, ac celebrare queam. Reliqui actus laudis ponuntur infrà in exemplo Orationis Mentalis. *Fer: 2.* de *Odio Peccati pag: 86. & 109.*

CAPUT

CAPUT VII.

De Quinta & Sexta parte Orationis mentalis de Oblatione & Petitione.

QUia gratitudinis virtus gratiam referre molitur: ideo gratiarum actionem sequitur Oblatio, per quam homo gratiam Domino DEO, pro beneficiis ejus, rependere conari debet. Et imprimis offerre Personam Christi Domini nostri, ac Beatissimæ Virginis, & omnium Sanctorũ, cum eorum meritis, ac universa corda, quæ DEO unquam placuerunt, placent, & placebunt.

Deinde seipsum cum omnibus cogitationibus, verbis, & operibus suis in hostiam laudis, & gratiarum actionis.

Præterea proponere aliquam passionem, magis molestam mortificare: vel in virtute aliqua magis necessaria sibi, tam per internos, quàm per externos actus sese exercere. Faciendo autem hæc proposita; possunt statim actus interni virtutum propositarum exerceri. Sed hoc advertendum est, nè id solùm ore tantùm fiat: verùm ut ab initio cordis affectu procedat. Nam signum veræ hujus oblationis est, si quis postmodùm, occurrentibus occasionibus, virtutem propositam, propter DEUM, exerceat.

Modus Oblationis.

VErùm ut tuæ infinitæ Charitati, & beneficiis tuis aliquatenus reciprocâ gratitudine respõdeã, cùm nihil habeã, quod tibi digniùs offerã præter teipsum, igitur quo pacto possũ, offero, tibi infini-

infinitam tuam Divinitatem, immensas perfectiones tuas, & omne bonum quod habes, & illud totum, quod es. Offero tuam sanctissimam Humanitatem, tuamq; Sacratissimam Passionem & omnia merita tua: offero Beatissimam Virginem, omnes Angelorum Hierarchias, & Beatorum omnium, atq; justorum animas. Offero universa corda, quæ tibi unquam placuerunt, placent, & placebunt. Deniq; offero meipsum totum corpus & animam, cum omnibus potentiis viribusq; suis, totum esse meum totamq; vitam, ac æternitatem meam, omnes quoq; cogitationes meas, singulas actiones, minimosque motus: vellem quoties respiro, ferventissimos amoris tui actus exhalare, ut tantæ charitati tuæ possem, aliquatenùs gratitudine mutuâ respondere. Præterea firmiter statuo fidelissimè tibi servire, & propter te summè dilectum hanc Passionem N. mihi magis molestam mortificare, & in hac virtute N. me exercere.

Sexta Pars Orationis Mentalis Petitio.

IN hac parte petendum est auxilium DEI, ad acquirendam virtutem propositam, & passionem superandam.

Petenda quoq; est peccatorum venia, & vitæ emendatio, & universa bona illa, quibus egemus ad vitam æternam consequendam; præsertim, ut serviamus Domino DEO secundùm nostram vocationem. Præterea petendum est cum Obsecratione. Est autem Obsecratio per sacras res, videlicet, per merita Christi, & aliorum Sanctorũ, & ipsam DEI Bonitatem, petitio.

Deinde

Deinde orandum eſt pro tota Eccleſia, ac univerſo genere humano.

Inſuper petendum eſt cum fide, ſancta fiducia, piè, perſeveranter; & illa, quæ ad ſalutem ſunt nobis neceſſaria.

Modus Petitionis.

VErùm quia ſinè te nihil prorſus facere poſsū, Domine ideò rogo te per tuā infinitam Bonitatē, & Miſericoridam; per tua Sacratiſſima vulnera, &c. adjuva me, & gratiam concede, ut hæc propoſita mea adimpleam, quàm perfectiſſimè. *Reliqua habentur pag: 92. 94. & III.*

Poſt Orationem hæc ſervanda.

P*Rimò*, Renovanda ſunt propoſita.

Secundò, Notanda puncta, quibus aliquis fuit permotus ad bonos affectus.

Tertiò, Eadem puncta ſæpiùs, per diem in memoriam renovanda, ut unuſquiſq; ad propoſitorum executionem facilis incitetur:

Quartò, Ut affectus concepti in oratione diu conſerventur, cavenda eſt oculorum immodeſtia, & verba inutilia.

Notandum. Quòd licet per hæc, quæ hactenus dicta ſunt, demonſtratum ſit, qui affectus circa malum aliquod, vel vitium, & circa bonum, vel virtutem haberi poſſunt: cavendum tamen in affectuum inquiſitione & ampliatione; nè artificiosè, & det induſtria, conquirantur, ſed ita recipiantur, prou Dominus DEUS illos nobis communicare, dignabitur, qui per ſimplicitatem, & voluntatis abun

dan-

dantiam potiùs, quàm arte Rhetorica fovendi ſunt, multos virtutum actus, & benè vivendi propoſita concipiendo.

EXEMPLA
Orationis Mentalis.

TYronibus hujus exercitii ſpiritualis, ſeu ſtudii Orationis Mentalis, non ſatis eſt dare præcepta, ſecundùm quæ debeant facere hanc Orationem; ſed neceſſe eſt proponere illis ob oculos, ipſa exempla ejuſmodi Orationis, ut alienâ operâ ad tempus aliquod utentes, faciliùs poſtea ipſimet cum fructu inſigni animæ ſuæ, ad normam ſibi iam notam, Orationem mentalem inſtituere poſſint. Itaq; dabuntur hic exempla pro Incipientibus, qui ſunt in via purgativa, quorum munus eſt purgare animam; ad quod juvabit eos cognitio ſui, Odium peccati, inſtitutio bonæ & ſpiritualis vitæ, contemptus ſui, Timor DEI, Mortificatio ſeu caſtigatio ſui, Puritas cordis, vitiorum extirpatio. Ideò propter illos exempla Orationis Mentalis per Ferias diſpoſita ponũtur; imprimis pro tempore veſpertino, de Odio peccati, de vita benè ſeu ſpiritualiter inſtituenda, & de aliis ſuprà dictis: pro tẽpore verò Matutino de ſeptem vitiis capitalibus extirpandis & ſimul de virtutibus his vitiis oppoſitis,

Præmonentur autẽ hic Incipientes, ut à principio tam manè, quàm veſperi, faciant Orationem de Odio peccati, ſaltem per unum Menſem, poſtea facient per menſes aliquot ordine præſcripto, donec fuerint diſpoſiti ad viam Illuminativam, mortificatis ſenſibus,

ſenſibus, & paſſionibus. & vitiis extirpatis; ita ut non tantùm gravia peccata, ſed etiam venialia facilè vitent.

Pro Proficientibus unum & alterum exemplum proponetur: præſertim pro matutino tempore. Nam veſpertinæ Orationis exemplis poterunt etiam Proficientes & Perfecti uti. In qualibet enim via, debemus odium habere noſtri & peccati, ſanctè vivere, contemnere nos ipſos, DEUM timere, nè unquam eum offendamus, & ab illo ſeparemur, à mortificatione & pœnitentia nunquam ceſſare, & puritati cordis acquirendæ ſemper incumbere.

Qui vult citò proficere, in hoc exercitio Orationis præſertim Incipientes, habeant jam memoriæ impreſſum modum hìc datum Præparationis, Gratiarum actionis, oblationis & Petitionis, quibus ſemper uti poſſunt in qualibet Oratione. Totum negotium erit noſtrum in Meditatione, in qua habentes jam modos perſpectos hìc datos, nihil difficultatis ſentiemus, ſi diligentiam adhibere voluerimus, in repellendis vanis cogitationibus: ubi ita nos geramus, prout ageremus, dum aliquod negotium maximè neceſſarium, & magni momenti tractaremus: ut, ſi literas ad aliquem Principẽ ſcriberemus. Itaq; dum ad locum Orationis venimus, rejiciamus tunc omnes curas, & officia nobis commiſſa, cogitantes tantummodò illa, quæ tempus & locus à nobis tunc requirit: hoc eſt, de Præparatione ad orationem faciendam, ſi nondum illam fecimus: poſtea conſideremus punctum Meditationis aſ-

 ſum-

ſumptū, in qua conſideratione perſiſtamus, donec notum ſit nobis, quod malum ſit nobis vitandum, vitiumq; evellendum, & quod bonum ampleẞendū, ſeu in cujus virtutis cultum ſedulo incumbendum. Deinde facta meditatione, accedemus ad Colloquiū cum DEO, in cujus principio ponatur illud, quod in conſideratione fuit, videlicet: Si quis conſideravit damna peccati & injuriam DEI, ponat hoc in principio Orationis: ſi verò conſideravit aliquod myſterium Paſſionis Domini noſtri, cujus cauſa peccatum noſtrum fuit, inde incipiat Orationem ſuam: ſi aliquam virtutem Chriſti Domini noſtri, hoc ponatur primò inchoando Colloquium cum DEO: poſtea Accuſatio ſui, & reliqua juxta formas & modos, in variis exemplis ſequentibus præſcriptos. Sic igitur dum faciemus diligenter id quod ad nos pertinet, aderit nobis Clementiſſimus DEUS, illuminando nos ad cognoſcendum in quo emendare vitã noſtram, quos defectus corrigere, cujus virtutis exercitio magis incumbere debeamus, & inflammãdo voluntatem noſtram ad deſiderandum eadem & perficiendum.

EXEMPLUM
Orationis Veſpertinæ.
PRO FERIA SECUNDA
De Odio Peccati.

UT Odium & veram abominationem peccatorum habeamus, conſideremus ea, quæ de modo meditationis, de vitiis ſunt dicta, præſertim proprietates vitiorum, maximè injuriam & offenſam

offensam DEI infinitam, & animæ nostræ damna, ex quibus incitamenta ad hoc odium, & ad desiderium emendandi vitam percipiemus. Ut autem hoc odium sit magis efficax facta in principio Orationis, seu Colloquii cum DEO commemoratione injuriæ DEI, cui addatur Admiratio super infinitam bonitatem DEI, fiat Accusatio sui, Admiratio, Confusio, Reprehensio, Expostulatio, Exsecratio, Abominatio. Dolor de peccatis, Spes Veniæ: postea desiderium fugiendi peccata, afferendo rationes istius fugæ, tandem Gratiarum actio, Oblatio, & Petitio, secundùm hanc vel similem formam.

COLLOQUIUM CUM DEO.

Commemoratio injuriæ DEO per peccata factæ.

O Dulcissime Domine JESU Christe, Judex supreme, & super omnia tremende, cui ego semper maximam injuriam irrogavi, quoties in te, & coram te peccavi: dum te Creatorem, Redemptorem, ac Benefactorem meum super omnia colendissimum, & amandum offendi: quandoquidem tunc infinitam Majestatem tuam contempsi, ineffabilem Potentiam tuam vilipendi, inæstimabilem Sapientiam tuam inhonoravi, tuam immensam Bonitatem pro nihilo duxi.

Admiratio super Bonitatem DEI. O quanta Clementia tua, Domine DEUS meus, erga me peccatorem hactenus fuit! eò quòd me in oculis tuis peccantem patienter sustinuisti, nec pro injuria tua infinita, justam vindictam de me sumpsisti.

Accusatio sui. Heu me miserum, qui à primo

rationis usu nihil boni feci, sed multa mala, & scelera in te, DEUS meus, commisi. Nam quod est præceptum, quod ego non fregerim? quod peccatũ, quod ego non perpetraverim? quod flagitium, quod non admiserim? Non dilexi te ex toto corde, ex tota mente, ex omnibus viribus meis. Non dilexi proximos meos tanquam me ipsum; quorum aliquos etiam hodio habui, & malum illis concupivi, & aliquando feci. Mandata tua multoties prævaricatus sum. Beneficiis tuis, & tam naturæ, quàm gratiæ Donis, ad tuam offensam, frequenter abusus sum. O quoties per sensus meos externos & internos, per judicium, voluntatem, & amorem proprium, per indomitas passiones, & inordinatos affectus turpiter peccavi! O quoties per cogitationes malas, stultas, insanas, per desideria impia, effrenata & perversa per locutiones meas mendaces, noxias mordaces, per opera diversa injusta, flagitiosa, iniqua, graviter in te DEUM meũ deliqui! O quoties per septem capitalia peccata, & novem aliena, per transgressionem votorum meorum, Regulæ Ordinis nostri, Constitutionum, & Observantiæ Regularis, ac per infinita alia peccata, quæ multiplicata sunt super capillos capitis mei, & super numerum arenæ maris, tuam Majestatem Sãctissimam ad iracundiam peccando provocavi!

Admiratio super malitiam nostram. O quanta mea, & quàm intoleranda malitia fuit per quam adeò gravia & innumera peccata, in te Dominum meum infinitæ magnitudinis, perpetravi: O quis

non

non obſtupeſcat, ſuper hanc enormitatem, & multitudinem iniquitatum mearum?

Confuſio Equidem pudore ſuffundor propter tantam rei indignitatem: quòd ego tam vilis creatura, contra te Creatorem meum, ſervus contra Dominum Altiſſimum, ingratus cliens contra Benefactorem ſummum peccãdo inſurrexi. Confundor, Domine, de tanta impietate, quòd auſus ſum tuam infinitam lædere bonitatem, & te amabiliſſimum Patrem offendere. Erubeſco, quòd propter viliſſimas creaturas, te DEUM infinitæ Potentiæ, Dignitatis, Excellentiæ ſæpiùs contempſi. Pudet me vehemẽter, quoniam expers timoris tui, in oculis tuis peccavi, & malum coram te feci.

Reprehenſio ſui. Ac proinde meritiſſimo jure reprehendere me debeo in conſpectu tuo, Domine DEUS meus: meritò me arguere, vituperare, objurgare, tanquam hominem nequam, impium, & ſceleratum, qui non ſum veritus rem tam fædam & abominabilem, prout eſt quodlibet peccatum, & quæ dedecét hominem ratione â te Creatore ſuo ornatum, committere. Meritò acriori reprehenſione & vituperio, immò & pœnâ acerbiſſimâ me dignum eſſe cenſeo. Fateor, nihil mihi deberi niſi afflictiones, opprobria, & omnes totius mundi, ac inferni cruciatus atq; tormenta. Verè non ſum dignus premere terram pedibus meis, Cœli pulchritudinem oculis contemplari, & inter homines communem ducere vitam.

Expoſtulatio. O me infelicem! quid lucri ha-

beo de meis vitiis & peccatis? quibus non tantùm te Dominum meum infinitâ injuriã affeci; ſed etiã mihi ipſi graviſſima damna feci; me ipſum Divino conſortio privavi: DEI gratiam & amicitiam amiſi: Cœli aditum mihi præcluſi: portam inferni reſeravi: & mancipium Diaboli me effeci. O inſipientiam meam totius mundi irriſione dignam!

Execratio. Exſecror, Domine mi benigniſſime, omnia ſcelera mea,nõ tã ideò,quia mihi ſunt noxia; ſed quia tibi Dño meo ſunt odioſa & injurioſa. Exſecror illa, quia ſunt tuæ Bonitati, & Honori tuo Divino contraria. Sint maledicta in æternum.

Abominatio, ſeu ipſius Odii Actus. Diſplicent mihi valdè: abominor illa, deteſtor & ſummo odio habeo, plûs quàm omne malum cujusvis pœnæ,tã temporalis quàm æternæ, quia ſunt offenſa tua. O utinam nunquam te offendiſſem! Utinam priùs occubuiſſem, quàm peccaſſem!

Dolor de peccatis. Doleo ex amore tui, quòd unquam offendi tê infinitè bonum, atq; ſummo amore dignum. Doleo ex toto corde non quia immenſas pœnas promerui, ad quas etiam tibi ſi placeret me mittere, libenter eas pro tuo Honore, & Beneplacito acceptarẽ. Non quia ſempiternâ ignominiâ, & infamiâ dignus factus ſum, cui etiam, ſi volueris, me ſubmitto. Sed quia te DEUM Sanctiſſimum, Patrem piiſſimum, Redemptorem benigniſſimum offendi: quia te, quem nunc unicè diligo, & revereor,contempſi: quia tibi graviſſimê diſplicui,& tuam indignationẽ provocavi.

Spes

Spes veniæ. Et quamvis terreant me peccata mea, & pœnas æternas mihi minentur: nihilominûs quia credo infinitè majorem tuam esse Bonitatem, quàm meam malitiam: ideò spero in hac tua bonitate, quia veniam indulgebis. Immò si solus ego omnium peccatorum, quæ ab ineunte mundo commissa fuêre, reus essem, tu, benignissime Domine DEUS meus, libenter ignosceres. Ego autem omnia & singula peccata, atq; delicta mea, depono in charissima vulnera tua, & pretiosum Sangvinē tuum: proiicio in immensum ignem amoris tui: demergo in exuberantium meritorum tuorum pelagus: & abscondo in abysso infinitarum misericordiarum, & miserationum tuarum, ut ibi, per merita sanctissimæ Humanitatis tuæ, & acerbissimæ Passionis, nec non per merita, & preces Beatissimæ Matris tuæ Virginis MARIÆ, Beatorumq; Angelorum, & omnium Sanctorum, ac electorum tuorū expientur, absorbeantur, & in nihilum redigantur.

Desiderium pœnitentiæ & fugiendi peccata. Jam veram agere pœnitentiam, & pro delictis meis, tuisq; offensis, benignissime Domine, lacrymas copiosas fundere desidero. O quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut plorē die ac nocte meam erga te ingratitudinem, meam iniquitatem? Quis dabit mihi intimos gemitus, & suspiria cordis? quis me planctum, & lamenta amara edere docebit? O utinā fiant mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte! Utinam continuò exitum aquarum deducant oculi mei, quia non custodierunt le-

gem tuam! Utinam, & millies utinam totum mare versum in lacrymas, per oculos meos ducere possem, ut aliquatenus meam à te aversionem, & infidelitatem tibi compensarem. Equidem Beati Petri, & S. Mariæ Magdalenæ, cæterorumq́ omnium verè pœnitentium, contritionem & dolorem semper habere percupio. Jam desidero, ob amorem tuum, fugere omnia peccata. Utinam non ampliùs te offendam? Utinam nullum delictum committam, quod non solùm est turpe, fædum, & abominabile, sed etiam perniciosum: quod non solùm turpiter fædat animam meam, verum etiam cruciat & ad barathrum præcipitat! O si jam nunquam transgrediar mandata tua, sicut hactenus feci, nè tuam Divinam Majestatem injuriâ afficiam!

Gratiarum actio.

ET quoniam hucusq; mihi pepercisti, & me hactenus te offendentem, & ad iram provocantem tolerasti, nec pœnis æternis, prout merui addixisti, multisq; modis, ac beneficiis ad te revocasti. Quoniam gratiam & opportunitatem, & tempus ad pœnitentiam mihi indulges: & nunc de peccatis meis contritionem, & firmum propositum ea cavendi donasti, fiduciamq; impetrandi â te, non solùm de illis veniam, sed etiam gratiam & gloriã, infudisti: ideò immensas tibi, ô Dulcissime Domine JESU, gratias refero, teq; in æternũ glorificare volo.

Præterea gratias tibi infinitas ago, & pro aliis innumeris immensisq; beneficiis, quæ ex momento

conceptionis meæ, usq; in hanc horam de tua benignitate suscipio; pro infinitis quoquè, quæ usque in finem vitæ meæ, ac per totam æternitatem meã sum accepturus.

Specialiter verò gratias tibi ago pro ineffabili beneficio prædestinationis: quia me sinè ullis meis præviis meritis ab æterno amasti, elegisti, ac prædestinasti vocare, justificare, & glorificare, prout spero in bonitate tua, & meritis tuis.

Et pro beneficio Creationis: quia me ex nihilo creasti creaturam rationalem, ad imaginem & similitudinẽ tuam, atq; æternæ beatitudinis capacẽ.

Et pro beneficio Cõservationis? quia me hactenus conservasti, nè in nihilum reciderem, sicut ex nihilo creatus sum, & ab innumeris periculis per Angelicum ministerium præservasti, & sæpiùs etiam mirabiliter liberasti: & quia ea, quæ victui meo, & cæteris hujus vitæ necessitatibus erant necessaria benignissimè mihi providisti.

Et pro beneficio Redemptionis: quia tu solus non per aliam aliquam creaturam, sed per te, & Passionem, & mortem atrocissimam, & ignominiosissimam me redimere: â diaboli misera captivitate liberare: & ad tuam gratiam, atq; gloriam æternam reparare: & salutaria nobis Sacramenta, inter quæ, præcipuum Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, cujus sæpiùs me participem effecisti instituere dignatus es.

Et pro beneficio Vocationis ad hanc fidem Catholicam, quia me de parentibus Catholicis nasci,

& per Baptiſmum ab omni peccato mundari, Filiũ tuum adoptivum fieri,& ad agnitionem Sancti Nominis tui, atq; Catholicæ fidei, me à puero pervenire, & ſalutaribus doctrinis erudiri feciſti.

Et pro beneficio Juſtificationis: quia ut gratiam & juſtitiam in Baptiſmo acceptam, eam verò ſæpiùs per peccata amiſsã recuperarẽ,me multis modis excitaſti,ad te revocaſti,attraxiſti, illuminaſti,compunxiſti, & redeuntem ad te benignè ſuſcepiſti, ſanaſti, juſtificaſti, & ſpem veniæ, & gratiæ mihi tribuiſti: & quia me quotidie peccantem, & te multipliciter offendentem toleraſti, à damnatione, & pœnis æternis præſervaſti.

Et pro beneficio Perſeverantiæ, quæ eſt conſervatio gratiæ tuæ, quam ut conſervarem, ab innumeris peccatis me cuſtodiſti, ſæpè à tentationibus liberaſti, & in tentationibus reſiſtendi, virtutem dediſti, & ad multa bona opera, tuis inſpirationibus excitaſti, & adjuviſti.

Et pro beneficio Vocationis ad Religionem:quia me à mũdi vanitate,& à multis mundi periculis,ad ſtatum Sacræ Religionis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo; mihi ſalutarem & convenientem vocaſti, & miſericorditer ſuſcepiſti, & hucuſq; in eo conſervaſti: & quia tepidum, & negligentem in vita ſpirituali, & exercitiis meis nunc toleras patienter, & excitas, nè abutar hoc tam ſingulari tuo beneficio.

Deniq; pro beneficio Glorificationis, quod licet nondum acceperim, tamen me illud accepturum,ex

tua immensa bonitate, expecto, spero, & desidero, & ferventissimè peto, ad tuam gloriam sempiternam non verò propter meum bonum.

Insuper tibi, superbenignissime JESU, gratias ago infinitas, pro omnibus talentis, ac donis. tum naturalibus, tū supernaturalibus, & pro omnibus, ac singulis beneficiis, & gratiis tuis, tibi solùm plenè cognitis mihi indignissimo famulo tuo collatis.

Et pro omni plenitudine bonorum, & gratiarū, atq; ipsius Divinitatis, tuæ Sanctissimæ Humanitati communicata.

Et pro universis beneficiis, ac donis, Sanctissimæ Genitrici tuæ Virgini MARIÆ collatis: præsertim quòd eam ab æterno in Matrem tuam elegisti ab omni macula peccati præservasti: omni gratiæ plenitudine replevisti: eandem in corpore & anima Beatificatam in Cœlum assumpsisti: Cœli & terræ Dominam & Reginam instituisti, & in Matrem nostram & advocatam fidelissimè nobis dedisti.

Et pro omnibus gratiis & donis, quibus S. Josephum: & Sanctam Matrem Nostram Teresiam, & alios Sanctos Patronos meos, ac omnes Beatos & justos, universas quoq; creaturas, etiam damnatos affecisti.

Et pro omnibus quibuscunq; beneficiis tuis, pro quibus tu, Domine mi clementissime, vis à me laudari.

Actus Gratiarum actionis. Itaq; pro omnibus his recensitis beneficiis, gratiis, & donis, infinitas tibi gratias ago, ò æternum bonum meum: quin

infini-

infinita corda habere velim, ut iis omnibus opulentiſſimam miſericordiam, tuamq; charitatem ac bonitatem decantare, ac celebrare queam.

Actus Laudis. Laudo te ex toto corde meo Domine DEUS meus, & magno applauſu exalto, glorifico, benedico, magnifico, & veneror, atq; utinam hoc abſq; ceſſatione præſtare poſſim, ſemper & in omni loco terrarum, quantum te exaltant, magnificant, honorant, honorarunt, honorabunt, ac honorare potuerunt ſimul omnes homines, qui ſunt, fuerunt, & futuri ſunt. Immò cupio ſimul reddere tibi omnes illas laudes,quas potuiſſent; poſſunt,poterūtq; Sāctiſſima Humanitas tua,& Beatiſſima Virgo Mater tua,omnes Angeli, Sanctiq; DEI omnes, & juſti, & tantùm quantùm poſſunt deferre innumeri mundi, & infinitæ creaturæ, tam viſibiles, quàm inviſibiles, quas omnipotens manus tua creare poteſt.

Et tantas laudes, tantoſq; honores deſidero tibi exhibere, quantos noſti exhiberi poſſe, & quantos mereris.

Actus Amoris Dulciſſime JESU, te ſolùm in omnibus, & omnia in te ſolo, & propter te ſolùm, teq; ſuper omnia amo,& amplector,& ſic ſemper amare volo, & per te propono.

Amo & amare te deſidero,& quidquid tu amas, propter te, puriſſimè, intenſiſſimè, conſtantiſſimè, inſatiabiliſſimè,omni poſibili dilectionis exceſſu, ſuper omnia, nunc & ſemper in æternum & ultra.

Tibi, propter te, placere in omnibus cōcupiſco.

Tibi

Tibi gratum amoris obſequium ſemper, & ubiq; præſtare deſidero.

Tuam beneplacentem voluntatem noſſe, & ex amore tuo, eam perficere volo, & per te, decerno.

Tuum beneplacitum in me, de me, per me, & in omnibus ſemper, & ubiq; perfici, & impleri, in tempore & æternitate, in adverſis æque, ac in proſperis opto, & poſtulo.

Te ſuper omnia appretio, præeligo, appeto, & quæro, paratus cœteris omnibus, propter te, abrenuntiare, quotiescunq; & quomodocunq; volueris.

Tibi omne bonum potiùs quàm mihi, cupio & faveo.

De omni bono tuo, pleno Dominio ac beatitudine, deq; tuo honore, & voluntatis tuæ impletione, magis gaudeo, tibiq; congratulor, & ſemper magis gaudere volo, & per te, decerno quam de quocunq; meo, vel cujuslibet mihi amiciſſimi bono.

Profectò, Domine mi dilectiſſime, ſi per impoſſibile aliquid poſſiderem, quo tu careres, illud tibi omne cederem, & tribuerem. Immò ſi poſſem eſſe DEUS, nollē tantummodò ideò ut tu ſolùs eſſes, nec parem haberes.

Volo deniq; cupio, & in te confidenter expecto, pervenire ad tuæ Divinitatis claram viſionem, & continuam laudem, perfectam dilectionem, & beatificam, fruitionem, ac æternam & ſecuram poſſeſſionem, & inſeparabilem unionem: idq; non propter meum bonum, & commodum, quod inde mihi provenire poſſet, ſed purè propter te, ut ſic gratiſſi-

tissimum tibi, & perfectissimum obsequium exhibeam, & gaudium tuum in me sit, & sicut vis impleatur.

Nota. Quòd possumus optimè & laudabiliter uti Gratiarum actione, ex Sacra Scriptura desumpta, ut pote à Spiritu Sancto inspirata dicendo vel Psal: Laudate Dominum de Cœlis &c. Vel Canticum trium puerorum. Benedicite omnia opera Domini Domino. &c. vel Psalm: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt Nomini Sancto ejus. Vel Te DEUM laudamus.

Vel invitando omnes Angelos, & omnes Sanctos, ut nobiscum laudent Omnipotentem DEUM, dicendo.

Benedicant te Domine omnes Angeli tui, Archangeli, & Principatus: laudent, & glorificent te in sæcula.

Benedicant te Potestates, Virtutes, Dominationes: laudent & glorificent te in sæcula.

Benedicite Patriarchæ, & Prophetæ Dominum: laudate, & glorificate eum in sæcula.

Benedicite Apostoli, & Evangelistæ Dominum: laudate & glorificate eum in sæcula.

Benedicite Martyres, & Confessores Dominum: laudate, & glorificate eum in sæcula.

Benedicite Virgines, & Sancti omnes Dominum: laudate, & superexaltate eum in sæcula.

Oblatio.

UT autem tuæ infinitæ charitati, & beneficiis tuis, aliquatenus reciproca gratitudine respon-

reſpondeam, ô Dulciſſime JESU, cum nihil habeam, quod tibi digniùs offeram, præter te ipſum: igitur quo pacto poſſum offero tibi infinitam tuam Divinitatem, immenſas perfectiones tuas, & omne bonum, quod habes, & illud totum, quod es.

Offero tuam Sanctiſſimam Humanitatem, tuâq; Sacratiſſimam Paſſionem, & omnia merita tua.

Offero Beatiſſimam Virginem MARIAM, omnes Angelorum Hierarchias, & Beatorum omnium, atq; juſtorum animas, cum meritis eorum.

Offero univerſa corda, quæ tibi unquam placuerunt, placent, & placebunt, præſertim Cor tuum ſvaviſſimum, ac dulciſſimæ Matris tuæ Virginis MARIÆ.

Offero tibi omnes cogitationes, verba & opera bona, quæ fecerunt, faciunt, facturiq; ſunt omnes homines, qui fuerunt, ſunt, futurivè ſunt unquam in hoc mundo: immò quæ poſſent habere infiniti homines, quotq; creari poſſunt à tua Omnipotentia, ita ut ſi poſſem, ex amore tuo, eadem facere vellem illâ efficaciâ, quâ tu ſcis maximâ fieri poſſe: & illo modo, qui Majeſtati tuæ Divinæ gratiſſimus eſſet.

Deniq; offero me ipſum totum, corpus & animam meam, cum omnibus potentiis & viribus ſuis, totum eſſe meum, totamq; vitam meam, omnes quoq; cogitationes, ſingulas actiones, minimoſq; cordis corporis, & animi mei motus, in tempore, & Æternitate.

Quæ omnia tibi deſidero, Domine mi dulciſſime,

me, offerre illo cordis affectu, quo tu nosti posse flagrantissimo: & toties, quoties vivens in terris spiritum ducam.

Proposita. Præterea firmiter propono fidelissimè tibi Domino meo servire, & omnia peccata semper vitare, paratus mori potiùs, quàm scienter, & ex proposito te offendere. Statuo nunquam transgredi Sanctissima præcepta tua.

Decerno ex corde intimo, cum auxilio gratiæ tuæ, universam legem tuā implere: & ut hoc idem exequar fideliter, omnem vim mihi inferre, omnem curam adhibere, & omnes difficultates superare conabor.

Volo potiùs, Dñe mi, quolibet bono privari, & quodlibet malū etiā mortis ignominiosissimæ & crudelissimæ perpeti, quā à te summo & unico bono averti: quàm tuæ rectissimæ voluntati contraire, quàm à tua gratia & amicitia, quam summè exopto, & omnibus creatis præfero, excidere, & tuam inimicitiam, ac indignationem incurrere.

Præterea, amore tui, & zelo justitiæ, propono dignos pænitentiæ fructus facere, atq; tantas offensas tuas ulcisci, & in me punire, austeritates quoq; omnes, propter te, libenter assumere, & hilariter tolerare, jam verò oblectamenta omnia non necessaria, nec spirituali profectui accomoda fugere, & abijcere.

Deniq; me totum tibi prosterno, offero, & plenè resigno in omne tuum beneplacitum, ad omnia tam prospera, quàm adversa, propter te, toleranda, obsecrans

obſecrans tuam Bonitatem ut des mihi, omnia de manu tua paterna, libenti animo ſemper ſuſcipere, & in unione omnium paſſionum tuarum, quamdiu duraverint, ea, cum laude, charitate, & gaudio ſufferre:

PETITIO SPECIALIS
Huic Orationi ſerviens.

VErùm quia ſinè te nihil facere poſſum, Domine, ideò rogo te, per tuam infinitam Bonitatem, & Miſericordiam, per tua Sanctiſſima vulnera, tuumq; ſangvinem pretioſum, & amaram Paſſionem, per tuum Nomen Sanctiſſimum, per tua merita, tuæq; dulciſſimæ Matris Virginis MARIÆ, Sancti Joſephi, & Sanctæ Matris noſtræ Tereſiæ, atq; Sancti Noſtri Patris Joannis à Cruce, & Sanctorum Patronorum meorum, omniumq; electorum tuorum, adjuva me Rex liberaliſſime, & gratiam concede, ut hæc propoſita mea adimpleam quàm perfectiſſimè, & ut te non ampliùs offendam, non tibi ampliùs diſpliceam, non ampliùs gratiam, & amicitiam, tuam amittam, non ampliùs ut canis ad vomitum, ad mea præterita peccata redeam. De quibus peccatis meis, ſicut potes, ſcis, & vis, toties, quoties, & quantùm ad ſalutē meā expedit, cordi meo infundere, augere, cōſervare, & perficere digneris, verum amoroſum, & maximum dolorem, zelumq; ferventem ea ulciſcendi, & præcavendi.

O Domine DEUS meus, da mihi ſemper tantam contritionem peccatorum meorum, quantam dignam noveris peccatis meis deberi: magisq; in præſenti

punias & castiges, quàm in futuro judicio mala mea reserves, & condemnes.

Sed & nunc miserere mei DEUS, & veniam delictorum meorum plenissimam, mihi indignissimo peccatori concede. Miserere mei secundùm magnam misericordiam tuam: & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele omnem iniquitatem meam; Non intres in judicium cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Remitte pœnas gehennæ intolerabiles, quas merui. Fac me tibi servum in omnibus acceptabilem, & per omnia tibi placentem.

PETITIO COMMUNIS.

Quæ potest fieri in quacunq; Oratione.

PRæterea da, Domine mi, & fac, ut serviam tibi Domino meo secundùm vocationem meam; Et quoniam vocâsti me ad vitam religiosam, cum obligatione tendendi semper ad perfectionem charitatis, ut per eam uniar tibi, ad quam tendere debeo, ex vi instituti Religionis nostræ, per exercitia vitæ Contemplativæ & Activæ, seu per exercitium Orationis, ac Præsentiæ tuæ, & per mortificationem, ac virtutum perennem acquisitionem: ideò supplex rogo, da, ut tempus orationi designatum, cum fructu semper expendam: ut in Oratione cognoscam te, cognoscam me, & quid mihi fugiendum sit, quidve amplectendum, & quæ vitia potiùs exstirpanda, quæ virtus magis quærenda.

Ut semper te præsentem habeam in anima, ut nunquam obliviscar tui, ut cor meum sæpiùs ad te elevem,

elevem, ut libenter de te, & de rebus ſpiritualibus audiam, loquar & legam, ut omnes actiones meas, ad gloriam honoremq; tuum dirigam, & in omnibus tibi ſoli placere, tuamq; voluntatem perficere, & gratum tibi obſequium præſtare, toto conatu ſtudeam.

Da mihi, Domine DEUS meus, veram abnegationem mei ipſius, & perfectam mortificationem: & imprimis ſenſuum meorum externorum, ut in videndo, audiendo, guſtando, loquendo, odorando tangendo, non meam jucunditatem, immò non tam meam utilitatem, ſed potiùs tuum beneplacitũ, & honorem intendam: deinde ſenſuum interiorum inquietudinem reprime in me, Domine, ut me non perturbent.

Contine in me vehementiam paſſionum, ſeu inordinatorum affectuum; dirige eos ad proſequenda vera bona, & fugienda vera mala; abſtrahe eos ab illicitis, & in licitis, da ut modum ſervem, & aliquando, propter te, ab illis abſtineam.

Fac, Domine, partem inferiorem animalem, obedire ſuperiori parti rationali; rationem quoq; meam ſemper illumina, & conforta, ad gubernandam partem inferiorem, & cætera omnia, & ad reſiſtendum tentationibus: nè, quæſo, inducas me in tentationem, ſed libera me à malo.

Da mihi veram abnegationem proprii judicii, ut proprium ſenſum relinquens, illud bonum, & rectum credam eſſe, quod tu, & Superiores mei judicaveritis. Da & voluntatis meæ perfectiſſimam abnega-

negationem, ut ſemper ſit conformis tuæ, & Vicariorum tuorum voluntati. Da odium amoris proprii, ut omnem fugiam commoditatem, & æſtimationem, & illa amplectar, propter te, quæ ſunt aſpera, & ingrata ſenſualitati.

Vocâſti me quoq; Domine, ad exercitium virtutum, ſinè quibus tibi nemo placere poteſt, virtutes verò acquiri non poſſunt, niſi prius vitia exſtirpentur, ad quorum exſtirpationem, te ſupplex rogo, ut me adjuvare digneris.

Da mihi igitur, Domine, perfectum odium & implacabilem adverſus omnia vitia indignationem, veluti adverſus meos capitales hoſtes. Da robur fortiſſimum, ad reſiſtendum omnibus oppugnationibus, ac vitiis inſurgentibus, ut nunquam in vitia priora relabar. Da, ut contrariis actibus virtutum vitia expugnem: videlicet ſuperbiam per humilitatem, avaritiam per paupertatem, luxuriam per caſtitatem cordisq; munditiam: invidiam per charitatem: gulam per abſtinentiam: iram per patientiam: acediam per fervorem: & alia vitia, per contrarias virtutes. Et fac ut ſublatis vitiis, virtutum acquiſitioni ſedulò incumbam, in quo timeo, nè ſit irritus labor meus. Ideò peto, Domine DEUS virtutum, ſicut potes, ſcis, & vis, ad tuam gloriam, & meam ſalutem, ut tu ipſe animam meam omnibus ornare virtutibus digneris. Et imprimis orna animam meam virtutibus Theologicis, quæ â te ſolo nobis infunduntur. Infunde itaq; mihi fidem rectam, vivam & firmam, per quam credam

te

te Unitrinum DEUM esse, qui Es, & Remuneratorem esse: credam tibi, ut infallibili veritati: Credã in te amando te. Et ut vitâ & factis comprobem hanc fidem meam, faciendo, quod fides dictat faciendum, & fugiendo, quod docet fugiendum, & sperando, quod proponit sperandum.

Infunde mihi spem humilem, certam & ardentem, ut sperem à te consequi peccatorum veniam, optatam gratiam, & salutarium petitionum exauditionem, tandem beatitudinem æternam.

Infunde mihi Charitatem erga te, quâ te solùm propter te, teq́; summum bonum diligam super omnia toto corde, desiderio, affectione, & voluntate, totâq́; mente, intelligentiâ, ratione, & intentione: & ex tota anima, omnibusq́; viribus & sensibus corporis & animæ. Infunde etiam mihi charitatem erga proximum, quâ omnes tuæ beatitudinis capaces, amem propter te: hoc est, quia tu vis, & tibi placet; amem eos in te, quatenus aliquid tui sint, ad imaginem, & similitudinem tui creati, tuiq́; Filii, & à te dilecti: amem eos per te: hoc est, per infusam à te in cordibus nostris charitatem ordinantem, & ad te referentem omnem alium amorem naturalem, acquisitum, rationalem, & mercenarium.

Da mihi etiam morales virtutes necessarias, ad perficiendas animæ meæ potentias, ad benê agendùm, & conversandum cum proximis, ad passiones benê regendas, & componendas. Et imprimis, da mihi, Dominè mi clementissime, Prudentiam, ad perficiendum intellectum meum, ut in omnibus

medium teneam, nè propter exceſſum,aut defectū, actus virtutum ſint mali. Da, ut in omnibus finem bonum & honeſtum mihi proponam: videlicet, tui ſolius gloriam & honorem, & beneplacitum tuū, noſtramq; ſalutem & beatitudinem; & in quolibet ſpeciali opere, proprium virtutis finem, & ad hos fines, ut per conſilium bonum media opportuna inquiram, & inveniam; deinde per judicium rectum convenientiora cognoſcam, & aſſumam; tandem ut ſolicitudinem & diligentiam adhibeā ad executionem.

Da mihi, Domine, & juſtitiam, ad perficiendā voluntatem meam, ut per eam tribuam unicuique, quod ſuum eſt. Et imprimis tibi ſupremo Domino noſtro ſummum honorem, ſeu cultum Latriæ puriſſimum, per Religionis virtutem, & pro peccatis meis debitam ſatisfactionem, per Pænitentiam. Beatiſſimæ Virgini cultum Hyperduliæ ſpecialiſſimum, & omnibus Sanctis debitam Duliæ venerationem. Conſangvineis Pietatem. Omnibus dignitate; virtute, ſapientiâ antecellentibus Obſervantiam. Superioribus meis Odedientiam. Benefactoribus Gratitudinem. Erga alios omnes, ut ſervem in dictis Veritatem, in promiſſis Fidelitatem, in converſatione Amicitiam vel Affabilitatem.

Præterea da mihi fortitudinem, ad perficiendū appetitum iraſcibilem, ad moderandas paſſiones ejus, in rebus arduis & periculis, & ad ſuperandas omnes difficultates, in omni genere virtutum. Da Magnanimitatem, ut magna, & heroica opera, propter

propter te viriliter aggrediar. Da Magnificentiam, ut illa incepta perficiam, da Patientiam, ut triſtitiâ non opprimar; Conſtantiam, ut propter difficultates & impedimenta bene agere non ceſſem: Perſeverantiam, ut ad finē in incepto perſiſtam: Longanimitatem, ut dilationē boni deſiderati ſuſtineā.

Inſuper da mihi Domine, Temperantiam, ad perficiendum appetitū concupiſcibilem, ad refrenandas paſſiones illius vehementes, circa ſenſuum delectabilia, præcipuè guſtus, & tactus. Da Verecundiam & Honeſtatem, ut fugiam omnia turpia ſemper; & ſequar honeſta Caſtitatem & Pudicitiam, ut corpus meum, quod eſt Templum tuum, ſemper ſit mundum & immaculatum. Da Manſvetudinem & Clementiam, ut per eas iram & indignationem cohibeam. Continentiam, ut per eam detineatur mea voluntas, nè impetum paſſionum ſequar. Da & Modeſtiam ad moderandos affectus meos, & actiones omnes, & motus tam internos, quam externos, ut moderetur in me Appetitum Excellentiæ, ſeu ſpem in excellentiam tēdentem, per Humilitatem; Appetitum ſciendi, per Studioſitatem: Appetitum habendi, per Paupertatem: Appetitum loquendi, per Silentium, ſeu per Taciturnitatem. Deniq; ad moderandos omnes motus & geſtus externos, ac corporis cultum, in viſu, inceſſu, veſtitu, ornatu, atq; commoditatibus, per modeſtiam morum & cultus.

O benigniſſime JESU, digneris quoq; me replere Donis Spiritus Sancti, ut prompte ſequar motio-

nem & instinctum ejus, ad heroicos actus virtutum, & æternam beatitudinem consequendam. Videlicet Dono Intellectus, ad mysteria fidei sanè capienda, & penetranda. Scientiæ, ad rectè judicandum de rebus creatis & terrenis, & rectè utendũ illis in honorem tuum, meamq; salutem. Sapientiæ, ad cognoscendum te, tuasq; perfectiones, & sanam æstimationem illarum. Consilii, adinveniendum, quid fieri oporteat, in rebus necessariis ad salutem. Fortitudinis, ad persistendum in quocunq; bono opere inchoato usq; ad vitæ finem, & evadendum quæ vis pericula salutis. Pietatis, ad exhibendum cultum debitum, amorem, & officium tibi DEO nostro, ut Patri amantissimo, & aliis Sanctis. Timoris deniq; tui filialis, ut te reverear, & me tibi subducere refugiam; & ut te offendere, & à te seperari timeam.

Da mihi fructus Spiritus Sancti tui, & imprimis illos excellentissimos, qui Beatitudines vocantur; Paupertatem spiritus, Mansvetudinem, Pium luctum, Esuriem & sitim justitiæ, Misericordiam, Munditiem cordis, Pacem, & Pati propter justitiã. Da & alios fructus ejus, qui sunt Charitas & Gaudium, Pax & Patientia, Longanimitas & Mansvetudo, Bonitas & Benignitas, Fides & Modestia, Continentia & Castitas.

O Clementissime JESU, qui me â sæculi vanitate conversum, ad bravium supernæ vocationis per iter disciplinæ regularis capessendum accendisti, da mihi ad Vota tibi promittenda diligenter me

præ-

præparare (Profeſſus dicat. Da mihi vota promiſſa) & vocationis meæ exercitia fideliter implere. Fac me igitur Superioribus meis obedire, velociter, libēter, ſimpliciter, hilariter fortiter, humiliter, & perſeveranter. Paupertatē quoq; Religiosā ſic amplecti, ut nihil prorſus mihi proprium dicam, vel ſinè licentia aliquando, accipiam, dem, & retineam, nihil quoq; ſuperfluum, pretioſum, & curioſum habeam. Ex neceſſariis quoq; viliora appetam: immò ſi hæc defuerint, ut inde gaudeam. Caſtitatē etiam perfectè ſervare, ut nihil cogitatione, verbo, & opere aliquo contrarium huic Angelicæ virtuti committam.

Inſuper da mihi per tuam infinitam bonitatem omnem virtutem, & gratiam, ut quod præcipis, aut conſulis fideliter adimpleam, quidquid verò diſſuades, aut prohibes, recuſem, & fugiam. Præcipuè da donum Perſeverātiæ, ut nunquam per aliquod crimen ā te ſeparer, ſed uſq; ad mortem, & in æternum in gratia tua perſeverem.

Da mihi bonam mortem, ut in te moriar, morte juſtorum: aufer à me nimium amorem hujus vitæ, nimium ac immoderatum mortis timorem, Da ut ita vivam, ut poſſim dicere cum Apoſtolo tuo: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Da veram Reſignationem in tuam rectiſſimam voluntatem, ut quando, & quomodo diſpoſueris, hinc abſcedam. Suſcipe ſpiritum meum gratiâ tuâ & charitate veſtitum, ut tibi in æternum adhæream; Aufer deniq; à me, quidquid me in aſſecutione perfectionis detinet,

net, & efficacia auxilia ad Sanctè vivendum, & feliciter moriendum tribue.

O Rex tremende Majestatis:
Qui salvandos salvas gratis,
Salve me fons pietatis.
Recordare JESU pie,
Quòd sum causa tuæ viæ,
Nè me perdas mortis die.
Quærens me sedisti lassus
Redemisti Crucem passus
Tantus labor non sit cassus.

Hæc sunt, DEUS meus, petitiones meæ, hæc sunt desideria mea, quæ impleri cupio, & peto per miserationes tuas non solùm in me, sed in omnibus quoq; proximis meis, ut semper tibi placeamus, ac in hac vita, & in futura tuo lætemur aspectu.

Petitio pro necessitatibus aliorum.

MEmor etiam esto, Domine, Ecclesiæ Sponsæ tuæ, eiq; Fidem, Spem, Charitatem adauge: hostium ejus contere superbiam: exstirpa omnes hæreses; populis à fide Catholica alienis, veritatis tuæ lucē infunde, eosq; adduc in ovile tuū, nè pereant tot animæ ad imaginē tuam creatæ & sangvine tuo pretioso redemptæ. Provide Ecclesiæ tuæ Præsules, & Pastores fideles, qui sollicite vigilēt, in custodia sibi comissi gregis. Da universis, quos ad Cleri, seu religiosæ vitæ statum vocare dignatus es morum ac vitæ sanctitatem, accende in eis zelū, pro honore tuo, ac proximorum salute, ut fideles, inveniantur ministri tui, ac dispensatores Mysteri-

orum

orum DEI Miſerere Domine omnium Religionum Sanctarum, & præcipuè hujus noſtræ; tribue omnibus Religioſis, ut ſecundùm ſuam vocationem vivant, & ut Prælati verbo, & ſolicitâ curâ gubernent: ſubditi verò, ut ſæcularibus dent bonam ædificationem, & exactiſſimè Paupertatem, Caſtitatẽ; & Obedientiam cuſtodiant. Conſerva, Domine, in hac Religione noſtra & Provincia, obſervantiam regularem atq; Spiritum Sanctæ Matris noſtræ Tereſiæ, & Sancti primi Patris noſtri Joannis à Cruce: da augmentũ Fratrũ noſtrorum: adjuva nos ad quærendam ſedulò perfectionem, eamq; obtinendã.

Sũpplico etiam tibi, ô Rex Regum, pro Regibus, Principibus, & Magiſtratibus Chriſtianis, ut des eis pacem, & concordiam, & Zelum, & amorem juſtitiæ, fidelem ſubditorum curam in fide, & Eccleſia tuenda conſtantiam. Reſpice propitiùs ſuper omnes congregationes ſibi commiſſas: & omnia membra Eccleſiæ clemens protege, ut quã quis vocatione vocatus eſt, in ea tibi dignè; & laudabiliter ſerviat. Da juſtis perſeverantiam, proficientibus fervorem, ſed præcipuè peccatoribus pœnitentiam. Trahe cor eorum ad te funiculis charitatis tuæ, nõ enim venire poterunt, niſi charitas tua traxerit illos.

Exaudi, Domine, omnium vota & deſideria pro quibus orare debeo, ut fratrum meorum, parentũ, conſangvineorum, amicorum, & Benefactorum noſtrorum, quibus redde centuplum & vitam æternam: dirige omnes, quæſo, in viam ſalutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiãt.

In-

Intuere omnes tentatos, ægros, in anguſtiis & periculis poſitos. Eſto benignus conſolator, & Pater pauperum: Eſto clemens Protector omnium fidelium Chriſtianorum. Inimicis quoq; noſtris parce Domine, fac ut ament te ſuper omnia & proximos propter te, fac cum eis ſemper tuam miſericordiam, & da eis vitam ſempiternam.

Reſpice quoque, Domine, ad animas in purgatorio detentas omnium fratrum, propinquorum, & Benefactorum noſtrorum, & aliorum omniũ, quorum nulla eſt apud homines in terris memoria, nullumq; habent ſubſidium. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Requieſcant in pace, Amen.

CAUTIO.

NEminem terreat, hoc tam prolixum exemplum Orationis datum. Hoc enim conſultò factum eſt, ut Incipientes videant, quomodo affectus ſuos dilatare valeant: & quia facilius erit ipſis, ex hac longiori forma breviorem facere, ut mox oſtendetur, quàm excompendioſa longiorem: cùm adhuc ignorent, quomodo hàc in re ſeſe gerere debeant. Nam poſſunt poſt Accuſationẽ ſui, ſtatim Abominationem alicujus vitii, & dolorẽ, & reliqua facere: Gratiarũ actionẽ quoq;, & Oblationẽ, & Petitionẽ, compendioſiori modo inſtituere. Aliquando etiam poſt Meditationem in Colloquii principio commemoratione facta illius beneficii DEI, quod meditando perſpeximus, Gratiarum actionem, Oblationem, & Petitionem ſubjungere, ſive longiori, ſive breviori modo. EXEM-

EXEMPLUM.

Brevius Orationis Mentalis.
De Odio Peccati.
Colloquium cum DEO.
In cujus initio fit.

Commemoratio injuriæ DEI. O dulcissime JESU, Judex supreme, super omnia tremende, cui ego semper maximam injuriam irrogavi, quoties te Creatorem, Redemptorem, & Benefactorem meum super omnia colendum, & amandum offendi.

Admiratio super bonitatem DEI. O quanta bonitas tua erga me peccatorē hactenus fuit! quòd me in oculis tuis peccantem, patienter in terris sustinuisti, nec pro injuria tua infinita justam vindictam de me sumpsisti.

Accusatio sui. Heu me miserum, quid ego feci, qui tam multa & gravia scelera in te DEUM meum cogitatione, verbo, & opere commisi, de quo me coram te accuso. Verè confiteor, quia multiplicata sunt peccata mea, super capillos capitis mei, quibus tuam Majestatem Sanctissimam ad iracundiam provocavi.

Abominatio. Displicent nunc mihi valdè; abominor illa, detestor, & summo odio habeo, plùs quàm omne malum cujusvis pœnæ, quia sunt offensa tua. O utinam nunquam te offendissem! Utinam priùs occubuissem quàm peccassem!

Dolor de peccatis. Doleo ex amore tui, dilectissime DEUS meus, quòd unquam offenderim te infinitè bonum atq; summo amore dignum.

Spes

Spes veniæ. Et quamvis terreant me peccata mea, & pœnas æternas mihi minentur; nihilominùs ſpero in tua infinita bonitate: quia veniam indulgebis: imò ſi ſolus ego omnium peccatorum,quæ abineunte mundo commiſſa fuêre,reus eſſem,tu, benigniſſime Domine DEUS meus, ignoſceres.

Deſiderium fugiendi peccata. Jam deſidero, ob amorem tuum, fugere omnia peccata, & pro præteritis veram agere pœnitentiam. O utinam nō ampliùs te offendam! Utinam nullum delictum committam! quod non tantùm turpiter fedat animam meam, verùm etiam eam cruciat, & ad barathrum præcipitat.

O ſi jam nunquam trāsgrediar mandata tua! nè tuam Divinam Majeſtatem injuriâ infinitâ afficiam, ſicut hactenus feci.

Gratiarum actio.

ET quoniam huc uſq; mihi pepercisti, nec pœnis æternis, prout merui, addixiſti: ideò immenſas tibi,ô dulciſſime JESU, gratias refero, teq; in æternum glorificare volo.

Præterea gratias tibi infinitas ago, & pro aliis innumeris immenſisq; beneficiis, quæ ex momento conceptionis meæ, uſq; in hanc horam de tua benignitate ſuſcepi: & pro iis, quæ nunc, & in hoc momento temporis ſuſcipio: ac pro infinitis, quæ uſq; in finem vitæ meæ, & per totam æternitatem ſum à te accepturus. Specialiter verò gratias tibi ago, pro beneficio Creationis, Redemptionis, Vocationis ad Fidem Catholicam, & Beatiſſimæ Vir-

ginis Religionem, ac Juſtificationis, Perſeverantiæ in gratia tua, quàm nè ſæpiùs amittam, ab innumeris peccatis me cuſtodiſti, & Glorificationis, quam ex tua infinita bonitate expecto, & ſpero.

Et pro omni plenitudine bonorum. & gratiarũ, atq; ipſius Divinitatis, tuæ, Sanctiſſimæ Humanitati communicata.

Et pro univerſis beneficiis ac donis, Sanctiſſimæ Genitrici tuæ Virgini MARIÆ collatis & Sancto Joſepho, Sanctæ Matri noſtræ Tereſiæ, Sancto Patri noſtro Joanni à Cruce, & aliis Sanctis Patronis meis, ac omnibus Beatis, & juſtis, univerſis quoq; creaturis, etiam damnatis,

Et pro omnibus quibuscunq; beneficiis tuis, pro quibus tu, Domine mi clementiſſime, vis à me laudari.

Actus Gratiarum actionis. Itaq; pro omnibus his recenſitis beneficiis, gratiis, & donis, infinitas tibi gratias ago: quin infinita corde habere velim, ut, iis omnibus opulentiſſimam miſericordiam, tuamq; charitatem, & bonitatem decantare, ac celebrare queam.

Actus Laudis. Laudo te, ex toto corde meo, Domine DEUS meus, & magno applauſu benedico, exalto, glorifico, magnifico, & veneror: atq; utinam hoc abſq; ceſſatione præſtare poſſim ſemper, & in omni loco terrarum, quantùm te exaltant, magnificant, honorant, honorarunt, honorabunt, ac honorare poterunt, ſimul omnes Sancti, & juſti, omnes homines, & univerſæ creaturæ, quæ ſunt, fuerunt, & futuræ ſunt. *Actus*

Actus Amoris DEI. O Dulcissime JESU, amo te, & quidquid amas, purè propter te, infinitè, super omnia, in æternum, & ultra. Simili affectu te super omnia appretio, præeligo, appeto, & quæro, tibiq; omne bonum cupio, & faveo: de omni bono tuo summopere gaudeo omne beneplacitum tuum amplector, & exosculor, illudq; exequi, omni meliori modo tibi placito, desidero.

Immò omnes pios sensus, affectus, atq; desideria, te amandi & glorificandi, ab omnibus electis tuis unquam elicita, aut elicieñda, immò etiã quæcunq; possibilia, si fieri posset, optarem à me, & omnibus etiam possibilibus creaturis renovari, purè propter te, intensissimè, singulis momentis temporis, & æternitatis.

utinam ego, & omnes mecum, perfectissimè tibi per omnia placere sciamus, velimus, possimusq; in tempore, & æternitate, sicut ardentissimo desiderio, exopto.

OBLATIO.

UT autem tuæ, infinitæ charitati, & beneficiis tuis, aliquatenus reciprocâ gratitudine respondeam, ô dulcissimè JESU, offero tibi totum corpus, animam meam cum omnibus potentiis, totum esse meum, totamq; vitam ac æternitatem meam, omnes quoq; cogitationes, verba, & actiones totius vitæ meæ, minimos quoq; cordis corporis animiq; motus nec non universa corda, quæ tibi unquam placuerunt, placent, & placebunt.

Proposita. Præterea fidelissimè tibi servire, & omnia

omnia peccata, ac minimas offenſas tuas vitare firmiter propono; paratus mori potiùs, quàm ſcienter, & ex propoſito, te offendere. Statuo, nunquam transgredi mandata tua.

Decerno, ex corde intimo, cum auxilio gratiæ tuæ, univerſam legem tuam implere.

Volo potiùs quolibet bono privari, & quodlibet malum perpeti, quàm à tua gratia, & amicitia excidere, & tuam indignationem incurrere.

Præterea, amore tui, & zelo juſtitiæ, ſtatuo dignos pœnitentiæ fructus facere, atq; tot, & tantas offenſas tuas ulciſci, & in me, variis modis corpus meum affligendo, punire.

Petitio.

VErùm quia nihil prorſus ſinè te facere poſſum, ô Domine DEUS meus: ideò rogo te, per tuam infinitam bonitatem, adjuva me Rex liberaliſſime, & gratiam concede, ut hæc propoſita mea adimpleam quàm perfectiſſimè, & ut te non ampliùs offendam, gratiam tuam amittam, & ut veram de peccatis meis pœnitentiam, toto vitæ meæ decurſu, agam.

Sed & nunc miſerere mei DEUS ſecundū magnā miſericordiam tuam, & veniam delictorum meorū pleniſſimam, mihi indigniſſimo peccatori concede.

PETITIO COMMUNIS.

Quæ fieri poteſt in quacunq; Oratione.

PRæterea da Domine, ut ſerviam tibi ſecundū vocationem meam, & ſemper ad perfectionem tendam, per exercitia vitæ contemplativæ, &

activæ. Da, ut tempus Orationi deſignatum cum fructu ſemper expendam; ut in ea facta propoſita fideliter exequar: & ut nunquam die ac nocte tui obliviſcar, ſed te præſentem mihi in animo habeã.

Da mihi veram abnegationem, & mortificationem amoris proprii, voluntatis, & judicii, ſenſuũ quoq; meorum, & paſſionum, præſertim N. Da mihi omnia ad ſalutem neceſſaria. Da virtutes Theologicas: videlicet, Fidem rectam, ſpem firmam, Charitatem perfectam. Da & Morales virtutes, & imprimis Prudentiam, ad perficiendum intellectum meum: ut in omnibus medium teneam, finem bonum mihi proponam, media opportuna inveniam, & ſolicitè exequar.

Da Juſtitiam, ad perficiendam voluntatem meã, ut unicuiq; quod ſuum eſt tribuam, ut, ſcilicet, tibi ſupremo Domino cultum debitum Latriæ; Sanctiſſimæ DEI Genitrici Virgini MARIÆ Hyperduliæ; & omnibus Sanctis Duliæ exhibeam. Da cor vere pœnitens, ob injurias tibi illatas: erga conſangvineos pium; erga Superiores ſubjectum; erga benefactores gratum; erga amicos affabile, in dictis ſimplex, in factis verum.

Da mihi Fortitudinem, ad appetitum iraſcibilem perficiendum, ad moderandas paſſiones ejus, & ad ſuperandas difficultates in rebus arduis, & periculis, in acquiſitione virtutum.

Da & alias virtutes ad Fortitudinem ſpectantes, nimirum Magnanimitatem, Patientiam, Conſtantiam, Perſeverantiam & Longanimitatem.

Insuper da mihi Temperantiam, ad perficiendum appetitum concupiscibilem, ad refrenandas passiones illius vehementes, circa sensuum delectabilia. Da verecundiam & Honestatem Pudicitiā & Castitatem, Mansvetudinem & Clementiam, Modestiam & Humilitatem, Silentium & Paupertatem.

Digneris me quoq; replere donis Spiritus Sancti tui, ut prompte sequar motionem ejus ad heroicos actus virtutum: videlicet dono Sapientiæ, Intellectus, Consilii, Fortitudinis, Scientiæ, Pietatis ac Timoris tui.

Da mihi fructus Spiritus Sancti tui, & imprimis illos excellentissimos, qui Beatitudines vocantur: nimirum Paupertatem spiritus, Mansvetudinem Pium luctum, Esuriem & sitim justitiæ, Misericordiam, Munditiem cordis, Pacem, & Pati propter justitiam. Da & alios fructus ejus, qui sunt Charitas & Gaudium, Pax & Patientia, Longanimitas & Mansvetudo, Bonitas & Benignitas, Fides & Modestia, Continentia & Castitas. *Reliqua ut in superiori exemplo,* *pag:* 88.

ADMONITIO.

Quia incipientium servire DEO, præcipuum exercitium est odium & fuga peccati, atq; contritio: ideò in qualibet Oratione, tam matutina, quàm vespertina, debet conari in voluntate excitare hoc odium peccati, atq; dolorem de peccatis. Quare hic ap-ponuntur hâc de re exempla.

EXEMPLUM.

PRO FERIA TERTIA.

DE ODIO PECCATI

Pro Oratione Vespertina.

HAc die proponuntur ad considerandum multæ miseriæ vitæ humanæ, quarum causa est peccatum, & ideò odio summo habendum, de quo fieri potest tale cum DEO Colloquium.

COMMEMORATIO.

Quomodo DEUS ab initio liberum, ab omni miseria hominem fecit.

O Amantissime JESU, qui postquam creaveris hominem, ad imaginem & similitudinē tuam, posuisti eum in paradiso voluptatis, ut ibi jucundam, delitiosam, securam, longæuam, & ab omnibus miseriis, curis, & ærumnis liberam ageret vitam.

Admiratio. O quanta bonitas tua erga genus humanum hæc fuit! Sed infelix homo, propter maledictam prævaricationem præcepti tui, & propter peccatum, non tantùm ex paradiso expelli meruit, sed etiam omnibus bonis illis, se ipsum spoliavit, atq; in multarum miseriarum, & ærumnarum, infirmitatum, anxietatum, laborum, & dolorum, solicitudinum & afflictionum incidit abyssum.

Accusatio sui. Heu me miserum, qui cũ sciam omnium malorum, tam spiritualium, quàm temporalium, omnium miseriarum atq; tuæ injuriæ causam esse peccatum: nihilominùs peccare non cesso, & antea tam multa & gravia scelera in te DEUM meum commisi, de quo me coram te accuso. *Reliqua vide superius pag: 68. & pag: 93.*

EXEM-

EXEMPLUM
PRO FERIA QUARTA
DE ODIO PECCATI.

HAc die fieri ſolet meditatio de morte cujus cauſa eſt peccatum, & propterea odio habendum.

Colloquium Animæ cum DEO

COMMEMORATIO.

Quòd non DEUS *eſt cauſa mortis, ſed homo per peccatum.*

O Beatiſſime JESU! ô Clementiſſime Creator noſter! qui primo homini Protoparenti noſtro Adæ, in paradiſo poſito præcepiſti dicens: Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali nè comedas. In quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris.

Admiratio. O admirandam bonitatem tuam, Domine, erga hominem, quem præmonuiſti, ut mortem evitaret! ſed homo ingratus præceptũ tuũ non cuſtodivit: verùm de ligno fructum tulit, & comedit, & ideò audire tuã juſtiſſimã mortis ſententiã promeruit: Pulvis es; & in pulverem reverteris.

Accuſatio ſui. Heu me miſerum, quia quamvis non ignoraverim, quòd peccatum, nihil generat, niſi mortem Æternam, & niſi offenſam, atq; injuriam tuam infinitam; tamen te offendo; & antea, tã multa & gravia ſcelera, in te Dominum meum, commiſi. *Reliqua ut ſuperius pag: 68. & pag: 93.*

EXEMPLUM
PRO FERIA QUINTA.

DE ODIO PECCATI.

HAc die proponitur ad meditandum DEI Judicium, in quo ſtrictè examinabuntur, & rigidè judicabuntur peccata noſtra; proinde illa abominari, & vitare debemus.

Colloquium Animæ cum DEO

COMMEMORATIO JUDICII DEI.

O Rex tremendæ Majeſtatis! O Judex æquiſſime, & ſapientiſſime, & ſeveriſſime, qui unumquemq; noſtrum judicaturus es in fine vitæ, cui reddituri ſumus omnes de factis propriis rationem!

Admiratio. O Quàm ſtrictè examinabuntur omnia opera noſtra, ita ut nihil omittatur! quàm rigidè judicabuntur, hoc eſt, juxta rigorem juſtitiæ! O quàm ſeverè punientur omnes iniquitates noſtræ, ſcelera noſtra, etiam minima delicta noſtra, etiam otioſa verba noſtra!

Accuſatio ſui. Heu me miſerum, qui immemor judiciorum tuorum tremendorum, tam multa & gravia ſcelera, in te DEUM meum, commiſi, de quo me coram te nunc accuſo. *Reliqua ſuperius* *pag:* 68. & *pag:* 93.

EXEMPLUM

PRO FERIA SEXTA.

DE ODIO PECCATI.

HAc die facile poteſt excitari in nobis odium maximum peccati, conſiderando pœnas inferni atrociſſimas, & æternas, quibus puniuntur peccatores.

Collo-

Colloquium Animæ cum DEO

COMMEMORATIO PÆNARUM INFERNI:

O Rex & Judex æquiſſime, qui ut ſatis fiat juſtitiæ tuæ Divinæ pro infinita injuria, immenſæ tuæ Majeſtati per peccata creaturarū rationalium illata, certum locum pœnarum, videlicet, infernum, in corde terræ inſtituiſti, ubi omnia ſcelera & peccata, per veram pœnitentiam non deleta puniuntur.

Admiratio. O quâm atrocia ibi ſupplicia ſunt, quibus animæ damnatorum cruciantur juſtiſſimè, & cruciabuntur in æternum! verè nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quanta tormenta parata ſunt offendentibus te.

Accuſatio ſui. Heu me miſerum, qui hæc non ignorabam, tamen te offendere, & injuriâ ſummâ afficere, peccatis meis, per totam vitam auſus ſum, de quo me nunc accuſo. *Reliqua ut ſupra pag:* 68. *& pag:* 93.

EXEMPLUM

PRO DIE SABBATI.

EOdem modo poteſt haberi odium peccati, conſiderando, quomodo peccatum aditum nobis ad cœleſtem gloriam præcludit.

Colloquium Animæ cum DEO

COMMEMORATIO GLORIÆ COELESTIS à DEO NOBIS PRÆPARATÆ.

O Dulciſſime JESU, ô Largitor omnium bonorum & Remunerator munificentiſſimè, qui diligentib9 te, & fideliter ſerviētibus tibi ma-

gna præmia in cœlis, atq; gloriam ineffabilem præparasti.

Admiratio. O admirandam bonitatem tuam, ex qua id factum est! Nam omnes labores nostri, fatigationes, & passiones non sunt condignæ, ad illã futuram gloriam, quæ revelabitur in servis tuis, ad quam maledicta peccata aditum nobis præcludunt.

Accusatio sui. Heu me miserum, cui hæc optimè sunt nota, tamen nullum finem offendendi te facio, & antea tam multa & gravia scelera, in te DEUM meum, commisi, de quo me coram te accuso. *Reliqua ut supra pag:* 68. *& pag:* 93.

PRO DIE DOMINICO.

HAc die pro Meditatione proponuntur beneficia DEI, pro quibus peccando, summam ingratitudinem erga DEUM ostendimus, & simul injuriâ infinitâ eum afficimus, atq; ideò maximè odisse peccatum debemus.

Colloquium Animæ cum DEO

COMMEMORATIO BENEFICIORUM DEI.

O Domine DEUS meus misericordissime, ô Benefactor liberalissime, a quo innumerabilia & infinita beneficia accepi, & modò accipio, & usq; ad finẽ vitæ, & per totã æternitatẽ accepturus sum. Sunt autẽ hæc præcipua beneficia tua, Prædestinationis, Creationis, Cõservationis, Redẽptionis, Vocationis ad fidem, Justificationis Perseverantiæ, Vocationis ad Religionem, Æternæ beatitudinis, & alia innumera naturæ, & gratiæ tuæ dona.

Admiratio. O quis non obstupescet, super hanc muni-

munificentissimam liberalitatem, & ineffabilem bonitatem tuam, per quam in me ingratissimum olim hæc beneficia contulisti!

Accusatio sui. Heu me miserum, qui oblitus horum bonorum omnium, quæ à te accepi, tam multa & gravia scelera, in te Benefactorem meum benignissimum, commisi, & me ingratissimum exhibui, de quo me coram te nunc accuso. *Reliqua ut supra pag: 68. & 93.*

EXEMPLUM
De Odio Peccati
PRO TEMPORE MATUTINO.

HOc tempore matutino proponuntur nobis ad meditandum Mysteria Passionis Christi Domini nostri, & quoniam eorum omniũ, quæ passus est Christus, causa fuit peccatum, ideò hæc considerando contritionem veram, & abominationem peccati concitare in nobis debemus.

Colloquium Animæ cum DEO.

COMMEMORATIO EORUM QUÆ PASSUS EST CHRISTUS.

O Dulcissime JESU, ô dilectissime salutis nostræ Amator, ô super benignissime Redemptor noster, qui vivens in hoc mundo, & in terra cum hominibus conversatus, in laboribus à juventute tua fuisti, & multas in commoditates, paupertatem, vigilias, jejunia, fatigationes pertulisti: tandem in fine vitæ, ò quanta tormenta, quantas angustias, quantos dolores, sustinuisti! quando in horto copiosum sangvineũ sudorem effudisti, po-

ſtea à Juda tuis inimicis traditus, & ab eis ligatus, conſputus, colaphis & alapis cæſus, flagellatus, ſpinis coronatus, cruce ignominioſâ oneratus, demum crucifixus fuiſti. Ecce quanta pati dignatus es in terris, tu DEUS Omnipotens, tu Dominus omnium ſupremus tu Rex Cœli & terræ Altiſſimus. At cur hoc? Certè pro peccatis noſtris. Nam ſi homo non peccaſſet, neq; tu in hunc mundum veniſſes, quem propter ſcelus populi percuſſit, & morti crudeliſſimæ tradidit Pater æternus.

Admiratio. O quanta, quàm admirabilis Bonitas tua fuit, per quam hæc pati pro nobis voluiſti!

Accuſatio ſui. Heu me miſerum, qui horũ nullam rationem habens, tam multa & gravia ſcelera, in te DEUM meum, commiſi, & peccando, iterum cum Juda te inimicis tradidi, flagellavi, conſpui, cruci affixi, de quo nunc me coram te accuſo. *Reliqua ut ſuprà pag:* 68.

EXEMPLUM
Orationis Veſpertinæ
PRO FERIA TERTIA.
De miſera ſeu mala vita, & de alia feliciori ſeu bona & Spirituali vita.

HOdie ſolet fieri Meditatio de miſeriis vitæ humanæ. Quia eſt breviſſima: videlicet, ſeptuaginta, vel octoginta annorum, & ampliùs labor, & dolor.

Quia eſt incerta: neſcitur enim, an in pueritia, an in adoleſcentia, an in ſenectute abrumpetur.

Quia eſt fragilis: cui ſol, frigus, cibus, potus, & alia plurima nocent. Quia

Quia in constans & mutabilis; nunc benè valens, nunc imbecillis: nunc in lætitia, nunc in tristitia, nunc in prosperitate, nunc in adversitate; & quæ semper consumitur.

Quia fallax: quæ multos decipit, qui putant hāc vitam jucundissimam, cum sit amaritudinis plenissima: credunt & sperant longissimam, cum sit puncto simillima: cum sit pelagus miseriarum, amant eam, ut omnium deliciarum matrem.

Quia innumeris molestiis tum corporalibus, tum spiritualibus subjecta, propter quas totum tempus vitæ nostræ, tempus fletus & lacrymarum dici deberet. Et ideò hæc præsens mortalis vita, misera existimatur esse vita.

Sed illa omnino verè dicenda est misera vita, quam ducunt homines illi, qui malè vivunt; qui sordido multorum vitiorum sunt immersi cæno; qui prava desideria sua & concupiscentias sectantur: qui suas pessimas inclinationes, affectus, & passiones refrenare negligunt? qui quidquid libet appetitui suo perverso faciunt: quorum finis est perditio, & miseria in inferno æterna. Isti ergo homines sunt miseri omnes, miseram vitam agentes, quam effugiunt, qui ad DEUM sincero corde conversi, aliam vitam, beatam scilicet vitam, seu spiritualem vitam amplectuntur: qui pro præteritis peccatis pœnitētiam veram agentes, nova totis viribus vitare satagunt: quorum summa cura & solicitudo est, mortificare omnes sensus, & passiones suas, desideria prava & cupiditates cohibere, inclinationibus pessimis resistere,

ſtere, exſtirpare vitia, exercitio, virtutum ac bonorum operum incumbere, & Orationi atq; Divinae familiaritati die ac nocte vacare, quod propriũ Religioſorum eſt, quos clementiſſimus DEUS à ſæculo abſtractos, ex ſua benignitate, illas miſerias humanæ vitæ contemnere fecit, & ab aliis miſeriis ſpiritualibus, quæ ſunt veræ miſeriæ, liberavit, & ad vitam ſpiritualem ex mundo vocavit. Itaq; illis præcipuè curandum eſt, ut hanc teneant vitam, per quam ad perfectionem charitatis pervenire debent.

Colloquium Animæ cum DEO

COMMEMORATIO EORUM QUÆ NOBIS, CREANDO NOS PRÆSTITIT DEUS.

O Amantiſſime JESU, qui hominem ad oſtẽſionem tuæ infinitæ Bonitatis, ad imaginem & ſimilitudinem tuam condidiſti, eumq; in paradiſo in loco deliciarum poſuiſti, & ab omnibus miſeriis, infirmitatibus, doloribus, afflictionib9 immunem feciſti: vitam eiq; felicẽ, diuturnam, immortalem, atq; immutabilem tribuiſti, cujus vitæ felicitatem & jucunditatem ſemper habuiſſet, ſi præceptum tuum, de non guſtando pomo vetito, ſervaſſet. Sed ingratus homo malo cibi prohibiti deſiderio ſeductus, tuum mandatum transgreſſus eſt: & ideò juſto judicio tuo Divino, ex loco paradiſi delicioſiſſimo à te expulſus, illa vitæ jucunditate, & felicitate privatus eſt.

Hinc modò experitur vitam amaritudine pleniſſimam, breviſſimis periodis circumſcriptam, nemini de ipſius duratione certam, fragiliorem vitro,

multis calamitatibus, doloribus, afflictionibus mutationibusq; obnoxiã, & variis mortis periculis expositã, propter quæ mala, putatur ab hominibus hæc præsens vita, misera vita. Sed ego illam omnino miseram censeo esse vitam, quàm homines agunt illi, qui male vivunt: qui sordido turpium vitiorum sunt immersi cæno: qui prava desideria sua, & concupiscentias sectantur: qui suas pessimas inclinationes, & passiones refrenare negligunt: qui omne illud, quòd appetitui suo perverso placet, faciunt: qui serviunt peccato, & cupiditatibus suis: isti ergo homines sunt miseri omnes miseram vitã ducentes.

Admiratio de bonitate DEI. O bone JESU, quanta bonitas tua erga me fuit, quæ me ab his miseriis liberavit, & ad vitam beatam, hoc est, vitam spiritualem, seu Religiosam ex mundo vocavit!

Accusatio sui. Heu me miserum, qui huic tanto beneficio tuo correspondere non curo: quia vitæ spiritualis exercitia, ferventi animo peragere negligo, qui more mundanorum hominum vivo, de quo me accuso coram te Domino meo. Accuso me, quia nec de præteritis peccatis dignos pœnitentiæ fructus facio, nec futura præcavere, prout debeo, diligentiam adhibeo, in quæ, nisi me tua Divina gratia protegeret, sæpiùs me labi necesse esset.

Confiteor, quia modicam curam & sollicitudinẽ habeo, circa mortificandos sensus, & passiones meas, circa prava desideria, & inclinationes coercendas, circa acquisitionem omnium virtutum, & exercitium bonorum operum.

Fateor

Fateor verè, quia familiaritatem tuam Divinam subterfugio: dum ab Oratione me levi de causa subtraho, aut etiam in Oratione magna cùm animi mei tepiditate permaneo: dum lectionem librorum spiritualium vel sermonem de rebus salutaribus fastidio: dum præsentiæ Divinæ nobis intimæ facilè obliviscor, & per aspirationes frequentes, cor meũ ad te elevare non conor:

Admiratio. O admirandam ingratitudinem meam, per quam abutor tam singulari beneficio tuo vocationis, ad hanc Sanctam & beatam vitam! O cæcitatem animæ meæ deplorandam, per quam nõ video bonum salutis meæ, nec perditionem!

Confusio. Erubesco, Domine mi, quòd ego extra mundũ à te vocatus, adhuc mundanus sum. Confundor valde, quòd personam & vestitũ religiosum gero, sed vitâ & moribus adhuc sæcularis sum.

Reprehensio. Et propterea me ipsum arguo coram te, tanquam hominem improbum, & nullius frugi, & omni pœnâ dignum esse judico.

Expostulatio. O homo quid agis? qualem vitam ducis? certè similem brutis ratione carentibus: siquidem non secundum rationem, seu non secundum spiritum vivis, sed secundum carnem. Et quid inde lucri habebis, nisi pro tali vita, hoc est, mala, mortem similem, id est, pessimam? An ignoras, quid Sanctus Apostolus dicat? si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

Execratio. Sed jam amore tui, Domine mi dulcissi-

cissime, exsecror hanc vitam carnalem, tanquã profanam, & tibi displicentem.

Actus Odii. Jam & mihi displicet, detestor, abominor, & odio habeo illam. Utinam id pridem fecissem! Utinam Sanctè & spiritualiter semper vixissem!

Dolor. Doleo, dilectissime JESU, quia te DEUM meum summo amore dignum offendi, dum impiè vixi: doleo, quòd multa scelera in te commisi, quem nunc unicè, & supra omnia diligo.

Spes. Spero tamen, ob tuam infinitam bonitatem, me veniam peccatorum meorum, & emendationem à te obtenturum.

Desiderium vitæ spiritualis, ob ejus necessitatem, utilitatem, jucunditatem & Christi Domini, Beatissimæ Virginis, & aliorum SS. exemplũ. Ego autem multum desidero, priorem vitam pessimam secundùm carnem deserere, & novam secundum spiritum incipere.

O si jam possim tutâ conscientiâ dicere: Nunc cæpi! hoc est, verè jam cæpi servire tuæ Divinæ Majestati, atq; placere, fugiendo consvetudines pessimas, & vitia inveterata, quod quidem, pro salute mea, me facere est necesse.

O utinam non segniter hanc vitam spiritualem arripiam, sinè quâ perfectionis culmen attingere nullâ ratione possum!

O si jam ab illa inquietudine, & amaritudine animæ meæ sim liber, quam mihi inordinati affectus, & inordinatæ passiones hactenus afferebant,

ut

ut tandem desiderata & jucunda subsequatur pax, in qua est locus tuus & habitatio tua Domine mi benignissime!

O utinam, tua adjuvante gratia, ita sanctè, justè, & piè vivam, in hoc sæculo, sicut tu propter nos nostramq; salutem descendens de cœlis vixisti in terris, & Beatissima Virgo MARIA Mater tua, & alii omnes Sancti, quorum ut sequar exemplum, ad statum religiosum me vocasti!

Gratiarum Actio. Pro quo sis infinitè benedictus.

Præterea sis benedictus, quòd mihi hunc statum spiritualis vitæ providisti.

Sis benedictus, quòd mihi opportunitatem bene agendi dedisti.

Sis infinitè benedictus, quòd mihi ad emendationem vitam longiorem indulgeas.

Sis quoq; infinitè benedictus, & pro aliis innumeris immensisq; beneficiis, quæ ex momento conceptionis meæ usq; in hanc horam de tua benignitate suscepi. *Reliqua suprà habentur de odio peccati, pag: 73. & pag. 94.*

Oblatio. Ut autem tuæ infinitæ charitati, & beneficiis tuis, aliquatenus reciproca gratitudine respondeam, ô dulcissime JESU, cùm nihil habeam, quod tibi dignius offeram, præter te ipsum. *Reliqua ut supra, pag: 79. & pag: 96.*

Actus propositorum. Præterea firmissimè propono, non jam secundum carnē, sed secundū spiritum vivere, & spiritu facta carnis in me mortificare,

prout à me exigit hæc vita Religiosa, ad quam vocatus sum.

Propono castigare in me præterita delicta mea, & nunquam deinceps animo deliberato te Dominū meum offendere, non tantùm gravi, sed etiam minimo peccato.

Curabo semper à rebus terrenis, caducis, & vanis, cor meum avertere, rebus autem cœlestibus atq; salutaribus, toto corde, & animo inhærere.

Non me sinam impuris sensuum oblectamentis, nec ullis cupiditatibus carnis ac desideriis, à te summo bono abduci.

Non sequar unquam affectus in ordinatos, & appetitum, in rebus agendis: verùm sanæ rationis dictamen, seu potiùs tuam Sanctissimam voluntatem.

Omne studium meum erit semper in vitiis exstirpandis, & pravis cogitationibus coercendis.

Non patiar reliquum tempus vitæ meæ, sinè bonis operibus, & sinè diligenti virtutum exercitio præterire.

Volo vitare illa omnia, quæcunq; meæ saluti & profectui nocere, atq; Oculis tuis Divinis displicere possent.

Dabo operam, ut per Orationem, conversatio mea sit semper in Cœlis, ut tui nunquam obliviscar, ut de te cogitem, de te loquar, de te legam, de te audiam, tibi fideliter serviam, & omnia propter te, amorem, honoremq; tuum, atq; tuum beneplacitum faciam.

Conabor, tuâ gratiâ adjutus, in tui amore profice-

ficere ſemper, & præ oculis meis habere, tuam Sanctiſſimam vitam, & actiones, tuæq; Sanctiſſimæ Matris V. MARIÆ, atq; Beatorum omnium, ut ad exemplar eorum, meam inſtituam vitam.

PETITIO.

SEd quia ego infirmus ſum, ut aliquid boni faciam, ideò te ſupplex rogo, & obſecro, per viſcera miſericordiæ tuæ, per tuam mortem, & Paſſionem, per merita, & interceſſionem Beatiſſimæ Matris tuæ Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum, imple, Domine, hoc propoſitum meum, quod modò feci: corrobora hanc voluntatem meā: adjuva me, ut reparem, quæ vitâ meâ priori deſtruxi, & reſtaurem diligenter, quæ per negligentiam amiſi.

Fac, domine, ut novam, Sanctam, tibiq; placētem incipiam vitam, in eaq; uſq; ad mortem perſiſtam. Non permittas, Domine DEUS meus, ut hoc tempus reliquum vitæ meæ, ſinè fructu bonorum operum tranſigam. Da, ut dum tempus eſt, ſemper operemur bonum, hoc eſt, illud ſolùm, quod tu vis, quod jubes, quod tibi gratum eſt. Daq; ut veram pœnitentiam agam, & nunquam tuam bonitatem, vel minimo peccato, deliberatâ mente offendam.

Præterea da, Domine mi clementiſſime, & fac, ut ſerviam tibi ſecundum vocationem meam. *Reliqua ut ſuprà pag: 82. & pag: 97.*

EXEMPLUM
PRO FERIA QUARTA.
De Comtemptu ſui.

Hic

HIc contemptus ut habeatur, fiat consideratio hominis mortui, cujus prior pulchritudo & decor mutatur, in turpitudinem & livorem; gloria & splendor, in abominationem & faetorem; robur & vires, in hominum contemptum; divitiæ & omnium rerum abundantia, in summam paupertatem & nuditatem: cujus corpus exanime fit esca vermium, bufonum receptaculum, nidus serpentũ; quod omnes homines, etiam quicunq; amicissimi abominantur, ab eo procul diffugiunt, oculos avertunt, nares retorquent, & illud quam ocyssime de medio viventium tollunt, & linteo vilissimo involutum in foveam proijciunt, terrâ cooperiunt, nè tetro & pestilenti odore inficiat, & interimat viventes.

Et hæc sors manet universos mortales, sive fuerint Cæsares & Imperatores, sive Reges & Principes, sive mancipia & calones sive Domini & divites, sive servi & pauperes, sive docti & sapientes, sive rudes & insipientes, omnium istorum cadavera fætent, omnium in cineres vertuntur, omniũ computrescunt. Ex quorũ consideratione, plurimi facti sunt mundi, & sui contemptores.

COLLOQUIUM ANIMÆ CUM DEO.

Fiat primo Commemoratio creationis primi Parentis nostri, quem Deus de limo terræ formavit.

O Superamantissime JESU, qui primum hominem protoparentem nostrum, de limo terræ formasti, & ex eodem limo, seu ex pulvere terræ, universos mortales fieri, & in pulverem

post mortem reverti voluisti, ita ut sive fuerint Cœsares & Imperatores, sive subditi, & vilissimi homines &c. pulvis sint universi, & in pulverem revertantur, immò recedente anima à corpore limus modò fætidus sunt, gleba putris & sordida, esca vermium & tinearum, bufonum receptaculum, serpentum hospitium, abominatio viventiū,

Admiratio de Divina Sapientia. O admirandam sapientiam tuam Divinam! per quam sic factū est, cum omnibus, hominibus, ut non glorietur omnis caro; quia pulvis est: ut unus non infletur super alium; quia sicut alii, ita & ipse limus est: ut nemo tantam habeat curam, sollicitudinem, & cultum carnis suæ; quia gleba sordida est: & ut quilibet nostrum agnoscens hanc suam vanitatem, vilitatem & indignitatē, nunquam audeat te DEUM suum, Creatorem suum, & Dominum infinitæ Majestatis offendere.

Accusatio sui. O me miserum! qui hucusq; totâ vitâ meâ penè mei oblitus vixi, nec meipsū introspexi, nec ob oculos proposui, ut quis sim, verè & sincerè perspectum haberem, & ideò non me ita vilem, prout sum reputavi, & me ab aliis, vel minimo indicio vilipendi, sæpiùs ægre tuli: ideò me cæteris prætuli, & digniorem aliis existimavi; jam verò subiici cæteris nolui: ideò honorari ab aliis volui, sed aliis honorem exhibere grave duxi: & quod pejus est, eò stultitiæ deveni, ut ego adeò vilis homo ausus fuerim contra te DEUM, & Dominum insurgere, & peccando tuæ Divinæ Majestati me opponere, ac tua jussa contemnere, tuamq; Sancti-

ſimam voluntatem nihili facere, ſinè debito honore, & timore, in conſpectu tuo, me gerere, non te revereri, non me coram te humiliare, non tibi plenè ſubijci.

Admiratio de noſtra Superbia. O ſtupendam meam ſtultitiam, & cæcitatem, vel potiùs, ô ſtultam meam ſuperbiam & elationem, per quam obcæcatus, vilitatem meam non cognovi, illiuſq; immemor fui, & ideò hæc mala tam gravia feci.

Confuſio. Erubeſco ob hanc fatuitatem meam, quòd ego pulvis & cinis, ſicut & cæteri homines, ſupra gemmas & lapides pretioſos, hoc eſt, ſupra bonos homines,me extollo: quòd ego limus & terra, contra Cœlum, ſeu contra te Dominum Altiſſimum, caput meum erigo.

Expoſtulatio. Quid lucri habes, ô homo inſane de hac tua elatione? an ignoras, quòd omnis homo, qui ſe exaltat,humiliatur,& qui contemnit alios,ab omnibus contemnitur, & qui ſe extollit, à Domino DEO deprimitur, atq; in barathrum deijcitur?

Execratio. Exſecror, Domine mi benigniſſime, omnẽ animi elationem; quia ſublimiſſimæ tuæ Majeſtati eſt contraria; quia eſt tibi injurioſa, ingrata, & odioſa; quia eſt origo omnium ſcelerum, & offenſarum tuarum.

Odium Elationis, & Dolor & Spes, Jam illam propter te abominor,deteſtor,& ſummo odio habeo; & doleo amorem tuum, quòd unquam offendi te DEUM meũ, ſummo honore & amore digniſſimũ, mea elatione, & aliis innumeris peccatis. Sed quia infi-

infinitè major est bonitas tua, quam mea malitia, & peccata: ideò spero me à te veniã, & emendationem obtenturum. Ego autem, tuo fretus auxilio Divino, quod humiliter peto, & in quo solo confido, nolo te ampliùs hoc scelere, & aliis omnibus offendere.

Amor & Desiderium contemptus sui. Jam mihi placet contemptus, mei ipsius, Jam desidero meipsum vilipendere, contemnere, & nihili facere, & ab omnibus nihili æstimari, & contemni; jam verò alios omnes homines magnifacere mihiq; præponere.

O utinam id, quod in votis habeo, fiat! ut ego secundum æquitatem, & justitiam, omnibus debitum honorẽ, mihi verò omnes, prout dignus sum, contemptum exibeant.

Utinam aperiantur oculi animæ meæ! ut verè agnoscam indignitatem meam, nè super id quod sum, me extollam, & animam meam perdam.

O si jam clarè sit mihi notum! quòd contemptus, est magnus honor, corã te, & Angelis Beatis.

O si jam ex corde me vili pendam! ut per hoc tibi placeam, & in hoc tuam Sanctissimam voluntatem adimpleam, quam declarasti; dicens. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.

Gratiarum Actio.

PRo quo sis millies, & infinities benedictus. Gratias tibi ago, Dulcissime Domine DEUS meus; quia me superbum, & elatum hominẽ, cum Lucifero superbissimo, in infernũ præcipitem non dedisti: & quia hucusq; vitam ad pœnitentiam

&

& benè agendum mihi concesisti, mortemq; distulisti. Præterea infinitas tibi ago gratias. ô misericordissime JESU, & pro aliis innumeris, immensisq; beneficiis tuis, quae ex momento conceptionis meæ, usq; in hanc horam, de tua benignitate suscepi.
Reliqua habentur suprà. pag: 73. & pag: 94.

OBLATIO.

UT autem tuæ infinitæ charitati, & beneficiis tuis, aliquatenus reciproca gratitudine respondeam ô dulcissime JESU, cum nihil habeam, quod tibi dignius offeram, præter te ipsū.
Reliqua ut suprà pag: 79. & pag: 96.

Actus propositorum. Præterea firmissimè statuo pœnitentiam agere, pro mea elatione, & omnibus delictis meis, quibus te infinitum bonum totâ vitâ offendi.

Volo semper præ oculis habere vilitatem meam, & sic de me sentire, quod nihil sum aliud nisi cadaver fætidum, & dignum, ut illud omnes abominentur.

Absit à me, ut me aliis unquā præferam, memor, quòd æqualiter ego sum pulvis & cinis, sicut alii omnes.

Propono mortis memoriam habere semper, & sic me ab elatione, & omni peccato retrahere: quia tu dixisti per Prophetam: Memorare novissima, & in æternum non peccabis.

Nolo unquam oblivisci, qualis sim post mortē futurus; nimirum, esca vermium, bufonum ludibrium, hominum abominatio: ut justam agnoscam rationem, cur vilipendi, & contemni ab omnibus desiderare debeam.

Fugiam delicatè nutrire, aut molliter veſtire corpus meum, vel nimiam curam ipſius habere, utpote rei viliſſimæ, quod nihil aliud eſt, quàm ſaccus omnis immunditiei abominabiliſſimæ.

Recordabor ſemper vanitatis meæ & vilitatis, ut non me ſupra id, quod ſum, extollam.

Gaudebo ſemper, ſi quando alii mecum tanquā cum omnium viliſſimo proceſſerint.

Conabor hilarem vultum exhibere erga illos, quicunq; mihi exprobraverint indignitatem meam.

Volo ſemper ſuperiorem locum aliis cedere, tanquam dignioribus, & omnes honore prævenire.

PETITIO.

SEd quia ego prorſus infirmus, & impotens ſum &c. *ut ſuprà, pag:* 81. *& pag:* 97.

Per tuam infinitam bonitatem obſecro, Domine mi benigniſſime, porrige mihi dexteram cœleſtis auxilii, ut, quod te inſpirante propoſueram, fideliter adimpleam. Da mihi gratiam tuam, ſinè qua nihil poſſum, ut hanc veritatem, quam cognovi, de mea vilitate, vanitate, & indignitate, cuſtodiam: & defectus meos emendare, atq; pia deſideria mea perficere, omnem quoq; elationem, ſuperbiā, & peccata, tuamq; offenſam evitare poſſim. Da obitus mei præſentem memoriam, ut tempeſtivè domui animæ meæ diſponam.

Præterea da Domine mi clementiſſime, & fac, ut ſerviam tibi, ſecundum vocationem meam. *Reliqua ut habentur ſuperiùs in Exemplo Orationis pro Feria Secunda, pag:* 82. *&* 97.

EXEM-

EXEMPLUM
Orationis Vespertinæ.
• *PRO FERIA QUINTA.*
De Timore DEI.

TImor DEI alius est *Servilis*, alius *Filialis*, *Servilis* est, duplex. *Primus est*, quo aliquis timet pœnam: hoc est, quo aliquis timet offendere DEUM, nè ab ipso puniatur, & *hic timor est propriè Servilis. Alius est*, quo aliquis timet privationem mercedis: hoc est, quo aliquis timet offendere DEUM, nè ipsum excludat, à Regno Cœlesti: & *hic timor est Mercenarius. Filialis timor* est quoq; duplex *Primus dicitur Initialis*, quo aliquis ita timet DEI offensam ut simul etiam timeat pœnam: qui timor est Filialis imperfectus; vel mixtus ex timore filiali & servili. *Secundus est propriè Filialis*, quo aliquis timet solam DEI offensam, ex quo timore fugit omne peccatum: ideò, quia est offensa DEI summè boni, & summè dilecti, à quo etiam timet separari, & gratiâ ejus excidere. Incipiunt autem homines timere DEUM primo timore Servili, deinde Mercenario, hinc procedunt ad timorem Filialem Initialem, postea ad verè Filialem, in quo usq; ad finem vitæ perseverare debemus.

Et quoniam timor servilis est bonus & necessarius: quia est initium salutis, melior autem Filialis initialis: ideò adhunc timorem utrumq; habendum, multùm juvabit nos consideratio tremendi judicii DEI, prout docet nos S. Basilius in Psal. 33.

Timor, inquit, ſalutaris, & timor ſanctificationem faciens, qualis ſit, vis exponam? cum ad peccatum aliquod progredi voles, cogita mihi horrendum illud, & non ferendum Chriſti judicium,

Sunt autem neceſſario conſiderandæ nobis judicii Divini hæ circumſtantiæ: *Quis*, *Quid*, *Quomodo*. Primo *Quis judicabit?* nimirum, Judex Sapientiſſimus. Juſtiſſimus, Potentiſſimus, Severiſſimus, Terribiliſſimus, & ſummè metuendus. Secundo *Quid judicabit?* Omnia verba, cogitationes, & opera totius vitæ noſtræ, omnem tranſgreſſionem legum, mandatorum, ac voluntatis ſuæ Divinæ, tranſgreſſionem Votorum noſtrorum, Regulæ, Conſtitutionum Religionis, & Obſervantiæ regularis: omnes negligentias, omiſſiones, & minùs rectas intentiones: omnium beneficiorum, talentorum, atq; donorum DEI abuſum: & alios minimos quoque defectus, & imperfectiones. Tertio. *Quomodo judicabit?* Verè ſtrictè examinabit omnia: hoc eſt, minima quæque, Præterea rigidè judicabit: hoc eſt, ſecundum rigorem juſtitiæ ſuæ Divinæ. Inſuper ſeverè puniet: hoc eſt, ſupra omnem noſtram opinionem.

COLLOQUIUM ANIMÆ CUM DEO.

In principio ejus ponitur Commemoratio Judicii: Quis, Quid, Quomodo nos judicabit.

O Judex Sapientiſſime, Domine DEUS meus, quem nemo fallere poteſt: Potentiſſime, cujus voluntati & potentiæ nemo Reſiſtere valet: juſtiſſime, qui nullius perſonam accipis & nul-

nullum peccatum impunitum relinquis; Supreme à quo appellare non licet. Patientissime, qui peccata nostra dissimulas, & ad pœnitentiam longanimiter nos expectas; Severissime erga omnes superbos, & pœnitere nolentes: Terribilissime, & summè metuende, in cujus manus incidere horrendum est, qui omnia verba cogitationes, & opera, totius vitæ meæ, omnem transgressionem legum, mandatorũ, ac voluntatis tuæ, omnes negligentias, omissiones, & minus rectas intentiones, omnium beneficiorum talentorum, atq; donorum tuorum abusum diligẽter expendes, & rationem horum universorum à nobis requires: & cuncta strictissimè examinabis; hoc est, minima quæq; omnia rigidè examinabis, id est secundum rigorem justitiæ: omnia severè punies; hoc est, supra omnem opinionem nostram.

Admiratio. O quàm stupenda, quàm tremenda sunt judicia tua Domine! O quis hominum non expavescet? Quis ad memoriam tui tremendi judicii horrore non concutietur? Quis te tam terribilem & severum Dominum non timebit? Quis amplius te offendere, & quod tibi displicet attentare præsumet? Quis absq; sancto timore tuo vivet?

Accusatio sui. O me infelicem! qui sæpiùs immemor judiciorum tuorum fui, qui raro te districtum Judicem mihi ob oculos mentis proposui; non consideravi, quod de te Propheta Nahum enarravit: Quia tu es DEUS æmulator, & ulciscens Dominus in hostes tuos, & irascens ipse inimicis tuis. Ante faciem indignationis tuæ quis stabit? & quis resistet

in

in ira furoris tui? indignatio tua effusa est ut ignis, & petræ dissolutæ sunt à te. Sed quia hæc in animo expendere non curavi; ideò abiq, timore tuo vivens multa scelera commisi, tuam legem Divinam conculcavi, tua mandata prævaricatus sum, tuam voluntatem Sanctissimam contempsi. Non sum veritus peccare, timendo pœnam à te tremendo Judice mihi infligendam: vel timendo culpam & offensam tuam: vel timendo privationem gratiæ tuæ & gloriæ, ac æternam à te summo bono seperationem: unde omnis timoris expers fui.

Admiratio. O admirandam meam malitiam, per quam, memoriâ tui tremendi judicii sæpè ab anima mea exclusâ, te offendere non expavi.

Confusio. Propterea confundor, & erubesco, ob tantam rei indignitatem, quòd ego tam vilis creatura, contra te Dominum altissimum, in cujus conspectu etiam columnæ Cœli contremiscunt, sæpius insurrexi.

Reprehensio sui. Idcirco me acriter arguo, & reprehendo coram te, tanquam hominem impium & sceleratum, meq; pœnis æternis dignum esse judico.

Expostulatio. Vide nunc ô anima mea, quomodo peccando in DEUM & Dominũ tuum, thesaurizasti tibi iram DEI, in die iræ, & revelationis justi judicii ejus, qui reddet unicuiq; secundũ opera ejus? An ignoras, quia tribulatio & angustia præparata est, in omnem animam hominis operantis malum, ut nos monet Sanctus Paulus Apostolus.

Exsecratio. Exsecror, Domine mi, hanc meam audaciam, præsumptionem, & tui timoris oblivionem; quia hæc sunt contra honorem tuum. Exsecror simul & omnes iniquitates & peccata ob hunc defectum timoris tui commissa, tanquam maledicta, atq; tuæ bonitati opposita.

Abominatio seu Odium. Displicent mihi hæc omnia; quia tibi displicent. Abominor illa; quia sunt offensa tua. Utinam te nunquam offendissem! Utinam semper te DEUM meum, ac Dominum supremum pertimuissem!

Dolor. Doleo nunc vehementer, ex puro amore tui, quòd unquam offenderim te infinitè bonum. Doleo quòd honorem debitum non exhibui tibi. Sed quia major est misericordia tua, quàm iniquitas mea; ideò spero me à te, veniam omnium peccatorum meorum, ac emendationem: vitamque æternam, obtenturum. Ego autem nolo te ampliùs offendere, tuâ Divinâ gratiâ adjutus quam humiliter peto, & in qua sola confido.

Desiderium Timoris DEI. O superdilectissime Domine JESU, jam placet mihi vehementer timor tuus. Desidero ex toto corde meo in hoc timore tuo Sancto vivere semper. Verè enim justum & æqùum est ut timeam te tremendum Judicem, ut servus bonus. Verè decentissimum est, ut timeam te Patrem meum piissimum, ut verus Filius: Verê cōvenientissimum êst, ut timeam te Dominum meū Altissimum, Potentissimum atq; Supremum, sicut te timet Cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt: timent

timet Angelicæ potestates: timent omnes Sancti: timent & Principes tenebrarum.

O utinam hic timor tuus, Domine nunquam recedat à corde meo, adeò mihi ad salutem necessarius, & summopere mihi utilis! tum ut retrahat me ab omni opere malo, & offensa tua: tum ut fugiã quidquid displicet tuæ Divinæ Majestati: tum ut mandata tua velim nimis: tum ut misericordia tua, Domine, sit semper super me, sicut promisit mihi de te servus tuus fidelis David: dicens. *Psalm:* 117. Misericordia Domini ab æterno, & usq; in æternum, super timentes eum. Utinam igitur juxta beneplacitum tuum timeam te, ut misericordiam tuã inveniã!

Gratiarum Actio.

SEd hæc Misericordia tua est magna, per quam sinè timore tuo me viventem, & te offendentem tam diu tolerasti, pro quo sis infinities benedictus. Sis benedictus, quòd non me hactenus ad judicium tuum vocasti, & reddere rationem nondũ jussisti, ut interea ego me ipsum judicem, & severè puniam.

Insuper sis infinities benedictus, & pro aliis innumeris immensisq; beneficiis tuis. *Reliqua ut suprà pro Feria secunda, pag:* 73. *&* 94.

OBLATIO.

H*Ujus Exemplum habetur suprà pag:* 79. *&* 96. cui addatur hæc specialis Oblatio seu Proposita.

Præterea firmissimè statuo servire tibi Domino

meo in timore, & exultare tibi cum tremore.

O DEUS meus, timeo te; quia potens es me mittere in gehennam & in æternum me à te exulem efficere: ſimul tamen proteſtor; quòd quamvis nulla mihi eſſet propter peccatum inferenda pœna, adhuc me ab illo abſtinerem; nè Divinam tuã Majeſtatem offenderem.

Timeo te; quia tu Dominus meus es; & quia dixiſti: Si ego Dominus, ubi eſt timor meus.

Timeo te; quia neſcio an odio, an amore dignus ſim.

Timeo te; quia incomprehenſibilia ſunt judicia tua, Domine, & inveſtigabiles, viæ tuæ, ut neſciam, quid de me ſit futurum.

Timeo te, non ut ſervus emptitius ob pœnam, ſed ut filius chariſſimus, nè tuam Divinam offenſam incurram.

Timeo te, nè à te ſeparer, in quo omne bonũ eſt.

Timeo te timore reverentiali, & inſtar Beatorũ, revereor infinitam tuam Majeſtatem, ac Omnipotentiam, ex toto corde me tibi ſubdens, ac me velut nihilum in conſpectu tuo agnoſcens.

Scio, Domine mi, quòd peccatum maximũ malum tuum; ideò ad quodlibet exhorreſcere ſtatuo, illudq́; magis timere, quàm mortem, aut ignominiam, aut ipſam gehennam. Nolo, Domine mi Altiſſime, aliquid, quòd tibi diſplicet, committendo te offendere.

O Domine DEUS meus, qui dixiſti per Prophetam: Qui timet DEUM, nihil negligit, & membra,

bra, & ſenſus, & lingvam ab omni actu illicito cohibet: ideò & ego ſic te timere volo.

Quando quidem qui timet te Dominum in mandatis tuis volet nimis, eodem modo te timebo ſemper, ut nunquam tranſgrediar mandata tua, ſed illa adimplere, quàm perfectiſſimè conabor.

PETITIO.

VErùm quia ſinè te nihil prorſus facere poſſum, Domine: idcirco rogo te per tuam infinitam Bonitatem. *Reliqua ut ſuprà pag:* 81. *quibus hæc addantur.*

Adjuva me, Rex benigniſſime, ut te ſupremum Dominũ reverear; ut judicia tua horreã tuã offenſam pertimeſcam; quidquid tibi diſplicet fugiam; tua mandata fideliſſimè adimpleam; & ut cum timore, & tremore me ſemper in oculis tuis geram. Confige, Domine, timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. Non intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Delicta juventutis meæ nè memineris, Domine. Quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo, iram tuam dinumerare? Domine, nè infurore tuo arguas me neq; in ira tua corripias me.

His addatur Petitio communis, quæ ſuprà habetur. pag: 82. *&* 97.

EXEMPLUM

Orationis.

PRO FERIA SEXTA.

De Pœnitentia interna & externa, ſeu ſpontanea afflictione ſui, & Mortificatione.

HAc die proponuntur ad meditandum Pœnæ inferni atrocissimæ, gravissimæ, & in omnẽ æternitatem duraturæ. Istæ autem pœnæ sunt duæ: *Pœna sensus* quã damnatorũ sensus omnes tam externi, quam interni sustinebunt: & *Pœna Damni*, quæ est privatio Visionis DEI. Ex quarum pœnarum consideratione debemus excitari ad severam Pœnitentiam, & Mortificationẽ corporis.

COLLOQUIUM ANIMÆ CUM DEO.

In cujus principio damnatorum Pœnæ Commemoratio ponitur.

O DEUS meus, supreme Domine, Judex æquissime, cujus recta sunt judicia: qui sicut præmia æterna præparasti bonis in Cælis; ita malis supplicia sempiterna in inferis; & quẽadmodum nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparasti diligentibus te: simili modo quæ præparasti offendentibus te: nimirum, *Pœnam sensus*, quâ omnes sensus torquebuntur; & *Pœnam damni*; seu exclusionem à bonis æternis, à Regno cœlesti, & dulcissima visione tua: pro quibus infernum creasti latum sinè mensura, profundum sinè fundo, plenum ardore incomparabili; ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi perpetuus fletus, & stridor dentium, ibi fames inexplebilis, sitis insatiabilis, morsus aspidum, & draconum crudelium, intuitus dæmonum & larvarum horribilium, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali.

Admiratio. O clementiam admirandam tuam,

Domine mi benignissime, per quam nondum his malis me sceleratum hominem involvisti: necdum in barathrum inferni horrendum detrusisti: neq; tortoribus crudelissimis me tradidisti: nec æternis gehennæ ignibus, ac infinitis cruciatibus quos per infinita peccata promerueram, me deputasti: expectando, cum tanta tua longanimitate, meam ad te veram conversionem, & pœnitentiam, atq; perfectam vitæ emendationem.

Accusatio sui. Heu me hominem insanum, saxis & petris duriorem, qui sciens me illos æternos cruciatus, innumeris sceleribus meis promeruisse, non ignorans tantam acerbitatem pœnarum inferni mihi peccatori præparatam esse, si dignam pænitentiā non egero, prout debeo. Nondum tamen veram pœnitentiam ago, prout debeo. Nam ubi sunt lacrymæ, ubi gemitus, ubi jejunia, ubi vigiliæ, ubi afflictio & congeminata corporis mei castigatio? si enim per quæ quis peccat, per eadem puniendus est; si per visum quis offendit te Dominum suum potētissimum, vel si per auditum, gustum, odoratū, & tactum, vel per abominabile corpus suum, iisdem sensibus & corpori pœnam convenientem, seu pœnitentiam indicere debet; de quo ego me coram tua Divina Majestate accuso, quia id non facio. Sed post tot crimina, quæ per sensus meos commisi, & te Dominum meum offendi sensus meos freno mortificationis non retineo, nec à placitis eorum objectis cohibeo: corpus quoq; meum, auctorem multorum scelerum à me perpetratorum, adhuc indul-

gen-

genter tracto, omnes ei commoditates quæro, & nè quid molestum patiatur procuro; quâ in re, quid aliud ago, nisi pabulum ignibus inferni sempiternis præparo.

Admiratio. O quis non obstupescat super hanc meam dementiam, & à recta ratione defectionem? eò quòd negligam opportunitatem, quæ mihi nunc à te Clementissimo Domino datur, effugiendi illa gehennæ tormenta, si modò punirem in me, quod in inferno puniendum esset.

Confusio. Erubesco Domine, DEUS meus, & ingenti pudore suffundor, dum perspectum habeo tã gravem meum abusum tuæ Divinæ patientiæ supra me & adeò diuturnæ expectationis meæ pœnitentiæ.

Reprehensio. Unde jure meritò me arguere, & reprehendere cogor, tanquam hominem iniquissimum, qui læsum tuum jus meis peccatis per pœnitentiam veram resarcire, non satago, nec pro injuria infinita, quam tuæ Majestati peccando irrogavi, satisfacere conor.

Expostulatio. O anima mea quid agis? quid moraris? quamdiu cæcuties? an pericula, & maxima tua damna non vides? ecce peccata tua te ad infernũ trahunt, & in ignẽ æternũ compellunt: ecce jã infernus fauces aperit, ut te devoret: ecce hostes tui, qui æternam mortem tibi machinantur jam te comprehendunt, ut te in abyssum inferni detrudãt: evigila igitur, & te ipsam punias, castiges, mortifices, ut per infinita sæcula non puniaris.

Exsecratio. Exsecror, Domine hunc teporem in castigando & affligendo corpore meo, & exercenda mortificatione mei ipsius; exsecror illum, utpote justitiæ Divinæ contrarium: sit jam anathema apud me.

Abominatio. Abominor illum ob amorem tuũ.

Dolor. Doleo, quòd dignos fructus pœnitentiæ pro tuis offensis nondum egi, propter te, quem nunc amo super omnia. Doleo quòd justam vindictam pro tua injuria de me usq; modò non sumpsi. Insuper doleo, quòd offenderim te, infinito amore,& honore dignissimum gravissimis & innumeris peccatis meis, totâ vitâ meâ.

Spes veniæ. & quamvis me perturbet gravitas, & multitudo iniquitatum mearum: tamen solatur me magnitudo misericordiæ tuæ,& multitudo miserationum tuarum, ad quas refugio, atq; spem meam totam in eis colloco, firmissimè sperans me à te veniam, & emendationem, tuũq; Divinum auxiliũ ad seriam pœnitentiam internam & externam seu ad veram cordis compunctionem & mei corporis afflictionem obtenturum.

Desiderium pœnitentiæ. Jam, dulcissime DEUS meus, desidero vehementer me totum pœnitentiæ exercitiis variis, & mortificationis dare, & sic injurias in me vindicare.

Opto ex animo crucis mortificationem jugiter in meo corpore, pro tui nominis honore, & pro delictis meis, sicut justum & æquum est portare.

Cupio pro pœnis æternis, quas merui, totâ vitæ

meæ decursu, temporales pœnas propriâ sponte salutis meæ causâ subire.

O si mihi hæc daretur facultas, ut cum Propheta David cinerem tanquam panem semper manducarem, ut potum meum cum fletu miscerem: ut non tantùm media nocte surgerem ad confitendum tibi, sed totam noctem in Orationibus, in gemitu & planctu, in castigando corpore meo ducerem, & lacrymis meis stratum meum, pro tuis, Domine DEUS, offensis, rigarem!

O si possem, exemplo Beatæ Mariæ Magdalenæ verè pœnitentis, in horrido antro aliquo me includere, & ibi reliquum vitæ meæ tempus, in lacrymis, in vigiliis, & jejuniis transigere!

Paratus sum, Domine mi, antiquorum Eremitarum more, in desertis, & solitudine, cum draconibus & basiliscis, cum leopardis & bestiis ferocissimis habitare, & ibi in fame & siti, in frigore & nuditate, in ciliciis & disciplinis vivere.

Hæc sunt, Domine DEUS meus, vota mea, hæc desideria, per quæ tibi summopere placere desidero, tuumq; mandatum ad implere: qui dixisti. Pœnitẽtiam agite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum.

Gratiarum actio.

GRatias tibi ago infinitas, benignissime JESU, pro tam svavi mandato, nobisq; ad vitam æternam consequendam necessario. Præterea gratias ago tibi, quòd tam longanimiter, ut veræ pœnitentiæ meæ opera agerem, expectasti: quòd ad hoc, & tempus, & opportunitatem, & statum,

& locum competentem mihi providiſti: quòd non me ligatis manibus projeciſti in tenebras exteriores, ubi erit perpetuus fletus, & ſtridor dentium: non me cum maledictis miſiſti in ignem æternum: non me infenſiſſimis hoſtibus meis flammis infernalibus cruciandum demandaſti.

O quàm multi criminum meorum ſocii jam atrociſſimas exolvunt pœnas in inferis! ô quàm multi pro paucioribus & levioribus peccatis torquentur nunc immaniſſimè à noſtris inimicis. Et ego adhuc ſum liber ab omnibus. Et unde hoc mihi?

O clementiam & benignitatem tuam infinitam erga me peccatorem! An non meritò te amare ex toto corde tam bonum Dominum debeam? an non juſtis de cauſis, prorūpere in laudes tuas, & gratiarū actiones ſit me neceſſe?

Benedictus ſis, Domine DEUS meus, in æternum; quia benignus & miſericors es ſuper malitiā meam, & non feciſti mihi ſecundum peccata mea, ſed ſecundum multitudinē miſericordiarum tuarum, me ab æterna damnatione præſervaſti.

Gratias igitur tibi ago millies, centies millies, & infinities pro his, & pro aliis innumeris, immenſisq; beneficiis tuis, quæ ex momento conceptionis &c. *ut ſuprà, pag:* 73. & 94.

OBLATIO.

HÆc *fieri poteſt, ut ſuprà habetur; pag:* 79. *cui addantur iſta Propoſita.*

Præterea firmiſſime ſtatuo vitare omnia peccata, etiam minimas offenſas tuas; omnem trāsgreſ-

ſionem

ſionem mandatorum tuorum, legis, ac voluntatis tuæ Divinæ; omnem ingratitudinem, ac infidelitatem.

Volo contra me ipſum inſurgere: volo mihi indignari, & iraſci, & tuā injuriam, variis corporis mei afflictionibus, in me ulciſci.

Certè mihi non parcam. Inimicus ero mihi propter tuam offenſam. Faciam me contrarium mihi; quia contrarius fui tibi, & meipſum caſtigando, fiam mihimet ipſi gravis.

Vivet ab hinc in amaritudine anima mea, quæ priùs, propter ſua oblectamenta, offendit te.

Volo, ut pœniteat animam meam vitæ meæ præteritæ peſſimæ.

Et quia per exceſſum ſenſuum meorum ſæpiùs deliqui: ideò hos in me punire propono, cohibendo eos, ab omni vanitate, eiſq; omnia oblectamenta ſubtrahendo.

Dabo operam refrenare ſemper paſſiones meas, & affectus meos, nè ferantur ad illicita; & à licitis aliquando, ob amorem, honoremq; tuum, abſtinere, & in uſu illorum neceſſario, nè ſit aliquis exceſſus, modum tenere.

Inſuper pro tranſgreſſione legum, ac mandatorū tuorum, voluntatiſq; tuæ Divinæ, & pro omnibus delictis, atq; peccatis meis dignos fructus pœnitentiæ facere, firma & integra voluntate decerno.

Immò centies me crucifigi permittam, & in quolibet corporis mei articulo ſpecialem pœnam ſentire vellem ad ultionem peccatorum meorum, quibus læſi honorem tuum.

Nihil eſt tam durum, nihil tam aſperum, tã ſenſui meo, & voluntati contrarium, quod non ſubire paratus eſſem, ut injuriam, quam tuæ Bonitati feci, reſarcirem.

At infirmus ſum, Domine mi benigniſſime; carnem fragilem geſto; vires corporis impares deſiderio habeo: ideò non quantùm vellem, ſed quantum potero, tuo fretus auxilio, tantùm pœnarum, & doloris, ad ſatisfactionem & ad ſolvendas inferni, quas promerui pænas, aſſumere conabor.

PETITIO.

SEd quia ſinè auxilio tuo Divino, nihil poſſum; non ſum, Domine, ſufficiens ſinè te aliquid boni cogitare, multo magis aliquid boni præſtare: ideò pulſo precibus meis ſupplex viſcera miſericordiæ tuæ, ut ad exequenda hæc propoſita mea, & deſideria complenda, dexteram Cœleſtis auxilii tui mihi prætendere, & me ab æterna damnatione eripere digneris, ſicut hactenus feciſti.

Nè, quæſo, tradas beſtiis infernalibus animam meam confitentem tibi, & tuo ſangvine pretioſiſſimo redemptam. Nè recorderis iniquitatum mearũ: citò anticipent miſericordiæ tuæ, & ego miſericordias tuas in æternum cantabo. Domine, hîc me ure, hîc ſeca, & in æternum parcas, ſicut in tua infinita bonitate ſpero.

Interea dum ſpiritum in vivis duco, ſupplico tuæ Divinæ Majeſtati, da, tu ſerviam tibi Domino meo, prout exigis à me, nimirum, juxta regulas, vocationis meæ. *Addatur Communis Petitio, ut ſuprà, pag. 82. ac 97.* EXEM-

EXEMPLUM

Orationis Veſpertinæ.

PRO DIE SABBATI.

De Puritate Cordis.

HAc die ſolet proponi ad conſiderandũ Gloria cœleſtis. Itaq́, conſiderando magnitudinem præmii vitæ æternæ, quod Sanctus Apoſtolus deſcribit, dicens: nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ DEUS præparavit diligentibus ſe. Præterea conſiderando, quòd vita æterna conſiſtit in clara Viſione DEI, teſte Beato Joanne Apoſtolo: Hæc eſt, inquit, vita æterna, ut videant te: ad quam viſionem DEI ſoli admittuntur, qui ſunt mundo corde, ut ipſemet Chriſtus Dominus noſter nos docuit, dicens: Beati mundo corde, quoniam ipſi DEUM videbũt: facile cognoſcere unusquisq́; poteſt, munditiem, & puritatem cordis eſſe neceſſariam ad vitam æternã, & gloriam Cœleſtem conſequendam; quæ cordis puritas requirit pœnitentiam, & lacrymas, fugam peccatorum & occaſionum, exſtirpationem vitiorum, abſtractionem affectuum & amoris à rebus temporalibus & creatis, requirit quoq́; rectam intentionem.

Itaq́; ex conſideratione iſtorum, debemus excitare in nobis deſiderium, & curam puritatis cordis.

COLLOQUIUM ANIMÆ CUM DEO

Fiat primo Commemoratio, quòd creati ſumus ad claram Viſionem DEI in Cœlis, ad quam pervenitur per Puritatem cordis.

O Superamantiſſime JESU, qui nos ab æterno amaſti, & tuæ beatitudinis participes facere propoſuiſti, ac propterea nos ad imaginem, & ſimilitudinem tuam, ejusdem gloriæ tuæ capaces, & tuæ claræ viſionis creaſti, & ad hanc conſequendam, media nobis providiſti, & oſtendiſti, inter quæ, Puritatem nobis commendaſti, dicẽs: Beati mundo corde, quoniam ipſi DEUM videbunt: ut hujus puritatis ſpecialem curā haberemus, eāq́; amaremus, & quæreremus.

Admiratio. O bonitatem admiratione ſumma dignam! cui non ſufficiebat nos ex abyſſo nihili educere; & ad gloriam illam ſublimem cœleſtem deſtinare, ſed quomodo illud ſummum bonum deberemus obtinere, nos edocuiſti.

Accuſatio ſui. Heu me miſerum hominem; cujus cor eſt immũdius ipsâ cloacâ totius mundi, fædius vaſe immunditiei, aut ſterquilinio, tetrius Æthiope nigro, propter multitudinem iniquitatum mearum, quibus illud, totâ vitâ meâ inquinavi, fædavi deturpavi.

Fateor enim, & me accuſo, quod in multa flagitia incidi, innumera ſcelera perpetravi, multorum peccatorum ſordes & immũditias contraxi; quia illa non vitabam, occaſiones non fugiebam, quæ minora videbantur flocci pẽdebam: non cuſtodiebam ſenſus meos, non reſiſtebam inclinationibus ad malum, vitiis exſtirpandis non incumbebam, affectus inordinatos à rebus rerrenis non abſtrahebam, vana ſolatia in rebus creatis quærebam, non avertebā cor

meum

meum ab in utilibus curis, nec pura intentione, tibi ſoli Domino ſupremo in omnibus placendi, cuncta faciebam. Et quòd pejus eſt, poſt tanta delicta commiſſa, dignos pœnitentiæ fructus nondum feci, non veris lacrymis conſcientiam meam lavare ſtudui, cor meum per ſinceram compunctionem mundare neglexi.

Admiratio. O quis non obſtupeſcat ſuper hanc tantam meam negligentiam, ſocordiam, incuriam, de re adeò neceſſaria ad ſalutem, de puritate animæ acquirenda?

Confuſio. Verè pudore ſuffundi debeo, & erubeſcere, quòd ego gratiâ tuâ Divinâ vocatus ad Religionem, ad ſtatum pœnitentiæ, ad locum lacrymarum, ad lavacrum animarum, adhuc inquinatus maneo; quia nondũ antiquas peccatorum maculas ablui, immò novas acquiſivi, quibus me tuæ Divinæ Majeſtati abominabilem reddidi.

Reprehenſio. Ac propterea eſt, ut me coram te arguam, tanquam hominem improbum, & juſtas pœnas de me ipſo ſumam.

Expoſtulatio. O quid agis anima mea, quid agis? quid lucri habes de ſordibus tuis? quibus, dum peccas, inquinaris, & te non tantùm DEO, ſed etiam Angelis odioſam, inviſam, ingratam reddis, atq; indignam conſortio puriſſimorum ſpirituum, incolarum Cœleſtium, atq; ipſo Cœlo efficis? Nihil enim inquinatum intrabit in regnum cœlorũ: nullus immundus admittetur ad illam ſupernam civitatem, quæ eſt aurum mundũ ſimile vitro mundo: nullus

habi-

habitabit in tabernaculo DEI, nisi innocens manibus, & mundo corde.

Exsecratio. Exsecror Domine JESU, omnem impuritatem, propter te: quia tibi est ingrata; quia est contraria tuæ infinitæ puritati, Mundi enim sunt Oculi tui, nè videas malum, seu aliquod immundum.

Odium Impuritatis. Displicet mihi omnis impuritas, omnis immudities cordis, quia tibi displicet; abominor illam, & detestor, ex amore tui.

O utinam nunquam inquinassem animam meam sceleribus multis! utinam nunquã oculis tuis displicuissem per meã cordis immunditiẽ!

Dolor. Defleo ex toto corde meo, ob amorẽ tuum, quòd unquam offenderim te Dominũ infinitæ bonitatis, & quòd cũ displicentia tua, fædis maculis scelerũ multorũ animã meã inquinavi.

Spes veniæ & auxilii. Tamen spero in tua bonitate; quòd secundũ multitudinẽ miserationũ tuarũ delebis iniquitatẽ meã, & ampliùs lavabis me, & mundabor & super nivem dealbabor.

Propositũ emẽdationis. Ego autẽ nolo te ampliùs offendere tuâ gratiâ adjutus, quam peto humiliter, & in qua sola confido.

Amor & desiderium cordis puritatis. Et quoniam displicet mihi cordis impuritas, ideò amo, propter te, omnem puritatem; desidero eam uti rem utilissimam, pulcherrimã & necessariam, & tibi placentem quærere, illaq; omnia, quæ ipsi sunt contraria, summopere vitare.

O utinam nulla ab hinc peccati labes inficiat cor meum, ut in eo tanquam in templo tuo permaneas ſemper!

O ſi jam pulchritudinem animæ meæ, quã ipſi in ejus creatione contuliſti, illum nitorem, quæ à gratia Divina tua haberi ſolet, illam formam, per quam ſit in oculis tuis formoſa, per aliquod ſcelus, per inordinatum affectum ad creaturas, ſiniſtram intentionem in omnibus actionibus meis non unquam amittam.

O ſi hanc veſtem nuptialem pretioſiſſimam citò acquiram, ut in illa tibi Domino meo ſemper placeam, ſinè qua ad nuptias tuas cæleſtes nemini intrare licet.

Gratiarum actio.

GRatias tibi ago infinitas benigniſſime JESU, quòd mihi ad comparãdam hanc veſtem nuptialem, ſeu cordis munditiem, ad abluendas animæ meæ maculas, per veras cordis lacrymas, tempus indulges.

Gratias tibi ago, quòd me peccantem, & te Dominum meum offendentem tam diu in terris ſuſtinuiſti.

Gratias tibi ago, quòd me in ſordibus peccatorum jacentem à te in æternum non repuliſti. Præterea gratias tibi ago infinitas & pro aliis innumeris immenſiſq; beneficiis tuis, quæ ex momẽto conceptionis meæ uſq; in hanc horam de tua benignitate ſuſcepi. *Reliqua ut ſuprà pag: 73. & 94.*

Actus

Actus Gratiarum actionis Laudis, & Amoris DEI. Itaq; pro omnibus his recensitis beneficiis, gratiis & donis tuis infinitas tibi gratias agô ô æternum bonum meum. *Reliqua ut supra pag: 75.*

OBLATIO.

UT autem tuæ infinitæ charitati, & beneficiis tuis, aliquatenus reciprocâ gratitudine respondeam, ô dulcissime JESU, cum nihil habeam, quod tibi dignius offeram, præter te ipsum. *Reliqua ut supra pag: 79. &. 96.*

Proposita. Præterea firmissimè statuo solo intuitu placendi tibi, & quia tu vis, & es superdignissimus, vitare omnia peccata, non solùm gravia, sed etiam levissima, nè amplius inquinem animam meam.

Nolo unquam etiam minimum peccatum flocci facere, sed quasi à facie colubri ab omni peccato fugere decerno.

Placeat tibi, Domine JESU, ut priùs hoc corpus meum vitâ destituatur, quàm anima lethali culpâ maculetur.

Rigabo semper lacrymis stratum cordis mei, ducam jugiter exitus aquarum ex oculis meis, ut per eas, unâ cum sangvine tuo sacratissimo, mundetur cor meum ab omnibus sordibus peccatorum.

Custodiam diligenter sensus meos, nè per illos, tanquam patens ostium irrumpat aliqua fæda iniquitas, & maculet animam meam.

Omnes cogitationes meas à malis & pravis apprehensionibus emundare, & ab aliis abstrahere, nè

cor

cor meum, in quo tu vis in habitare maculetur, ſemper ſolicitus ero.

Obſervabo ſedulò inclinationes meas ad malum, illiſq; reſiſtere fortiter curabo.

Etiam inolita vitia, & pravos habitus, quæ me ſollicitant ad antiqua ſcelera, penitùs eradicare conabor.

Non ſolùm ab omnibus rebus illicitis, ſed etiam à licitis oblectamentis cor meum abſtrahere, ut fiat purum habitaculum tuum, propter te propono.

Omnē amorē rerū viſibilium & creatarum, ex amore tui, depono, & nè cor meum illis adhæreat, operam dabo.

Affectum nimium, erga me ipſum, & erga hanc vitam, ſalutemq; temporalem, ob amorem tuum, abijcere volo.

Mundiſſime JESU, tibi ſoli verò DEO meo, & Cœleſtibus, tota mente inhærere cupio, & decerno.

Et quoniam vera puritas cordis haberi non poteſt, niſi habeatur intentio recta & pura: itaq; hanc puriſſimam in omnibus cogitationibus, verbis, & actionibus meis habere, atq; tibi ſoli in illis placere, tuam voluntatem facere, tuamq; gloriam, & honorem intendere volo ſemper.

PETITIO.

SEd quia ego homo infirmus ſum, & ſinè te nihil prorſus facere poſſum, Domine DEUS meus: ideò rogo te, per tuam infinitam bonitatē, & miſericordiam, porrigere mihi digneris dexterā Cœleſtis auxilii ad hæc implenda, quæ propoſui, nimirum, ad acquirendam, & conſervandam, cor-

dis, & animæ puritatem. Immò tu Domine, qui es fons aquæ vivæ vitæ, puritatis amor, & omnis mũditiei origo, hanc munditiem & puritatem mihi conferre velis, finè qua puriſſimis oculis tuis placere nequeo.

Tu Domine mi, ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele omnem iniquitatem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & â ſordibus peccatorũ meorũ mũda me. Quis enim poteſt facere mundũ de immundo? Non nè tu, quis ſolus es Omnipotens, qui ſolus es Sapientiſſimus, qui ſolus es Optimus.

Domine, ſi vis potes me mundare. Dic, obſecro tuam infinitam bonitatem: volo, mundare. Séd poſtquam mundatus fuero, nè permittas me ampliùs ullo peccato inquinari: ſubtrahe mihi omnes occaſiones peccandi. Cohibe omnes & affectus meos, nè ad mala, & tibi diſplicentia ferantur. Fac, ut tota cordis mei affectione tibi ſoli inhæream, te ſolùm quæram, tibi ſoli placeam, tuam voluntatem faciam, tuam gloriam & honorem intendam, & hoc modo gratum tibi obſequium exhibeam.

Petitio Communis. Præterea fac, ut ſerviam tibi Domino meo ſecundùm vocationem meam. *Reliqua ut ſuprà, pag.* 82. *&* 97.

EXEMPLUM
Orationis Veſpertinæ.
PRO DIE DOMINICO.
De Cognitione ſui, & ultimi Finis.

INitium vitæ ſpiritualis ac perfectionis omninò fumen-

mendùm est à Cognitione sui, & Finis ultimi, ut sciat homo, Quid sit, Quis Finis ipsius, propter quē eū creavit DEUS. Nam si non cognoscit se ipsum, facilè non spiritualem vitam hominibus propriam, sed animalem, more brutorum vivet: & si ignoraverit finem suum, qui est ipse DEUS, nunquam ad eum amandum, in quo consistit nostra Perfectio, movebitur.

Sciendum ergò est hominem constare ex corpore, & anima rationali immortali, qui ex parte corporis, est vilissimus, similis animalibus ratione carentibus & multis miseriis, videlicet, mortis, ægritudinis, doloris, tristitiæ, & aliis innumeris subjectus: ex quorum consideratione oritur in homine contemptus sui ipsius. Jam verò ex parte animæ rationalis, est nobilissimus, ad imaginem, & similitudinem DEI conditus, & capax æternæ beatitudinis, seu visionis DEI. Et ideò finis ultimus hominis, propter quem DEUS eum creavit est ipse DEUS, & Beatitudo æterna, seu vita æterna, quæ consistit in clara visione DEI.

Hic finis ultimus secundum S. Thomam dupliciter dicitur: Finis Cujus: & Finis Quo: hoc est ipsa res, quæ ab homine desideratur, & adeptio, vel possessio, seu fruitio rei. Sicut hominis avari, pecunia, est Finis Cujus: & possessio pecuniæ, est Finis Quo. Igitur ultimus noster Finis Cujus, est DEUS: jam verò Finis Quo, est Beatitudo æterna, quæ est adeptio, vel fruitio DEI summi boni: & propterea hæc Beatitudo, dicitur esse summum hominis bo-

num. Sumus ergò creati à DEO propter eum cognoſcendum, colendum, ſuper omnia amandũ, eiq́; ſerviendum, & obtemperandum; & ut eum amando, eiq́; ſerviendo, atq́; mandata illius ſervando, vitam æternam conſequamur. Hinc conſideret unuſquiſq́; incipiens ſervire DEO, quid hactenus propter hunc duplicem ultimum Finem in vita ſua fecit: an more brutorum, an verò hominum rationalium, vitam in terris duxit. Quod ſi in hoc defecerit, ſtudeat ideò novam, Sanctam, ſpiritualem, DEO placentem inchoare, & præteritam vitioſam, & pernitioſam relinquere vitam.

COLLOQUIUM ANIMÆ CUM DEO

Cõmemoratio Finis ultimi noſtri propter quem à DEO creati ſumus.

O DEUS infinitæ Potentiæ, & Sapientiæ, & Bonitatis, qui es Principium, & Finis ultimus noſter: qui propter te ipſum, & gloriã tuam, creaſti nos, ut te in hac vita cognoſceremus; tibiq́; mandata tua ſervando, & voluntatem tuam faciendo ſerviremus: & ut in Cœlo æternam beatitudinem, quæ in clara Viſione tui conſiſtit, obtineremus, te poſſideremus, & te frueremur in æternũ. Ideò licet, quantùm ad corpus, creaveris me viliſſimum ſimilemq́; animalibus ratione carentibus: ſed quantùm ad animam rationalem, feciſti me nobiliſſimum, ad imaginem & ſimilitudinem tuam, aptã ad æternam beatitudinem conſequendam.

Admiratio. O quantum beneficium hoc eſt, quod mihi præſtitiſti! ô quàm magni æſtimandum!

Accusatio sui. Ego autem ingratissimus hucusq; fui, qui non consideravi, non diligenter in animo expendi hanc tuā specialē gratiā, & amorē erga me tuum, ex quo me ad eum finem, cujus gratia Angelos condidisti, nēpe ad te per omnē æternitatē possidendum, & fruendum te, creasti. Et ideò minùs curavi, ut ad te felicem, & ultimū meum Finem aliquando pervenirem, qui es verum, unicum, & summum bonum meum, quod obtineri non potest, nisi te summè reverendo, colendo, diligendo, tibi ut supremo Domino serviendo, obsequendo, mandata tua fideliter exequendo, & tuam Sanctissimam voluntatem adimplendo, quod ego non feci, de quo me nunc prostratus coram tua Divina Majestate, vehementer accuso,

Admiratio. O quanta hæc cordis mei vesania! quanta ingratitudo! Quis super hæc non obstupescat?

Confusio. Confundor Domine DEUS meus, & erubesco, eò quòd bruta ratione, & cognitione tui destituta, semper operantur propter illum finem, ad quem sunt à te destinata, tibiq; serviunt eo modo, quem præscripsisti eis: ego autem sciens, ad quid sum ex tua infinita bonitate conditus, nihilominùs ad id non contendo.

Reprehensio. Proinde non solùm acriori reprehensione, ut hominem insanæ mentis, sed etiam ut ingratum, privatione illius æternæ felicitatis me dignum esse censeo.

Expostulatio. O anima mea quid agis! rem

tanti momenti negligis? non cernis quantum thesaurum, immo congregationem omnium bonorum amittis! Si enim DEUM perdideris, omne bonum, omnes delicias, omnia solatia simul perdes, & invenies omne malum, omnes cruciatus, omnes dolores & infelicitatem nullis sæculis terminandam.

Exsecratio. Exsecror, Domine DEUS meus, hanc meam ingratitudinem summam, erga te clementissimum Creatorem meum, tuæ Divinæ bonitati contrariam.

Abominor illam: & doleo ex amore tui, quòd hucusq; tibi Domino meo non servivi, neq; te amavi, neq; colui ut debui, nec mandata tua servavi, nec aliquid pro illa æterna vita consequenda feci, verùm multis peccatis totâ vitâ meâ te offendi.

Et quamvis non merear ullam misericordiam tuam; tamen sciens, quia infinitè bonus es, spero, quòd veniam omnium offensarum tuarum, & emendationem vitæ condonabis.

Desiderium Finis ultimi. Jam totis animæ meæ præcordiis desidero finem meum, ad quem tam nobiliter me creâsti, præ oculis semper habere, & ad eum pertingēdum anhelare. Cupio die ac nocte, omni horâ, omni temporis momento hoc unum curare quatenus ad illam æternam beatitudinem, te DEUM meum, amando, colendo, mandata tua fideliter servando, perveniam.

O si jam ita faciam, ut hoc modo salutem animæ meæ obtineam!

O utinam abhinc id, quod mihi tam sit utile, tā glorio-

gloriosum, & maxime homini ratione prædito conveniens- quæram, ut te solum unicum bonum meum inveniam, & possideam!

Utinam aliquando fruar te adeo jucundo & delectabili bono!

Utinam immergar aliquando omnium deliciarũ tuarum Divinarum abysso, cujus rei gratiâ, tu me, per tuam infinitam bonitatem, condidisti.

Gratiarum actio.

PRo quo tam eximio & insigni beneficio millies laudibus te extollo, dulcissime Domine DEUS, & Creator meus, & immensas gratias refero: quia fecisti me, non ut in his terrenis hærerem, sed ut te summum bonum, tanquam hæreditatem meam, possiderem, & ut de te, in omnem æternitatem perenne gaudium haberem.

Præterea infinitas tibi gratias ago quia me dotasti animâ rationali, nobilissimis potentiis ornatâ; intellectu, ad cognoscendum te; voluntate, ad amandum te; memoriâ ad recolendum, & recogitandum te.

Gratias tibi ago infinitas, quia dedisti mihi notitiam Finis ultimi mei, & eorum quorum adminiculo ad hunc finem pervenire possum. Et pro aliis innumeris, immensisq; beneficiis. *Reliqua habentur supra pag: 73. & pag: 94.*

OBLATIO.

UT autem tuæ infinitæ charitati, & beneficis tuis, aliquatenûs reciprocâ gratitudine respondeam. *Vide cætera pag: 79. & pag: 96.*

Propoſita. Præterea firmiter propono fideliſſimè tibi Domino meo ſervire, & omnia peccata, quæ mihi vitam ad æternam beatitudinem præcludunt, & nè ad te, meam beatam felicitatem perveniam, me præpediunt, toto conatu vitare.

Nolo unquam affici ad res terrenas vanas, caducas, quæ me à te ſummo bono retrahunt.

Abſit à me ut cor apponam auro & argento, divitiis, & opibus, gemmis, & lapidibus pretioſis: abſit, ut ſequar delicias, & voluptates carnis, abſit, ut deſiderem honores & dignitates, famam & gloriã, & quidquid in mundo lucet, ac ſplendet; in quibus rebus inſani aliqui homines beatitudinem ſuam conſtituebant.

O Domine DEUS meus, tu ſolus eris mihi theſaurus, divitiæ, tu gemma pretioſa. Tu delectatio mea. Tu honor meus, tu dignitas, tu gloria mea; in te igitur ſolo beatitudinem meam feliciſſimam cõſtituo, hanc ſolam quærere ad hanc feſtinanter currere continuo, te juvante, conabor.

Quoniam non aliâ viâ quiſquam, niſi per cognitionem, reverentiam, amoremq; tui, & per exactã obſervantiam mandatorum tuorum, ad illam beatã vitam pertingere valet: ideò quamvis jam per fidem cognoverim te DEUM ac Creatorem, Patrem & Remuneratorem meum eſſe; tamen ut majorẽ ſemper cognitionem tui habeam, inceſſanti ſtudio de te cogitare, & de tuis perfectionibus meditari volo.

Dabo omnem operam totis viribus meis ſemper reve-

revereri, & omnem cultum laudem & honorem debitum tibi diligentissimè exhibere.

Volo te diligere eo modo, quo vis à me diligi: videlicet, ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, ex tota mente mea, & nihil aliud præter te, & quod tu à me diligi vis.

Statuo promptissimè tibi servire, & in omnibus obedire, tuaq; mandata fidelissimè servare.

Adhæreat potiùs lingva faucibus meis & oblivioni detur dextera mea, quàm ego à te factus, & ob hoc solùm, ut laudem & amem te, aliquando obliviscar tui.

PETITIO.

VErùm ô Domine, qui dedisti velle, da & perficere, Ego enim, ex me ipso in profundum inferni ruere possum, sed ad illam sublimem cœlestem gloriam, ad quam me creasti, ascendere, & pervenire nequaquam valeo.

Ideò te supplex rogo, per tuam infinitam bonitatem & misericordiam, per tuum sangvinem pretiosum, & amaram passionem tuam, fac ut finem meum, gloriam tuam, & salutem meam, præ oculis meis semper habeam; ut perpetuò memor sim tui; cogitem de te, loquar de te, serviam tibi; & cuncta faciam, propter gloriam, honorem, amorē, & beneplacitum tuum; & fideliter mandata tua custodiam; tandem vitam æternam obtineā. Quæso, bone JESU, intimo cordis affectu, ut dirigere me digneris in viam bonam, quâ scis me perventurum ad finem optatum.

O DEUS meus, tuus ſum ego, ſalvum me fac: ô Domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria tua. Sitivit anima mea ad te DEUM fontem vivum; quando veniam, quando amabo te toto corde, & videbo, & apparebo ante faciē tuam? Ecce deficit in ſalutare tuum, & anhelat ad te anima mea. O bonitas, ô charitas, DEUS meus! ad te quoties reſpiro, toties ſuſpiro; fac miſericordiā tuā cum ſervo tuo, ut non confundar in æternum.

Adde Petitionem communem, quæ eſt ſuprà pag: 82. & pag: 97.

EXEMPLUM

Orationis Matutinæ.

Pro vitiis exſtirpandis.

INcipientes ſpirituale agere vitā, & qui ſunt ingreſſi viā purgativā, in hoc omnē operā debent collocare ſuā, ut pro expurganda ab omni labe peccati anima, pravos habitus, & inolita vitia eradicet, tū per fugā, odiū, & abominationē eorū: tū per actus contrariarum virtutū. Et quoniā ſeptem ſunt principalia vitia, ad quæ omnia alia reducuntur: ideò de his dantur hic exempla per ſeptem Ferias diſtincta, ad materias Meditationum illarum, quæ fieri ſolent in noſtro Ordine, ſingulis Feriis accomodata.

EXEMPLUM

Orationis Matutinæ,

PRO FERIA SECUNDA.

Pro exſtirpando vitio Superbiæ per Abominationem ejus & actus Humilitatis.

Hac

HAc die proponitur nobis ad meditãdũ Lotio pedum à Christo Domino Apostolis facta, in qua exemplum Humilitatis nobis dedit, & vitium Superbiæ confudit.

COLLOQUIUM ANIMÆ CUM DEO,

Commemoratio Lotionis pedum.

O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui nos docere volens exemplo tuo Humilitatem, quæ est omnium virtutum, & vitæ spiritualis fundamentum; & confundere nostram superbiam, quæ est vitiorum Regina, & omnis peccati initiũ: ad pedes Discipulorum tuorum te inclinare, eosque propriis manibus lavare, linteo maculas eorum abstergere dignatus es.

Admiratio. O quis in stuporẽ non rapiatur, cernens hoc contemptibile opus manuum tuarum? videns te DEUM immensæ Majestatis adeò servile munus obire, servis tuis vilissimis ministrare, ad pedes eorum procumbere?

Accusatio sui. O me miserum, qui hoc exemplum tam eximiæ humilitatis tuæ, benignissime JESU, non sequor! quia ego superbissimus sum; qui contemptibilia ministeria proximis exhibenda subterfugio: qui etiam coram tua Divina Majestate profundè me inclinare erubesco, aut grave onus censeo; quia aliis ex affectu humilitatis subijci nolo: qui varia innumeraq; superbiæ peccata sæpè commisi, & adhuc committo, de quibus me nunc accuso.

O quàm frequenter inordinatum appetitum excel-

cellentiæ habui, & ideò facile alios contempsī, quibus meliorem, utiliorem, aptiorem & digniorem me reputavi: ego verò minimū contemptum ægrè tuli, & nè ab aliis vili pēderer, meos defectus celare studui. Delicta mea & imperfectiones meas sæpiùs negavi, excusavi & pro his correptionē subire detrectavi. Bona opera mea (quāvis, ut verū fatear, nihil unquam boni fecerim) coram aliis inaniter ostentavi, prædicavi, & vanam gloriam ex iis quæsivi. Meam voluntatem tuæ Divinæ, & Superiorum, & aliorum voluntati subdere recusavī; ab aliis laudari, & honorari desideravi; aliorum sententiæ, nè inferior apparerem cedere nolui. Hæc sunt Superbiæ germina, quæ in malo animæ meæ solo pullulārunt, quæ ego coram Divina tua Majestate, cum intimo doloris sensu, propalo, confiteor, & de iisdē me accuso.

Admiratio. O quanta mea malitia fuit, quæ mihi hujusmodi Superbiæ causa extitit! Multum miror bonitatem tuam, Domine DEUS meus, quòd me hominem toleras in terris, qui arrogantem Luciferum non es passus commorari in Cœlis.

Accusatio. Erubesco, & confundor, propter hoc abominabile superbiæ peccatum, omnesq; ejus actus, tam multiplices à me factos maximè dum video te Dominum altissimæ Majestatis humillimū.

Reprehensio. Ac ideò jure merito me reprehendo, & arguo, coram te Domino meo, tanquā hominē nequā impiū, & sceleratū; quia non sum veritus supra id quod sum, me extollere: hoc est improbè

probè superbire: & dignum omni hominum contemptu, opprobrio, & pœnâ quâvis igniominiosissimâ me esse censeo.

Expostulatio. Heu me miserum, quem cæcum superbia reddidit, & rationis lumine privavit, ut non videam, quanta mala, & damna animæ meæ hoc vitium pessimum afferat. Videlicet, quòd inimicum tuum me facit; quia tu es humilis corde: quòd gratiæ tuæ Divinæ januas mihi præcludit; quia tu superbis resistis, humilibus autem das gratiam; quòd te benignissimum Dominum à me repellit; quia tu habitas cum contrito & humili spiritu: deniq; quòd me à Regno Cœlorum excludit; quia tu dixisti: Beati pauperes spiritu: hoc est humiles; quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.

Exsecratio. Exsecror jam, Domine mi benignissime, hanc exsecrabilem omnium vitiorum matrem, tibi invisam, odiosam, & tuo honori Divino inimicam.

Detestor, & abominor illam, ab amorem tuum; quia est abominabilis offensa tua: & multum doleo, quod unquā per superbiā; & alia peccata, offenderim te DEUM infinite bonum. Nolo te ampliùs offendère, & veniam à te clementissimo Domino spero.

Desiderium Humilitatis: quia est necessaria, utilis, honesta: jucunda, pulchra, & DEO placens, & propter exemplum Beatissimæ Virginis, aliorumq; Sanctorū, præcipuè Christi Domini Nostri. Jā ab hinc ex intimo cordis affectu desidero quàm diligentissimè virtutem humilitatis colere ut facili-

ùs, tua adjuvante gratia, expugnare ex animo, & eradicare hoc teterrimum vitium ſuperbiæ queam.

Verè juſtùm & conſentaneum eſt, ut ita faciam; ut per humilitatem, pro vitio ſuperbiæ, quo te ſæpiſſimè offendi, aliquam ſatisfactionem exhibeam. O quando id faciam?

O utinam auferatur à me cæcitas mentis meæ, ut cognoſcam hanc virtutem eſſe mihi ad ſalutem maximè neceſſariam!

O quantus eſt tepor meus, quòd negligam hanc virtutem adeò mihi utilem ad exſtirpandum elationis vitium, & ad Perfectionem acquirendam!

O quando iſtam virtutem ſedulò exercebo, ſicut hominem ratione præditum, decet, & amplectar tanquam rem præſtantiſſimam, excellentiſſimã, honeſtiſſimam & omni laude & amore digniſſimã?

O quid ago? Cur non quæro illam jucunditatẽ, tranquillitatem & puram delectationem, quam exercitium hujus virtutis, afferre ſolet.

Cur tam parvi æſtimo gemmam iſtam pretioſam, & pulcherrimam, Deoq; gratam, quæ eſt ſingulare ornamentum animæ noſtræ?

O quando, tibi Domine mi, per hanc virtutem placebo ſicut placuit tuæ Divinæ Majeſtati Beatiſſima Virgo, & multi alii Sancti, cujus tu exemplũ nobis dediſti, pro quo ſis infinities benedictus?

Gratiarum Actio.

SIs infinitè benedictus, qui ſciens & Angelos in Cœlo, & homines in paradiſo per elationem corruiſſe, & periiſſe, deſcendiſti de Cœlo, ut

Magister & Doctor humilitatis factus, nos tuo exemplo & verbo hanc virtutem docuisses, quā sæpiùs nobis commendasti dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: Et iterum: Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Et rursum; Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum.

Exempla quoq; stupenda humilitatis nobis dedisti, quando in sordido stabulo nasci, in duro præsepio reclinari, in vili fæno cubare inter jumenta voluisti: quando tu DEUS Altissimus Virgini Matri tuæ, & Sancto Josepho subditus fuisti: quando tu Rex & Dominus supremus servis tuis ministrare: quando tu Creator Omnipotens creaturis tuis pedes lavare dignatus es; quando cum peccatoribus conversari, à satana tentari, ab impiis hominibus ligari, conspui, alapis & colaphis cœdi, flagellari & infinitis opprobriis, & injuriis affici, demùm inter latrones medius in cruce suspendi, & cum iniquis reputari non renuisti: per quæ omnia nostram superbiam reprimere, & veram humilitatem docere nos voluisti. Sis igitur pro omnibus actibus humilitatis tuæ infinities benedictus, infinities à nobis laudatus, infinities superexaltatus in sæcula.

Præterea sis benedictus, & pro aliis innumeris immensisq; beneficiis, quæ ex momento conceptionis meæ, usq; in hanc horam de tua benignitate suscipio. *Reliqua habentur supra pag: 73. & pag: 94.*

OBLATIO.

Hæc habetur pag: 79. & pag: 96.

Pro-

PRopofita. Præterea ex amore tui, ô bone JESU, firmiſſimè ſtatuo ſuperbiæ vitium exſtipare, vitare, abominari, illudq; odio, tanquã animæ meæ pernitioſum toxicum habere: jam verò humilitatis virtutem, amare, colere, amplecti, & ſedulò exercere.

Quæram ſemper occaſiones exhibendi miniſteria quantumvis contemptibilia omnibus aliis, quibuſcunq; proximis, etiam meis inimicis, & indignis.

Volo non ſolùm majoribus, aut æqualibus, vel inferioribus, ſed etiam ſceleſtiſſimis ſubijci, propter te, tuumq; honorem.

Fugiam ſemper inordinatum appetitum excellentiæ: neminemq; contemnere, nulli me præferre, & omnes alios meliores, utiliores, aptiores, & digniores me reputare volo.

Opto vehementer ab aliis vilipendi, atq; patienter omnem contemptum ferre, & de hoc gaudere; ſicut & ego me ipſum vilipendo, atq; contemno.

Libenter defectus meos coram aliis propalabo, ut ideò me alii facilius contemnant; virtutum verò actus occultabo, ut nihil boni de me ſentiant omnes, aut me laudent, vel me honorent.

Fateor coram toto mundo, me eſſe omniũ viliſſimum, & contemptibilem; quia nihil ſum, ſed gratiâ tuâ ſum id, quod ſum; nihil ſcio; nihil habeo, præter innumeram multitudinem iniquitatum, ſcelerumq; meorum.

Scio quid ſum, ô Domine mi Sanctiſſimê, quòd coram te ex animo cõfiteor: ſum iniquitatum ſentina,

na, vitiorum pelagus, scelerum abyssus, sum sacrilegis & latronibus, publicanis & veneficis, gentilibus, & damnatis, ipsisq; dæmonibus pejor.

Palàm dico quò sum deformior omnibus leprosis & ulcerosis; immò sum sterquilinium, ac omniū immunditiarum, & sordium colluvies, & receptaculum fædissimum, sum ulcus & apostema fædissimum, ex quo tanta sanies peccatorum tantaq; lues flagitiorum & iniquitatum effluxit.

Absit à me, ut libentiùs voluntatem meā, quàm aliorum faciam; aut voluntati tuæ Divinæ unquam resistam, cui me totum ad omnia, ô Domine mi, resigno.

PETITIO.

HÆc habetur suprà pag: 87. & pag: 97. cui hæc addantur. Adjuva me Rex liberalissime, & gratiam concede, ut hæc proposita mea adimpleam quam perfectissimè. Infunde quæso, ô Amator & magister humilitatis, cordi meo profundissimam, ibiq; acceptissimam hanc virtutem. Da ut ferventissimo desiderio optem, gaudensq; accipiam omnem humiliationem, vilipensionem, atq; mei ipsius contemptum. Extingve in me, ô dilectissime JESU, omnem appetitum excellentiæ, ut ex toto corde meo cupiam, gaudeamq; nesciri, contemni, vilis reputari, & opprobria pati. Fac, ut propriam vilitatē, miseriam, inconstantiam, pravitatem, verè cognoscam & ex animo detestabilem me sentiam, atq; ab aliis sentiri cupiam. O misericordissimè JESU, obsecro te, per humilitatem

tatem cordis tui, ut non permittas dirissimâ peste superbiæ, aut vanæ gloriæ in me dominari, nec aliquatenus inesse servo tuo. Libera, & custodi me semper ab hoc malo, nè ullo modo animam meam illud inquinare possit. *Hic addatur Petitio cōmunis quæ habetur suprà pag: 82. & 97.*

EXEMPLUM
PRO FERIA TERTIA.

Pro vitio Avaritiæ exstirpando.

Per abominationem ejus & Actus Paupertatis.

HAc die proponi solet ad meditandum, tum Oratio Christi Domini in horto montis Oliveti, tum ejus tristitia & sudor sangvineus: tū captivitas ipsius; tū proditio Judæ, qui Judæis Christum tradidit, quibus ex avaritiæ vitio eū vendidit.

COLLOQUIUM ANIMÆ CUM DEO.

COmmemoratio venditionis Christi Domini nostri. O mansvetissime JESU, quem impius Judas triginta tribus argenteis infensissimis inimicis tuis, sangvinem tuum sitientibus vendidit: te ad necem quærentibus tradidit: & ad te capiendum, eos instruxit, adduxit, adjuvit.

Admiratio O stupendam avaritiam Judæ, quâ obcæcatus, & seductus, tam nefandum crimen perpetravit, ut infidelis servus Dominum suum immēsæ magnitudinis, vilissima creatura Creatorem suū infinitæ potentiæ, homo miserrimus DEUM suum infinitæ Majestatis, indignissimum mancipiū Regē suū infinitæ Gloriæ, cliens ingratus Benefactorem suū benignissimū, infelix filius Patrē suū amantissimū sacrilego pretio vendere non sit veritus. Ac-

Accusatio sui. O quàm Sæpissimè & ego tuā infinitam Bonitatem, svavissime JESU, per avaritiā offendi, quando olim immoderatā acquirēdi bona tēporalia cupiditatē habui: Divitias & opes, aurū & argentū, & alia terrena possidere plùs nimiò desideravi; vel aliis hæc invidi: multa minùs necessaria naturæ, & meæ conditioni concupivi, necessaria verò inordinatè appetii; sæpè superflua, & inutilia, & curiosa habere procuravi, utilibus autem immoderatè adhæsi: meliora & pretiosiora quæsivi, viliora verò, quæ sunt pauperum propria, subterfugi: omnia ut abundanter suppeterent, & ut nihil omnino deesset exoptavi.

Admiratio. O quis non miretur hunc inordinatum in me affectum, erga res istas terrenas adeò vanas, & citò perituras, præsertim nunc, quando jam mundum, ex tua Divina gratia, & ea, quæ sunt mundi, deserui?

Confusio. Confundor & erubesco, Domine DEUS meus, eò quòd ego consilium Evangelicæ paupertatis amplexus, secundum leges & modum ipsiùs vivere nolo. Confundor quòd ego ad cœlestia creatus, terrena amo, creatis bonis animo adhæreo, & bonum increatum relinquo.

Reprehensio sui. Ac ideò me graviter in conspectu tuo nunc arguo, tāquam hominem improbū & insanum, dignumq; gravi pœnā me esse judico.

Expostulatio. O anima mea quid agis putas parvas esse omnes istas tuas, quas recensuisti, & de quibus te accusasti, avaritiæ culpas? & quòd modi-

ea tibi adferre poſſunt damna arbitraris? multùm deciperis. Scias, quòd ejuſmodi culpæ ſunt potentiſſimæ compedes, quibus teneris, nè ad ſpiritualia, & vera bona, atq; ad perfectionem tendas: ſunt veri latrones, qui te theſauro cœleſti ſpoliant, ſunt fædæ maculæ, propter quas munditiem cordis amittis.

Exſecratio, Abominatio, Dolor, & Spes veniæ. Exſecror, clementiſſime JESU, hoc turpe avaritiæ vitium, non tam propter illa damna, quæ ex eo anima mea reportat? ſed potiſſimùm, quia eſt tibi ingratum, & tuæ paupertati contrarium. Exſecror illud, ut rem maledictam. Exſecror, ut rem viris ſpiritualibus profanam. Diſplicet mihi valde, quia tibi diſplicet, & quia eſt tua infinita offenſa abominor illud. Doleo ex amore tui, quòd unquã per avaritiam & alia peccata tuam bonitatem offendi! Utinam nũnquam te offendiſſem. Utinã nũquam nimio amore terrenorum in te deliquiſſem! Propono emendationem, & veniam à te ſpero!

Deſiderium Paupertatis. Jam ô bone JESU, paupertatis Evangelicæ amore teneor. Deſidero vehementer ſecundùm ipſius leges vivere; opto ex animo omnem indigentiam, & penuriam rerũ prõpto animo tolerare.

O ſi jam ita faciam, ut faciliùs ad perfectionis culmen perveniam! O ſi verè ſim pauper ſpiritu, ſeu ſincero affectu! talibus enim promiſiſti Regnum Cœlorum.

O utinam non ampliùs amore temporalium animam meam inficiam, tibiq; diſpliceam!

O uti-

O utinam curioſa & ſuperflua, cum inquietudine conſcientiæ meæ minimè quæram!

Utinam ab hinc ex neceſſariis viliora eligam; ut hac ratione exemplum tuæ paupertatis ſequar. Tu enim veniens in hunc mundum nihil bonorum terrenorum poſſediſti. Tu ubi reclinaſſes benedictum caput tuum non habuiſti. Tu omnem indigentiam in terris amplexus es. Tu in hac vita viliora, & incommoda elegiſti, & in ſumma paupertate vixiſti. Itaq; & ego, imitatione tui, aſſimilari tibi in paupertate opto.

Gratiarum actio.

TIbi quoq; infinitas gratias ago, pro exemplo hujus virtutis & pro omnibus, quæ feciſti, & toleraſti pro ſalute noſtra in terris. *Reliqua habentur ſuprà pag: 73. & 94.*

OBLATIO.

Hæc habetur ſuprà pag: 79. & 96.

PRopoſita. Præterea, ô dulciſſime Redemptor, omnia contraria Evangelicæ paupertati fugere decerno, ob amorem tuum. Totum cordis mei affectum à bonis caducis terrenis avertere, & ad cœleſtia convertere volo.

Aurum & argentum, Divitias & opes mundi, & quæ mundus æſtimat, arbitror, & abijcio ut ſtercora, & detrimenta, propter te Chriſtum Dominum meum pauperem.

Abſit à me, ut aliquid minùs neceſſariū naturæ, aut ſtatui meo conveniens appetam.

Cuncta ſuperflua, pretioſa, tanquā peſtē animæ, vitabo.

Omnia incommoda, quæ paupertatem comitantur, æquo & læto animo ſupportare conabor.

Nolo unquam eſſe ſollicitus, ne mihi aliquid deſit, ſive in cibo, ſive in veſtitu, ſive in commoda habitatione, & in aliis rebus.

Libenter tolerabo omnes neceſſitates, indigentias, carentias, defectus rerum neceſſariarum, & quidquid mihi defuerit gaudebo.

Vitabo ſemper appetere ſuperflua, vel pretioſa, vel exquiſita, vel curioſa.

Abſit à me, Domine, ut rebus neceſſariis ad uſum mihi datis immoderato affectu adhæream, ita, ut illis ablatis perturber.

Viliora ex rebus neceſſariis ſemper eligã, & ideò libenter à Superioribus meis poſtulare propono veſtes obſoletas & laceras, cellam incommodiorem, duriorem lectum, cibos infirmiores, & alia ejuſmodi, quæ pauperibus congruunt.

PETITIO.

VErùm quia ſine tuo adjutorio nihil boni poſſum præſtare, ideò obſecro te, per tuam infinitam Bonitatem, per tuam ſacratiſſimã Paſſionem; per paupertatem & nuditatem tuã, quã, cum dives eſſes, propter me egenus factus es, aufer à me mundi, & creaturarum omnium inordinatum amorem, ut nihil extra te concupiſcam, nulli creaturæ adhæream.

Dñe JESU Chriſte, da mihi tui amore, in omnibus neceſſariis corporis inopiam, tenuitatem, vilitatem, penuriam, privationem, & indigentiam, ex

toto corde meo semper optare, quærere, diligere, & amplecti, & in vera discretione, patientia, perseverantia & gratiarum actione, hilariter, longanimiterq; perpeti. Tollantur mihi omnia, DEUS meus, tu saltem mihi remaneas: tu me possideas, vita mea, refectio mea, exultatio mea, qui es beatitudo mea. *Adde Petitionem communem ut suprà* *pag: 82. & pag: 97.*

EXEMPLUM
Orationis.

PRO FERIA QUARTA.

Pro exstirpando vitio Luxuriæ, per Abominationem ipsius, & Actus Castitatis.

HAc die ordinaria fit Meditatio de Christi Domini nostri flagellatione, per quam caro ejus delicatissima, & tenerrima, crudelissimè cæsa, vulnerata, afflicta, dilaniata fuit, pro nostris peccatis, sed potissimùm pro vitio carnis.

COLLOQUIUM ANIMÆ CUM DEO.

Commemoratio crudelissimæ flagellationis Christi Domini Nostri.

O Purissime JESU, qui tuam carnem sanctissimam, tenerrimam, delicatissimam, flagellis cædi, vulnerari, affligi, dilaniari, tēpore Passionis tuæ permisisti, quod quidem fecisti pro peccatis nostris, & potissimùm pro vitio carnis, vt illud tanquam fædissimum abominaremur; & vitaremus.

Admiratio. O admirandam Bonitatem tuam, per quam tantos dolores, & cruciatus sustinere in

tuo Sacratiſſimo Corpore voluiſti, ut nos corpora noſtra contaminare vereremur.

Accuſatio ſui. Heu me miſerum, qui corpus meum indulgenter tracto, & nè quid illud affligat procuro; optimis cibis illud nutrio, vel ſaltem id deſidero, & quando ejusmodi deſunt, ægrè fero: mollibus illud veſtire percupio, & dum hæc ſuppetunt, gaudeo; quidquid libet, placet, facilè ei permitto; & quidquid durum, quidquid moleſtum eſt, ab eo amoveo; & ideò ſæpiùs inſolentias carnis, & ſpurcitias ipſius experiri, & impuros luxuriæ ignes pati eſt me neceſſe, propter quos, quoties & quàm graviter, te benigniſſimum Dominum offendi, tu ſcis meliùs, quam ego loqui valeam, de quo me coram tua Divina Majeſtate accuſo.

Admiratio. O ſtupendam fatuitatem meam, eò quòd corpus meum, fontem omnium impuritatum, fæditatum, & illecebrarum ad malum, tam liberaliter foveo.

Confuſio. Confundor & erubeſco, ô bone JESU, dum video corpus tuum te dediſſe, cauſâ mei, ad flagellandum, cruciandum, excarnificandum, ego verò corpori meo parco, quod millies, centies millies, omnes torturas, afflictiones, & pœnas inferni æternas, propter abominabilia peccata, & offenſas tuas, meretur.

Reprehenſio. Ac propterea juſtiſſima de cauſa me ipſum arguere, & verbis aſperioribus caſtigare debeo, ut pote hominem impiiſſimum, qui carni meæ, iniquitatum auctori faveo.

Expo-

Expostulatio. O quid ago insanus homo? fateor nullum vitium, majora damna, pluraq; mala animæ meæ adferre posse, sicut carnis peccatum. Hoc enim est, quod nos firmiter à DEO avertit. Hoc est, per quod diabolus de nobis triumphat, & tenet captivos. Hoc est, quod ita excæcat mentem, ut non videat homo præcipitium, non perditiònem, nō gehennam: quorum omnium malorum est causa indisciplinata, immortificata, & indomita caro.

Exsecratio. Exsecror toto corde & animo, svavissime JESU, hoc infame carnis vitium, ut potè tuis purissimis oculis ingratissimum, & tuæ Sanctitati contrarium. Exsecror, ut rem sacra templa tua profanantem. Exsecror, & ejuro, detestorq; & abominor illud ex amore tui.

Doleo, quòd unquam offenderim tuam infinitam bonitatem, quocunq; modo, & quacunq; specie istius peccati.

Utinam te non offendissem! Utinam corporis mei templū tuū nunquam hoc peccato contaminassē!

Sed quia major est bonitas tua, quàm malitia mea: ideò spero, quia tu DEUS meus, & veniam, & emendationem dabis, Ego autem nolo te amplius offendere.

Desiderium. Et desidero, sola intentione placendi tuæ Divinæ Majestati, ab omnibus carnis peccatis, tanquam à facie colubri fugere, & tanquā lethale animæ meæ virus vitare. O Utinā sim procul ab hoc vitio!

O si non belluarum terrestrium immundam &

pissimam, sed spirituum cœlestium mundissimam & honestam, homini rationali convenientem agam vitam, prout, propter te Domine JESU, exopto!

O verè necessaria, ad beatam vitam consequendã Continentiæ virtus, utinam te citò integrè possideam, ut ab illa æterna beatitudine, quæ in visione, & in arctissima unione tua, dulcissime JESU, consistit, non excludar.

O pretiosa castitatis margarita, & inæstimabilis animarum nostrarum pulchritudo, cupio propter eam vendere omnia, & ipsam comparare, ut per illam anima mea ad societatem castissimarũ sponsarum tuarum admitti valeat!

O si jam sequar Purissimam Virginem Matrem tuam, Virginum Reginam, & alias Virgines Sanctissimas, quæ maluerunt corpora sua variis pœnis, & morti tradere, quam inquinari, & à te in æternum alienari.

Paratus sum, Domine JESU, exemplo tuo, corpus meum offerre ad cruciandum, excarnificandũ, & flagellandum, puritatis acquirendæ & conservãdæ causâ, sicut tu in Passione tua, pro nobis obtulisti.

Gratiarum actio.

IDeo gratias tibi ago infinitas, pro illa acerbissima flagellatione sacratissimi corporis tui, & pro innumeris plagis, quibus caro tua benedicta afflicta fuit, & pro atrocissimis vulneribus, quæ tunc accepisti, & pro vehementissimis doloribus, quos tunc sustinuisti.

Præ-

Præterea gratias tibi infinitas ago & pro aliis multis beneficiis. *Reliqua habetur pag: 73. & 94.*

OBLATIO.

Hæc est suprà posita pag: 79. & 96.

PRoposita. Præterea firmissimè statuo corp9 meũ castigare, affligere & durius tractare, ut non insolescat, atq; me ad offensam tuam inducat.

Curabo diligenter solùm necessaria in cibo & potu, & in vestimentis carnis meæ concedere, cuncta verò superflua ei denegare; nè propterea in ipsa incontinentiæ aliquod incendium oriatur.

Custodiam vigilanter sensus meos; præsertim visum, nè specie rerum corporearum, veluti laqueo potentissimo, capiat animam meam.

O mundissime JESU, siquidem corpora nostra sunt templum tuum, in quo inhabitare libenter desideras; ideò ut hoc templum sit semper mundũ, diligentem operam dabo.

Quia nullum vitium, sicut luxuriæ, magis excæcat hominem, & à te summo avertit bono: propterea à nullo vitio, sicut à luxuriæ, magis abhorrebo.

Quandoquidem hoc abominabile vitium nihil est aliud, nisi limus immundus, nisi cænum sordidum, nisi fætor gravissimus: ideò nè hoc vitio sordida reddatur anima mea in conspectu tuo, Domine DEUS meus, nè fæteat graviter corã te, firmissimè propono, millies potius mori, quàm vel levissimã cogitationem immundam, voluntariè admittere, teq; per illam offendere.

Malo, Domine, mi, æternis ignibus inferni cruciari, quàm igne luxuriæ consumi; & paratus in abyssum gehennæ me præcipitem dare, quàm ad fædissimum hoc peccatum animum aliquando inclinare.

PETITIO.

SEd ô bone JESU, confiteor verè, quòd licet nullum malũ evitare possim, absq; tuo auxilio Divino, multò minùs hoc fædissimum luxuriæ vitium, absq; gratia specialissima tua. Nam scio quoniam aliter non possum esse continens, nisi tu dederis. Hoc enim est donum tuum. Ideò rogo te per tuam infinitam bonitatem, & misericordiam, per tuam dirissimam flagellationem, tuaq; sacratissima vulnera, per preces & merita omnium Sanctorum, qui tibi virginitate castitate, & continentiâ unquam placuerunt: adjuva me Rex liberalissime, & gratiam concede, ut hæc proposita mea adimpleam, atq; hoc perniciosissimum vitium expugnem, ut nunquam per illud, quocunq; modo tuam Divinã Majestatem offendam.

Tu scis, Domine, infirmitatem meam. Tota spes mea non nisi in magna misericordia tua. O amor DEUS meus, qui semper ardes, & nunquam extingveris, accende me, ut ignis charitatis tuæ extingvat ignem carnis in me. Continentiam jubes, da quod jubes, & jube quod vis.

Adde Petitionem communem, quæ est suprà pag. 82. & pag. 97.

EXEMPLUM

PRO FERIA QUINTA.

• Pro exſtirpando Invidiæ vitio.

Per Abominationẽ ejus, & Actus Charitatis.

HAc die ad meditandum proponitur crudelis, & ignominioſa Coronatio Domini noſtri JESU Chriſti, cujus Coronationis fuit cauſa, Judæorum invidia, per quam tradiderũt eum Pilato, Judici, & ex invidia Regiæ dignitatis, quia dicebat ſe eſſe Regem, ſpinis coronari ipsũ fecerũt.

COLLOQUIUM ANIMÆ CUM DEO.

Commemoratio crudelis Coronationis Dñi noſtri.

O Rex Regum Altiſſime, quem impii Judæi comprehendentes, Pilato Judici per invidiã tradiderunt, in multis te innocentiſſimum accuſantes, & inter alia dicentes: Quia ſe Regem facit: propter quod, in ludibrium, tuumq; contemptum, & confuſionem, invidentes hanc tibi Domino noſtro Regiam dignitatem, ſpinis te coronari curarunt.

Admiratio. O inauditam invidiæ malitiam, quæ hujuſmodi crudeliſſimæ & ignominioſiſſimæ coronationis tuæ cauſa fuit!

Accuſatio ſui. Sed quid miror Judæorum invidiæ crimen, à quo & ego non ſum alienus, quo & ego ſæpiùs te Dominum meum benigniſſimum offendi. Fateor, & cum dolore intimo, coram Divina Majeſtate tua me accuſo: quia ſæpè dum aliqua bona, tuaq; dona in proximis vidi, triſtitiam inde habui, & mærore propter alienam felicitatem tabeſcebam, propter quã lætari debebam. Et quoniam

in

in omnibus singularis esse desideravi, ideò ut me nemo in aliquo superaret volui. Unde si quos scientiâ, ingenio, aptitudine, virtute, & aliis donis excedere me perspexi; atq; eos ab aliis æstimari, laudari, honorari, & amari vidi, ego illa dona ipsorũ extenuavi; famam diminuere, laudes impedire, virtutem calumniari, eminentiam tegere, defectus & vitia propalare, bona opera taciturnitate supprimere consvevi. Hinc frequenter eò malitiæ processi, ut proximum odio habuerim, atq; contempserim, charitatem eis exhibere subterfugerim, malum ipsis optaverim, vel bonum, quod facere tenebar, ipsis denegaverim.

Admiratio. Quis non obstupescat super hanc invidiæ meæ enormitatem, & gravitatem, quæ tanta est, ut superet omnes omnium scelerum malitias. Nam in aliis peccatis aliquantula vel utilitas, vel voluptas reperitur; sed in invidia nihil aliud, nisi dolor, tristitia, nisi solà malitia invenitur.

Confusio. Equidem confundi & erubescere debeo, quòd cum tu, Domine DEUS meus, mandatũ tuum dederis nobis, ut proximos diligeremus tanquam nos ipsos, ego hoc mandatum frangere multoties, per invidiæ meæ scelus, non sum veritus.

Reprehensio sui. Ac proinde me ipsum arguo, tanquam hominem iniquissimum & diaboli discipulum, & imitatorem, cujus hoc proprium est invidiæ vitium. Nam per invidiam ipse similis esse DEO voluit, & primis hominibus gloriam invidit, ad quam nos creatos à DEO vidit; per invidiam

mun-

mundum perdidit; & quidquid mali potest, usque modò facit.

Expostulatio. O homo invide, quid lucri tibi affert hoc pessimum invidiæ peccatum: certè nihil aliud, nisi tormentum animæ gravissimum; privationem gratiæ Divinæ, & bonorum cœlestium, quæ subtrahuntur à DEO illi, qui hæc invidet aliis; odium DEI eò quod doles, cum beneficia DEI aliis communicata vides.

Exsecratio. Exsecror bone JESU, hoc abominandum invidiæ vitium; quia est maximè contrariũ tuæ Divinæ Bonitati, per quam tua dona creaturis communicas, de quo invidia tristatur.

Detestor illud, ob tuam infinitam, injuriam, quæ tibi Domino meo per ipsum irrogatur. Displicet mihi valde, quia tibi displicet. Utinã nunquam te hoc peccato: & omnibus quibuscunq; aliis offendissem!

Et quoniam infinities major est tua Bonitas, quàm mea malitia; ideò spero me veniam à te obtenturum; ego autem nolo unquam, tuâ Divinâ adjutus gratiâ, quam humiliter peto, & in qua sola confido, tuam Divinam bonitatem hoc peccato, & quocunq; alio offendere.

Desiderium. Jam desidero radicitùs exstirpare ex animo meo invidiæ vitium, per veræ charitatis exercitium.

O si jam non amplius me ulla tristitia afficiat ex felicitate aliorum, quod hominem sanæ mentis non decet.

Uti-

Utinam abhinc eo amore prosequar proximum, quo & me ipsum, quod mihi ad salutem est necessarium!

Utinam, Domine mi, quàm perfectissimè adimpleam, illud mandatum tuum, quod tu jam moriturus dedisti nobis, dicens: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos!

O si jam gaudeam semper de omnibus: proximi bonis, tanquam de meis, & velim ipsi eadem bona, quæ mihi volo, ut tibi Domino meo placeam.

Gratiarum actio.

ET quoniam, ô clementissime DEUS, hoc gravissimo invidiæ peccato, & aliis innumeris me tuam infinitam bonitatem offendentē tam diu patienter tolerasti, non me, ut merui, severe punivisti, non in locum inferni profundum æternis flammis cruciandum detrusisti, immò multa bona tua mihi indignissimo tribuisti, & usq; nunc tribuere non desinis; ideò infinitas tibi gratias ago, pro hac tua in me clementia, & benignitate, & pro universis beneficiis tuis innumeris; quæ ex momento conceptionis meæ à te accepi. *Reliqua habentur pag: 73. & pag: 94.*

OBLATIO.

HÆc est *supra pag: 79. & 96. cui addantur hæc Proposita.* Præterea, ô amantissime DEUS meus, firmissimè statuo invidiæ peccatum diligenter ex amore tui vitare.

Fugiam hoc diabolicum vitium, quod superbiam parit quodq; odiorum detractionis, exultationis in

malis aliorum, & afflictionis ex prosperis eorum fit causa.

Si quando insurrexerit in me aliquis vel minimus pravus invidiæ affectus, subitò eum reprimere, tuo fretus auxilio Divino, conabor.

Nolo amplius dolorem aliquem seu tristitiam de bonis alienis habere, sed potius lætabor semper tanquam de propriis, tibiq; gratias agam sicut pro nostris, & pro eorum conservatione & augmento ad tuam gloriam orabo.

Opto, & quantùm commodè potero, procurare illis volo omne bonū tibi placitū, & illis salutiferū.

Nolo unquam diminuere fratribus meis famam bonam, defectus illorum, imperfectiones, & vitia revelare, eminentiam supprimere, bonas actiones silentio dissimulare.

Libenter narrabo & prædicabo aliis bona, & virtutes eorū, & ab aliis laudari eos gaudebo.

Absit à me, ut odio habeam proximū meū quacunq; de causa, vel eum in animo parvi pendam.

PETITIO.

SEd ad hæc præstanda, quæ proposui, fateor, me minus esse idoneum. Da igitur obsecro Domine DEUS meus, ut, quod te inspirante statuo, perficiam.

Confirma hoc DEUS quod operatus es in me. Cōcede, ut ex corde meo invidiæ pestem excutiam, & hoc malum radicitùs evellam. Da mihi veram erga proximos meos charitatem, ut per eam eorum bona mihi placeant, mala verò displiceant, & ut de bonis illo-

illorũ gaudeã, de adversis verò cõtrister. Da mihi virtutẽ humilitatis, ut inferior videri aliis, in doctrina, ingenio, aptitudine, & in cæteris non ægrè ferã. Insuper da contẽptũ mei ipsius ut nõ appetã ullã excellentiã supra alios, nec ob alienã, ullum mærorem concipiã.
Adde petitionem communem quæ est suprà p. 82 & p. 97.

EXEMPLUM
PRO FERIA SEXTA.
Pro Vitio Gulæ eradicando.
Per Abominationem ejus, & Actus Abstinentiæ.

HAc die fieri solet Meditatio de Christo Domino Crucẽ bajulante; vel in Cruce pẽdente, in qua felle & aceto potatus fuit: unde motivũ haberi potest, ad vitiũ gulæ detestandum.

COLLOQUIUM ANIMÆ CUM DEO.
Cõmemoratio fellis & aceti Christi Domini nostri.

O Svavissime Domine JESU Christe, qui pendens in cruce, inter cætera tormenta tua, lingvam tuam benedictam torqueri, per tuos crudelissimos hostes voluisti, quando aceto cum amaro felle mixto ab illis potatus fuisti.

Admiratio. O dignam stupore ingenti Bonitatem tuam, per quam, pro peccato gulæ primorum parentum nostrorum, qui videntes in paradiso pomum vetitum pulchrum visu, & ad vescendum svave contra DEI mandatum comederunt illud, & DEUM ad indignationem provocaverunt, tu amaras pœnas, & acerbissimos cruciatus subijsti.

Accusatio sui. Fateor, ô bone JESU, quòd & ego ab hoc turpissimo vitio non sum alienus, pro quo tu sacratissimum gustum tuum amaritudine fellis

in cruce affligi permisisti. Quandoquidem & ego sæpiùs, per inordinatum cibi & potus appetitum, hoc est, per gulæ peccatum, tuam infinitam bonitatem offendi.

O quàm frequenter peccavi summendo cibum & potum, Præpropere, lautè, nimis ardenter, studiosè hoc est, debitum tempus præveniendo, delicata & pretiosa esculenta quærendo, vel saltē desiderãdo, quantitatem cibi & potus juxta necessitatē naturalem non servando, nimis avidè, immodestè, & festinanter eos sumendo; nimis accuratè & curiosè præparari procurando, de quo nunc me cum ingēti dolore accuso.

O quàm crebro sumpsi cibos & potum, non tam propter necessitatem, quā potiùs ob eorum svavitatem, & ex eis capiendā voluptatem! O quàm multoties à vilioribus, & gustui meo insipidis esculentis animum avertebam, & ad sapida inclinabam! O quoties dum vilior, aut minor portio, vel minùs palato meo grata offerebatur, ægrè id ferebam, & intra me murmurabam.

Admiratio. Quis super hæc non obstupescat, cernens, quòd hoc puerile vitium me adeò sæpè vicit, immò & nunc vinctum tenet, & me ad exercendas virtutes, & ad multas honestas actiones peragendas ineptum reddit.

Confusio. Verè confundi & erubescere debeo; quia me gulæ & ventris mancipium feci; cujus desideriis satisfacere semper intentus fui.

Reprehensio. Ac propterea nunc me acriùs ar-

guo coram tua Divina Majeſtate, ut hominem iniquitati ſervientem, & more pecudum viventem, quæ ideo vivere exiſtimantur, ut comedant: at homo ratione præditus idcircò comedere debet, ut tibi vivat, ut tibi Domino ſuo ſerviat, ut capiendo cibum voluntatem tuam adimpleat, tibiq; per hoc placeat.

Expoſtulatio. O me hominem miſerum & verè lumine rationis orbatum, qui non video, quam ſit pernitioſum animæ gulæ vitium, quod multis graviſſimis peccatis januam aperit, & innumera in animam introducit; quòd ſit fædiſſimi peccati luxuriæ parens & origo. quòd ſit dæmonis Inſtrumentum, quo utitur ad hominum perditionem, & multas offenſas DEI.

Exſecratio. Exſecror, benigniſſime JESU, hoc belluinū vitium, ut pote abſtinentiæ & parſimoniæ tuæ, quâ uſus es in terris, cōtrarium; exſecror ut maledictum, propter quod maledixiſti terræ in Paradiſo, dicens: Maledicta terra in opere tuo. Exſecror, ut aliquid viris ſervitio tuo Divino dicatis profanum.

Abominor illud, & averſor, & doleo ex amore tui, quòd unquam offenderim te DEUM infinitè bonum, per varia gulæ peccata, & alia innumera ſcelera. Jam te ampliùs offendere nolo, & veniam â te ſpero.

Deſiderium. Deſidero, dulciſſime DEUS, propter te, toto animi ſtudio, ab hoc turpiſſimo vitio declinare, & ad cultum abſtinentiæ diligenter attendere. O u-

O utinam ab hinc in cibo & potu ſervem parſimoniam, quæ ad ſalutem ſecuriùs aſſequendam eſt pernecesſaria!

O ſi non ampliùs improbus & inordinatus ad cibum & potum affectus, me ad perfectionem, hoc eſt, ad te Dominum meum currentem præpediat!

O utinã ſecundũ leges naturæ, quæ eſt contenta modico, prout hominem decet, vivã tibiq; placeam!

O ſi jam majorem curam animæ, quàm corporis habeam; quandoquidem, quanto magis corpus per abſtinentiam marceſcit, tantò magis anima ſpecioſior fit, in conſpectu tuo!

O utinam non epulones ſplendidè viventes, ſed Sanctos tuos jejunantes, & potiſſimùm te ipſum Sanctũ Sanctorũ, quadraginta dierũ ſpatio, à cibo abſtinentẽ, & felle atq; aceto potatũ ſequar, & abſtinentiæ virtutem exemplo tuo perpetuò exerceam!

Gratiarum Actio.

GRatias tibi ago infinitas, ô ſapientiſſime Doctor virtutum, qui reprobando noſtram ingluviem, & omnem guloſitatem, fellis amaritudine tuum benedictum palatum in cruce imbui voluiſti; & provocando nos ad abſtinentiæ virtutẽ, ſæpè eſuriem & ſitim ſuſtinuiſti; atq; ut in re nulla Carni tuæ Sanctiſſimæ indulſiſſes, parciſſimo cibo, & potu in terris uſus fuiſti.

Præterea infinitas tibi gratias ago, & pro omnibus beneficiis. *Reliquæ ut ſuprà* *p. 73. & p. 94.*

OBLATIO.

Hæc fieri poteſt ut ſuprà habetur *p. 79.*

Propoſita Præterea ſtatuo firmiſſimè bellũ gulæ indicere, eamq; impugnare, & nè me aliquando ſuperet ſedulò curare.

Fugiam ſemper delicias mihi & beſtiis communes: ſed meæ deliciæ erunt cum Angelis per contemplationem guſtare, quàm ſvavis es Domine!

O temperantiſſime JESU, decerno eſcâ & potu eo tantùm uti, ut natura ad ſerviendum tibi conſiſtat.

Abſit à me, Domine, ut lauta, vel ullo modo palato ſvavia quæram.

Vellẽ dulciſſime DEUS ut omnia quæ ſumpturus ſum abſynthium ſaperent, propter te.

Propono, Domine, corpus meum, ob amorẽ tuum, fame, & ſiti vexare.

PETITIO.

SEd tu ſcis, Domine, quia ſinè tuo adjutorio, nihil boni facere poſſum; ideò obſecro te, per tuam immenſam miſericordiam, tuamq; ſacratiſſimam Paſſionem, & abſtinentiam, per famem & ſitim tuam, per fel amarum in cruce guſtatum, per ſacrum jejunium tuum, libera me à vitio gulæ, & ab omni ingluvie, & da mihi virtutem abſtinentiæ. Da ut mediocrem curam corporis habeam; & non permittas, ut ſub neceſſitatis pallio ſuperfluitas aliqua, & oble&atio, in capiendo cibo & potu, ſubrepat. Fac, ut cibus animæ meæ ſit de te cogitare, de te meditari, legere, audire, & tuã ſanctiſſimã facere voluntatem. Fac me ſemper ſobriè, & juſtè & piè vivere, expectando beatam ſpem, & adventum glo-

gloriæ tuæ, ô DEUS, ô satietas ô verè omne bonum. *Adde Petitionem communem; quæ est suprà* *pag: 82. & 97.*

EXEMPLUM
Orationis.
PRO DIE SABBATI.
Pro exstirpando Iræ vitio.
Per Abominationem ejus, & Actus Mansvetudinis.

HAc die proponuntur nobis ad meditandum dolores & afflictiones Beatissimæ Virginis MARIÆ, quas habuit tempore Passionis Christi Domini nostri Filii sui, & quas pertulit cū insigni patientia, modestia, resignatione, potissimùm autem cum incredibili mansvetudine, erga crudelissimos Tyrannos & occisores unici ejus Filii quibus non commitabātur, non maledicebat; sed sicut Christus Dominus noster, tanquam agnus mansvet9, coram tondente se obmutuit, immò pro inimicis oravit: sic Beatissima Virgo in suis injuriis & afflictionibus siluit, & in corde, pro suis inimicis, preces ad DEUM fudit. Hinc exemplo Mansvetudinis Domini nostri, & Beatissimæ Virginis Matris ejus, ad vitandum, exstirpandumq; vitium iræ concitari & nos debemus.

COLLOQUIUM ANIMÆ CUM DEO.
Commemoratio Mansvetudinis Christi Domini nostri, & Beatissimæ Virginis Matris ejus.

O Mitissime JESU, qui ab impiis inimicis tuis, tanquam latro irreverenter ligatus, diris-

rissimè flagellis cæsus, alapis, & colaphis percussus, spinoso diademate coronatus, demùm inter latrones in cruce suspensus, & multis injuriis gravissimis affectus, os tuũ contra eos nõ apperuisti, & nullam comminationem edidisti; sed tanquam agnus coram tondente te, obmutuisti: immò pro ipsis Patrem tuum Æternum orasti. Eodem modo, & dulcissima Virgo Mater tua, contra crudeles tyrannos & parricidas, qui te prædilectum Filium suum atrocissimè occiderunt, se gessit, quæ non eis comminabatur, nõ maledicebat, sed pro eis, ut hoc peccatum dimittetur ipsis, in corde suo orabat: quo facto iracundiæ vitium nostræ condemnastis, & virtutem mansvetudinis nobis commendastis.

Admiratio. O quam stupenda hæc mansvetudo vestra fuit, dilectissime JESU, & MARIA! qui non vindictam de Cœlo petijstis, non Angelos in defensionem vestram invocastis, non fulmina de Cœlo super inimicos vestros demitti postulastis, non ut terrâ apertâ in abyssum inferni detruderentur voluistis; sed patientissimè omnes injurias vestras toleraſtis.

Accusatio sui. O quam longè dissimili modo ego me sæpius gessi, in meis aliquibus modicis offensis, ab aliis mihi irrogatis; Nam ob levissimas injurias, immoderatum vindictæ appetitum frequentissimè habui, & in eo diu mansi, & usq; ad ultionem non quievi. Aliquando ita contra proximum excandui, ut eum odio implacabili, fuerim prosecutus. Aliquando in verba contumeliæ, & maledicta prorupi. Nonnunquam ex indignatione ad proxi-

mum

mum loqui, eiq; charitatis officia exhibere nolui. Nonnunquam vel triſtitiâ vultus, vel ficto riſu, aut potiùs irriſione, & proximi contemptu malevolentiam oſtendi, de quibus iracundiæ peccatis, cum magno cordis mei dolore, nunc me coram te Domino meo accuſo.

Admiratio. O quis non mirabitur hujuscemodi malignitatem meam, per quam in tot ac tanta peccata iræ incidi?

Confuſio. Pudet me vehementer, ô DEUS meus, indignationis meæ, quâ meæ vilitatis & indignitatis oblitus, contra alios digniores & meliores ſæpè inſurrexi.

Reprehenſio ſui. Proinde me ipſum in cōſpectu tuo acrioribus verbis, corripio, & arguo, tanquam hominem nequam, qui illud quod maximè decet hominem ratione ornatum, multoties in conſpectu tuo & Angelorum patrare ſum auſus.

Expoſtulatio. O me miſerum hominem qui dum adverſariis meis, vindicando injurias, nocere volui, magis mihi ipſi nocui, neſciens, quòd qui odit fratrem ſuum homicida eſt, primò proximi, voluntate & affectu, deinde ſui, opere & effectu, occidens animam ſuam. Et qui vult vindicari, inveniet vindictā à te Domino noſtro, à quo non eſt alia ſpes nobis veniæ impetrandæ, niſi dimiſerimus aliis ſi qui nos læſerint.

Exſecratio. Exſecror, Domine mi benigniſſime, omnem vindictæ appetitum, ſeu iræ peſſimum vitium, quod facio, propter te, quia eſt tuæ bonitati, manſvetudini, patientiæ contrarium. De-

Deteſtor & abominor illud, quia eſt tua offenſa infinita: & doleo quòd ſæpiſſimè in te per hoc vitium & alia innumera, peccaverim.

Utinam non peccaſſem! utinam te, Domine DEUS meus, mea indignatione ad indignationem non provocaſſem! Et quamvis veniam non merear, attamen meretur bonitas tua infinita, ut mihi ignoſcas, & emendationem tribuas. Ego autem nolo ampliùs in te, & coram te peccare.

Deſiderium. Verùm deſidero, ſicut omnia peccata, ita & iræ ſemper vitare.

Cupio non de proximo meo, ſi quando ab illo quocunq; modo læſus fuero, vindictam ſumere, ſed priùs de me ipſo pro præteritis iracundiæ peccatis.

O ſi jam nunquã obicem ſaluti & veniæ conſequendæ à te, ô bone JESU, ponã, ſi & ego aliquando inimicis meis denegavero veniam!

O utinam ſemper offenſas meas prompto animo dimittam, ut & tu, clementiſſime JESU, mihi dimittas: qui dixiſti Dimittite, & dimittemini!

O utinam nunquam hoc turpiſſimo vitio, dignitatem humanæ naturæ deformare velim!

O ſi jam fideliſſime adimpleam mandata tua, Domine! Nam tu mandaſti: Diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos; ut ſitis Filii Patris veſtri, qui in Cœlis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.

O utinam ſequar manſvetudinis eximium exemplum

plum Virginis Sanctiſſimæ Matris tuæ, & aliorum Sanctorum, ſed potiſſimùm tuum, qui tuis inimicis nō vindictā, non pœnā, non gehennā ſed veniā à Patre Æterno poſtulaſti, unde & nos idē à te diſcere mandaſti: dicens; Diſcite à me, quia mitis ſum.

Gratiarum actio.

GRatias ago tibi, ô mitiſſime IESU, pro hoc exemplo virtutis Manſvetudinis, & pro ſvaviſſimis mandatis tuis de eadem virtute plurìmùm ad ſalutem nobis neceſſaria.

Gratias tibi ago, quia me hominem iracundum, & ad iracundiam te commoventem non puniviſti, ſed tamdiu patienter me toleraſti, nec vindictam de me pro tua injuria ſumpſiſti, dum ego de aliis proximis ultionem quæſiviſſem.

Præterea gratias ago, & pro aliis innumeris beneficiis tuis. *Reliqua habentur* *p.* 73. & *p.* 94.

OBLATIO.

Hæc fieri poteſt ut ſuprà eſt poſita *p.* 79. & *p.* 96.

PRopoſita. Præterea firmiſſimè propono concupiſcentiam vindictæ in me comprimere ſemper, & omnes iræ motus cohibere.

Nolo unquam dare in corde meo locum iræ, nec eam diu fovere, nec ad ultionem procedere.

Abſit à me, ut ſim implacabilis, vindictæ cupidus, & memor injuriæ adverſus proximum meum, nè & tu memineris iniquitatum mearum.

Quantùm potero, omnes injurias meas æquo animo tolerabo, & oblivioni tradere curabo, nè ex recordatione illarū, iræ ſcintilla, facile in animo meo accendatur.

Daco

Dabo operam, ut iratus aut nihil loquar, aut si loquendum sit, verba lenia, & blanda proferam.

Curabo, ut sol non occidat super iracundiã meam, & ut beneficiis inimicos meos, aut mea alienatos, ad concordiam, & pacem, & mutuũ amorem inducam.

Certissimè statuo, quotiescunq; læsus fuero, me quasi agnum coram tondente futurum.

PETITIO.

SEd quia ego impotens sum vehementissimis motibus resistere; ideò obsecro te, per tuam infinitam Bonitatem, Passionem tuam & Mansvetudinem; per preces, & merita, & per hujus virtutis heroicos actus dulcissimæ Matris tuæ Virginis MARIÆ, da mihi ad hoc auxilium tuum, ut nunquam per indignationis furorem te offendam, ut immoderatum appetitum vindictæ refrænatum semper habeam, ut pessimum iræ vitium radicitùs exstirpẽ.

Insere, quæso, cordi meo mansvetudinis, & patientiæ virtutem, ut sciam, & valeam mansveto corde malum in bono vincere, & inimicos nostros diligere; atq; his, qui oderunt nos benefacere, & pro persequentibus nos orare: pro quibus etiã nunc te oro; ignosce illis. Da illis omnium peccatorum veniam, & nè te ampliùs offendant gratiam, & beneficiorum abundantiam, deniq; bonam mortem, vitam æternam, & amplissimam gloriam. *Adde petitionem communem quæ est suprà p. 82. & p. 97.*

EXEMPLUM
Orationis.

PRO

PRO DIE DOMINICO.

Pro Exstirpando Acediæ vitio.

Per Abominationem ejus, & Actus Diligentiæ.

HAc die fieri potest ab incipientibus meditatio, de Christi Domini nostri in mundũ Adventu, ejusq; Sacratissima Incarnatione; & Nativitate, quæ facta sunt, adveniente plenitudine temporis à Patre Cœlesti ab æterno destinati. Quẽadmodum & alia cuncta, quæ fecerat Christus Dominus in vita sua, pro salute, & redẽptione generis humani, hæc omnia in illo temporis momento, quo illa fieri ab eo voluit, Pater Æternus, egit Christus, idq; cum maximo studio, & diligentia proinde de eo dicitur *Psal:* 18. Exultavit, ut Gigas ad currẽdam viam: hoc est, hilariter, & velociter cucurrit viam hujus vitæ, laborando pro salute nostra, sicut mandavit ei Pater Æternus. Et hoc modo arguit nostram acediam, socordiam & tepiditatem, in facienda voluntate DEI, in servandis mandatis ejus, in virtutibus exercendis, & in operibus ad salutem nostram pertinentibus.

COLLOQUIUM ANIMÆ CUM DEO,

Commemoratio eorum, quæ fecit Christus pro salute nostra, cum magno fervore, tempore à Patre Æterno definito.

O Dulcissime JESU, qui adveniente plenitudine temporis à Patre Æterno designati, in hunc mundũ venire, homo fieri, & nasci dignatus es: & qui universa alia, quæcũq; operatus es in terris, pro salute, & redemptione generis humani, illis temporũ momentis, quibus voluit Pater

Cœlestis, ea à te fieri, hæc fecisti; idq; cũ maximo studio, fervore, & diligentia, prout par erat.

Admiratio. O quis non rapiatur in stuporem super magnitudinem solicitudinis tuæ, in adimplẽdis mandatis, & voluntate Patris tui Æterni. Verè exultasti ut Gigas ad currendam viam hujus vitæ: hoc est: Verè cum magna hilaritate, ac velocitate cucurristi viam hujus mortalis vitæ, laborando pro salute nostra, sicut mandavit tibi Pater.

Accusatio sui. At ego miserrimus, & vilissimus peccator, quanta cũ tepiditate omnia feci, & adhuc facio, quæ tu mandasti, & facienda ordinasti: quãta cũ ignavia circa salutem meam quærendam hactenus me gessi, & usq; modo gero: quàm grave acediæ vitiũ tenet mentem meam, propter quod maximũ tædiũ & amaritudinem sentio in anima mea, in bonis actibus, in exercitio virtutum, in mortificandis passionibus, in meditationibus, in sacris precibus, in lectione librorũ spiritualiũ, in cellæ recessu, in sermone de rebus ad salutẽ spectãtibus, in exhortationibus spiritualibꝰ, in abstinentia regulari, in castigando corpore, in nocturnis vigiliis, in prolixiori oratione, & in aliis observantiis & exercitiis, quæ status præsens religiosus à me exigit. O quantũ placet vita otiosa, vanæ confabulationes, diuturnæ deambulationes, longa quies, mundanæ cogitationes, sensuũ oblectamenta, & sinè ullo fructu actiones: quorũ omniũ maledicta parens est acedia!

Admiratio. O quis non miretur hanc miseram, & infelicem vitam meam, perpetuis lacrymis & gemi

gemitibus deplorandam, absq; ullo fructu consumptam.

Confusio. Vere pudore suffundi & erubescere me oportet, quòd ego illos gratiæ tuæ dies, quos dedisti mihi ad dignos fructus pœnitētiæ faciēdos, ad benè operādū, ab negotia salutis diligēter peragenda, in otio expendi, vel potius perdidi.

Reprehensio sui. Ac proinde me dignum vehementi objurgatione, & reprehensione esse censeo, quia iniquè egi, quia impiè vixi.

Expostulatio. Agnosce, ô homo perditè, damna animæ tuæ gravissima, quæ tibi affert ignominiosū acediæ vitiū, cui propriū est mærore animū cruciare, fastidiū in bonis operibus generare; odiū rerū Cœlestiū, quinimo ipsius DEI, in anima concitare, deniq; ad desperationem in articulo mortis hominē compellere.

Exsecratio, Abominatio, & Dolor.

Exsecror, Dulcissime JESU, hoc perniciosissimū acediæ peccatū, ut pote tuo fervori, cū quo omnia vivens in terris operari dignatus es, oppositū, tibiq; ingratissimū.

Abhorreo ab illo, displicet mihi, quia tibi displicet.

Doleo vehementer ex amore tui, quòd unquam læserim tuam infinitam Bonitatem acediæ & aliis quibuscunq; peccatis: jam illa propter te fugere volo: & indulgentiam à te spero.

Desiderium. Et quoniam omnem ignominiam & pigritiam odio habeo, cui semper inimicus esse volo: ideò amo fervorem, & diligentiam, cum qua cūcta operari desidero. O uti-

O utinam ad honorem, & gloriam tuam, dilectissime JESU, quod cupio adimpleam, ut necessario fervoris subsidio, citiûs ad portum salutis, ad vitam æternam consequendam, ad fruendum te in æternum perveniam!

O si damna illa universa, quæ in neglecto & tepido acquirendæ perfectionis studio & in virtutum, atq; bonorum operum exercitio per acediam patior, per diligentiæ virtutem, quàm ocyssimè resarciã!

O si non amplius mæror, & inordinata in tuo obsequio tristitia, Domine mi, invadat, & teneat mẽtem meam: sed salutaris lætitia faciat me cuncta cum jucunditate, quæ tu vis à me fieri, peragere!

O utinam nullam opportunitatem benè agendi, tibiq; Domino meo placendi, sicut decet Religiosum prætermittam!

O si jam cuncta, suo tempore præscripto pro honore tuo peragam, sicut tu pro salute nostra fecisti, cujus exemplum fideliter sequi percupio.

Gratiarum actio.

PRopterea gratias ago tibi infinitas, benignissime JESU, quòd adveniente plenitudine temporis, sinè ulla mora de Cœlis descendisti, ut nos redimeres, & de diabolica potestate liberares.

Reddo tibi laudes infinitas, quòd exultasti ut Gigas ad currendam viam Redemptionis nostræ; hoc est, quòd cum ineffabili exultatione, & fervore peregisti opus salutis nostræ; nec desijsti duros labores pro nobis perferre, donec consumarentur omnia, quæ tibi à Patre Æterno injuncta fuerunt.

Præ-

Præterea infinitis laudibus extollo tuam Bonitatem, per quam me hominem ignavum, inutilem, tepidum, tuis beneficiis abutentem, dies gratiæ tuæ bonos in otio consumentem tam diu tolerasti, & ad emendationem expectasti.

Insuper infinitas tibi gratias ago, pro innumeris beneficiis tuis *Reliqua ut supra p. 73. & p. 94.*

OBLATIO.

Hæc habetur supra p. 79. & 96.

PRopofita. Præterea constanti animo, ut tibi, Domine mi, hac in re placeam, propono omnem pigritiam in tuo obsequio fugere, ignaviam in bonis operibus exercendis abijcere, & acediam in exequendis mandatis tuis eradicare.

Nolo unquam dare locum tristitiæ, vel alicui tædio in bono opere, & in actibus spiritualibus, quos cum omni animi alacritate & lætitia inchoare, & in eis continuandis usq; in finē perseverare contendā.

Dabo operam, ô Domine mi, ut nunquam ob aliquam corporis molestiam, laborem aut difficultatem, ea quæ pro tuo honore, vel mea, proximorūq; salute, & ex tuo præcepto agenda sunt, tempore debito agere omittam.

Tantam diligentiam & sollicitudinem singulis bonis operibus apponere curabo, ac si tota salus mea ex uno quoq; penderet.

Quemlibet actum bonum eo cum fervore spiritus, & cura expedire conabor, ac si illud opus ultimum esset, & ac si statim essem moriturus, & rationem de eo tibi districto Judici redditurus.

Beni-

Benigniſſime DEUS, in tuis laudibus Divinis, & in Oratione, attentiſſimus ero, nec unquam voluntariam diſtractionē, & animi evagationem admittā.

Amantiſſime DEUS, ad omnia opera tibi grata, ad omnem obedientiæ, omniūquē aliarum virtutū actum obeundum, me vigilem, expeditum, & alacrem fore, propter te, decerno.

PETITIO.

VErùm quis ego ſum, ut iſtud, quod propono perficiam,, qui ſentio vinculis antiquæ ſocordiæ & tepiditatis me innodatum? quæ vincula tu ſolus diſſolvere poteris. ô bone JESU, à quo id humili corde poſtulo. Fac Domine JESU, ut exultem, ut Gigas ad currendam viam mandatorum tuorum. Fac, ut dum tempus eſt, quodcūq; bonum poteſt facere manus mea, inſtanter illud operetur, amore tui. Fac ut juxta vocationem meā ſollicitè viam, tibiq; Domino meo fervidè ſerviam. Et quoniam vocaſti me ad vitam religioſam. *Reliqua habentur p. 82. & 97.*

EXEMPLA

Orationis.

Pro Proficientibus.

EUndem modum hujus exercitii ſpiritualis, ſeu Orationis mentalis faciendæ, tenere poſſunt Proficientes, qui eſt datus pro Incipientibus. Et quoniam Proficientium præcipua hæc debet eſſe cura, ut in virtutibus ſedulò ſe exerceant, & in illis proficiant, in quibus Chriſtum Dominum, tanquam abſolutiſſimum Exemplar virtutum imitari eos oportet:

tet: ideò meditationes eorum de vita ſacratiſſima Domini noſtri fiant: ſicut in Religione noſtra, tempore matutino de myſteriis Paſſionis ejus ſolent eſſe, in quibus habemus præclara omnium virtutum exempla, ex quibus vehementiſſima habere poſſumus incitamenta, ad exercitium ſimilium virtutũ. Itaq; conſiderando aliquas Chriſti virtutes, & ſtatim agnoſcendo eaſdem nobis deeſſe, fateamur iſtud coram ipſo, doleamus, deſideremus imitari eum: tandem facta Gratiarum actione, proponamus exercere nos in virtutibus nobis neceſſariis, deniq; ad hoc auxilium DEI & alia petamus.

Igitur cũ jã ipsã Orationẽ, ſeu Colloquiũ cũ DEO facere volumus, ponatur primò Cõmemoratio alicuj9 virtutis Chriſti Dñi noſtri; deinde Admiratio, ſuper bonitatẽ Dei poſtea Accuſatio ſui, Admiratio, ſuper malitiã noſtrã Confuſio, Reprehenſio, Expoſtulatio, Abominatio, Dolor, Spes. Poſt hæc Deſideriũ virtutis, Gratiarũ Actio, Oblatio cũ Propoſitis, deniq; Petitio. Quod ſi quis in aliquibus recenſitis affectibus exercẽdis difficultatẽ habuerit, nemo hac de re ſit nimiũ ſolicit9, ſed exerceat illos, quos poteſt, ſervatis his principalioribus: videlicet Cõmemoratione virtutis Dñi noſtri, Accuſatione ſui, Dolore, Deſiderio illi9 virtutis, Gratiarũ actione, Oblatione cũ Propoſitis, & Petitione. Neq; ſit aliquis multùm anxius quòd modos Deſiderii & Propoſitorum tot, quot ſunt dati in omnibus exemplis ſuprã poſitis, non poſſit in promptu habere; ſit contentus illis qui ipſi occurrent: in quibus omnibus cum omni libertate animi, & modo

modo ſvavi procedatur; nè faſtidium iſtius exercitii tam ſalutaris, & ad perfectionem aſſequendam adeò neceſſarii in anima generetur. Qui verò citiùs in hoc exercitio proficere deſiderat, & ſe ipsū ab omni tædio, quod plurimi in Oratione mentali experiri ſolent, liberare, omninò conetur mandare memoriæ: datum hîc exemplum ſuperiùs. Gratiarum actionis, Oblationis, & Petitionis, vel prolixius, quod eſt *p.* 73. vel brevius, quod eſt *p.* 94. & ſic totum negotium ipſius erit in Meditatione cognoſcere, in quo emendare vitam, & quam virtutē ſollicitè quærere, ac exercere debet. Et quoniam multa ſunt jam data Orationis mentalis exempla pro Incipientibus, ſeu pro via Purgativa, ſecundùm quæ Proficientes ſuas Orationes facere poſſunt, ideò hic tantùm unum exemplum Compaſſionis, & aliud obedientiæ datur: quibus adjungitur exemplum de Beatiſſima Virgine, & aliis Sanctis.

EXEMPLUM
Orationis.
De Obedientia.

IN myſteriis Paſſionis Chriſti Domini noſtri, & in omnibus Sacris actionibus ejus iſtæ potiſſimùm Circumſtantiæ ſunt expendendæ. *Quis, Quid, Cur, Quomodo: ideſt, Perſona, Opus, Cauſa, & Modus.*

Circa primam Circumſtantiam.

QUis patitur, & Proquibus, hæc conſideranda ſunt; quòd patitur ipſe DEUS Optimus, & Beatiſſimus, pro nobis peſſimis & miſer-

meſerrimis. Creator Potentiſſimus, pro nobis creaturis viliſſimis. Verus DEI Filius per Incarnationem Frater noſter factus primogenitus, pro nobis adoptatis, & indignis fratribus ſuis, JESUS Salvator noſter, pro nobis perditis, & damnationis æternæ reis, Sanctus Sanctorum, pro nobis ſceleratis, & immundis. Pater noſter ſuperpijſſimus pro nobis filiis ingratiſſimis, & impijſſimis. Rex glorioſiſſimus, pro nobis ſubditis rebellibus, Princeps, ac Dominus ſupremus, pro nobis, ſervis inutilibus, & infidelibus, ac malis. Magiſter Sapientiſſimus, pro nobis diſcipulis inſipientibus. Amicus noſter fideliſſimus, pro nobis inimicis ſceleſtiſſimis.

Circa ſecundam Circumſtantiam.

Q*Uid patitur*, hæc examinanda. Quid patitur in corpore, in anima, in honore. In corpore patitur acerbiſſimos cruciatus & tormenta, innumeras plagas & vulnera. In cunctis ſenſibus & per omnia membra: patitur in corpore delicatiſſimæ, & tenerrimæ complexionis, atq; maximæ ſenſibilitatis: patitur in corpore jam debilitato, & exhauſto, per abſtinentias, labores, vigilias, & aſſiduas orationes: patitur in corpore multorum Carnificum tyrannidem ineffabilem, patitur in corpore tantos dolores, ut ſuperent omnes dolores, carnificinas, laniatus, qui fuerunt unquam in mundo, vel inpoſterum erunt.

In anima patitur graviſſimas afflictiones & mærorem, ſinè ullo modo conſolationis, & refrigerio. Fuit autem cauſa mæroris, tùm gravitas peccati Ju-

dæ, & Petri Apostoli, atq; Judæorum: tùm malitia futura hominum, qui parvi æstimantes cuncta hæc, quæ passus est pro illis Christus, multis eum peccatis erant offensuri: deniq; propter exiguum fructū, quem prævidit futurum in hominibus, ob negligentiam & ingratitudinem eorum: insuper propter infinitam multitudinem damnatorum, qui se indignos participatione Passionis ejus, & Redemptionis reddiderunt.

In Honore autem patitur varia opprobria, contemptus, irrisiones, blasphemias, & contumelias, per colaphos, alapas, sputa, spinas, flagella denudationem, mortem ignominiosam, & cum iniquis ac latronibus deputationem.

Circa tertiam Circumstantiam.

CUr *patitur*. Causæ investigandæ Passionis Domini nostri. *Primò*. Ex quâ Causa patitur; & hæc est Bonitas ipsius infinita, atq; nimia erga nos Charitas. *Secundò*. Propter quam Causā patitur: & hæc est nostra Salus & Redemptio, Justificatio, & Glorificatio.

Circa quartam Circumstātiam.

QUomodo *patitur*, Virtutes Christi Domini nostri inspiciendæ, cum quibus passus est. Nam in omnibus mysteriis Passionis suæ egregia dedit nobis multarum virtutum documenta: nimirum, Charitatis, Prudentiæ, Fervoris, Diligentiæ, summæ erga DEUM Reverentiæ, Pietatis, Abnegationis, Obedientiæ, Resignationis, Fortitudinis, Magnanimitatis, Patentiæ, Constantiæ, Perseve-

severantiæ, Humilitatis, Taciturnitatis, Modestiæ, Paupertatis, Contemptus sui. Zeli Honoris DEI & nostræ Salutis inimicorum Dilectionis, & aliarum virtutum.

Ex quorum omnium consideratione habebimus Incitamentum ad Compassionem Christi: & ad Imitationem ejus in virtutibus Sanctis. Ad Compassionem quidem, ex consideratione Circumstantiæ Quis, & Quid patitur. Ad Imitationē verò, ex cōsideratione Circumstātiæ Cur & Quomodo patitur. Quod si fuerit Oratio de aliqua virtute, nunc in principio fiat Commemoratio Illius, postea Admiratio fiat de Persona, & de Causa. Si autem fuerit de Compassione, tunc Commemoratio fiat eorum quæ passus est Christus, & in Admiratione Persona, & Causa exprimatur.

Itaq; considerando, quomodo Christus Voluntatē suam subdidit Patris Æterni voluntati, dicens: Pater mi, si possibile est transeat à me Calix iste, verū tamen non sicut ego volo, sed sicut Tu: perfectissimum Obedientiæ Exemplum nobis datum cognoscere debemus, ut & nos ita faciamus.

COLLOQUIUM ANIMÆ CUM DEO.

Commemoratio Perfectissimæ Obedientiæ Christi.

O Humilitatis & Obedientiæ Amator dulcissime JESU, qui venisti in hunc mundum, ut faceres, voluntatem Patris Æterni, sicut ipse hoc indicasti dicens: Quia descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam sed voluntatem ejus qui misit me. Et in horto orans ad Patrem dixisti:

Pater mi, si possibile est transeat à me Calix iste, verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu: quibus verbis ostendisti, quod tuam voluntatem voluntati Patris Æterni subdidisti, quod proprium obedientium est. Proinde & tu obedientissimus fuisti usq; ad mortem, mortem autem Crucis, eligens magis animam ponere, quàm obedientiã non implere. Fuisti autem obediens non solùm faciendo voluntatem DEI Patris tui, vel etiam Virginis Matris tuæ Sanctissimæ, verùm etiam inimicorũ tuorum crudelissimorum, ad quorum nutũ in omnibus in Passione tua te gessisti.

Admiratio. O quis non mirabitur tã eximiã Obedientiã tuã, dilectissime JESU? per quã tu unicꝰ DEI Patris Filius æqualis eidem in omnibus secundum Divinitatẽ, minorem te Patre secundũ Humanitatem ostendisti: per quam tu Creator potentissimus tuis miserrimis creaturis: Tu Sanctus Sanctorum hominibus sceleratis, & immundis: Tu Rex gloriosissimus, Dominus Altissimus, & Imperator supremus, tuis subditis vilissimis, & servis infidelibus subijci voluisti: idq́, propter tuam nimiam bonitatem; & ut satisfaceres Æterno Patri pro inobedientia primorum parentum nostrorum, atq; ut nobis hujus virtutis ad vitam æternam obtinendam maximè necessariæ exemplum dares.

Accusatio sui. O quam dissimilis factus sum tibi, obedientissime JESU; quia ego inobedientissimus sum, qui voluntatem meam Divinæ voluntati subijcere nolui, quam sæpissimè per inobedientiã trasgressus

greſſus sū: qui mandatis DEI ſvaviſſimis toties non obedivi, quoties contra illa peccavi: qui dulcia verba oris ſui, auribus mentis meæ percipere detrectavi immò etiam ea contempſi. Quid dicam de inobedientia mea erga Superiores Perſonam DEI gerentes?

O quàm crebrò eorum juſſis non obtemperavi, vel illud quod injunctum erat ſæpè non feci velociter, & ſinè mora, nec libenter, ſeu prompta voluntate: neq; ſimpliciter, ſeu cæco intellectu: neq; hilariter abſq; triſtitia; neq; fortiter, in rebus arduis: nec humiliter, ſinè vanæ gloriæ & laudis appetitu, neq; perſeveranter, ſeu tempore diuturno.

Admiratio. O quanta hæc mea ptotervia, per quam volo jugum obedientiæ excutere, cui cervices libera voluntate ſemel, ob amorem tuum, Domine mi, ſubmiſi. O quanta iniquitas mea, quòd qui me in ſervum tibi perpetuum dedicavi, ſæpè hoc per obedientiam retracto, revoco, & me â ſervitute tua ſubtraho.

Confuſio. Pudore ſuffundor Domine JESU, dum te video adeò obedientem fuiſſe non tantùm DEO Patri, ſed etiam ſceleſtiſſimis hominibus, quorum voluntatem prompto animo feciſti, ego autem neq; tibi DEO ſupremo Domino meo, nec hominibus probis locum tuum tenentibus obedire volo. Erubeſco & confundor, cùm ſciam Cælum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt, mandata tua cuſtodire nimis, tibiq; fideliſſimè in omnibus parendo cuncta facere, ego autem infelix ita vivo, ac ſi non ad obedien-

diendum, sed ad mandata tua trāsgrediendum natus essem.

Reprehensio. Ac ideò me arguo coram tua Divina Majestate, tanquam hominem iniquum & servum tuum rebellem, dignumq; plagis multis, & verberibus, ac pœnis gravissimis. Sed ô Domine mi clementissime, nunc me,quæso ure,nunc seca, modò in æternum parcas.

Expostulatio. O me miserum, qui non cognosco, aut potiùs cognoscere nolo, quanta mala inobedientia afferat animæ meæ, quæ sicut nihil est aliud, nisi mandatorum DEI prævaricatio, ita est omnium scelerum perpetua scaturigo: quæ sicut fuit totius mundi, ita nunc est omnium nostrum certissima perditio.

Exsecratio. Exsecror abhinc, svavissime JESU, ex amore tui, omnem inobedientiam,utpote tuo supremo dominio contrariam. Exsecror tanquam Imperii tui rebellionem maledictam.

Abijcio, fugio, & abominor illam veluti rem tibi abominabilem. O utinam nunquam tibi per trāsgressionem mandatorum tuorum displicuissem! O si semper & tibi, & Superioribus meis, propter te, fideliter paruissem! Utinam nunquam te per inobedientiā,& alio quocunq; modo offendissem! Propter quod ex toto corde meo doleo propter te DEUM summè & supra omnia dilectum. Et quamvis non merear, tamen veniam à tua infinita Bonitate spero: ego autem corrigere vitam volo.

Desiderium Obedientiæ. Jam mihi multum pla-

cet

cet hæc ſancta obedientiæ virtus: amo illam, & plùs æſtimo quàm aurum & lapides pretioſos, plùs quàm omnia, quæ totus æſtimat mundus. Deſidero ex corde amplecti eam. Cupio tota animi intentione illam colere.

O utinam abhinc nullam occaſionem exercendæ iſtius virtutis negligam, & omittam, à qua ſalus mea dependet!

O ſi jam verè incipiam obedientiæ actibus exercendis inſiſtere, & per eos rebellem voluntatem, ac judicium proprium ſubjugare, ut hoc modo in via perfectionis inſignes progreſſus faciam!

O quando ita me geram in hac virtute, ſicut decet hominem religioſum?

Cur igitur non ſic ago? quid expecto? quid moror? cur ſplendorē & pulchritudinē illā, quā ſolet habere anima noſtra à qualibet virtute non quæro?

O quanta jucunditate, & tranquillitate animi me privabo, ſi hanc virtutem ſvaviſſimam acquirere toto conatu non ſtudebo!

Sed, ô bone JESU, non propter ullum commodum meum, ſed purè ob honorem, & amorem tuum, in obedientia imitari Beatiſſimam Virginem & omnes alios Sanctos, qui in hac virtute obedientiæ amabiles ſe tibi exhibuerunt, ſed potiſſimū te Dominum meum ſequi deſidero, qui factus es perfectiſſimum obedientiæ, & omnium virtutum exemplar: qui humiliaſti te ipſum pronobis factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis.

Gratiarum actio.

Et

ET propterea te adoro, laudo, & glorifico, tibiq; infinitas gratias ago, pro omnibus quæ salutis nostræ causâ fecisti.

Gratias tibi ago immensas, quòd me impium legum tuarum transgressorem condignis pœnis hactenus non affecisti: quod me rebellem servum tuum, providendo mihi cuncta vitæ necessaria, liberaliter hucusq; fovisti: quòd me contemptorem mandatorũ Superiorũ meorũ, de quibus dixisti: Qui vos audit; me audit; & qui vos spernit, me spernit: benignè usq; nunc in terris sustinuisti.

Præterea infinitas tibi gratias ago, & pro aliis innumeris beneficiis. *Reliqua ut suprà p. 73. & p. 94.*

OBLATIO.

Hæc habetur suprà posita p. 79. & 96.

P*Roposita.* Præterea firmiter statuo vim mihi inferre, ut nũquam obedientiam transgrediar. Nulli operi, neq; occupationi, nisi obedientiæ ipsi me ex toto dedicabo.

Indifferentem, & paratum me ad quæq; injungenda, & exequenda præstabo.

Conabor omnia mandata tua diligenter custodire, & fidelissimè implere semper.

Quæcunq; Superiores mei vicem tuam gerentes mihi injunxerint, faciam illa velociter, sinè ulla dilatione & mora.

Libenter, seu prompto animo, voluntatem meã Superioris voluntati subijciendo.

Simpliciter, seu cæco intellectu, imperatum non

discu

discutiendo, & judicium meum Praelati judicio submittendo.

Hilariter, absq; tristitia, taedio & quaerela.

Fortiter, seu excelso animo, in rebus arduis & difficilibus, etiam Superioribus parum affectis, & malevolis obtemperando,

Perseveranter, usq; ad perfectam mandati Superiorum impletionem, & usq; ad finem vitae meae.

PETITIO.

VErùm, ô Domine, quia sinè te nihil facere possum, ideò rogo te per tuam infinitam Bonitatem & Misericordiam, per tuam Sanctissimam Obedientiam & Passionem tuam, ut me obedientem facias, & quod statui, me opere praestare tribuas.

Da ut viam mandatorum tuorum alacri animo curram, & quod in lege praecipis fideliter exequar. Da ut voluntatem meam voluntati tuae, & Superiorum meorum perfectè subijciam, simul quoq; & proprium judicium in rebus arduis, & sensui animi mei contrariis vincam. Da ut obedientiae opus, quod Superior injungit, & ipsum obedire, non aliter quàm rem pretiosissimam aestimem, amplectar, & custodiam.

Praeterea da, Domine mi, & fac, ut serviam tibi secundum vocationem meam. *Reliqua ut suprà, p. 82. & 97.*

EXEMPLUM
Orationis.
DE COMPASSIONE.

Quâ

Quâ Christo patienti compatimur.

QUodcunq; mysterium Passionis Domini Salvatoris nostri ad meditandum propôsuerim9, semper justā causam habebimus compatiendi Domino nostro, ex circūstantiis Personæ Patientis, & eorum quæ patitur. Quemadmodum si quis consideraverit tristitiam, pavorem, tædium, agoniam & sangvineum sudorem Redemptoris nostri in horto. Nā tristitia, quæ sanctissimā ipsius animam tunc invasit, tam ingens fuit, ut post damnatorum tristitiam nulla possit inveniri aut cogitari major, idq; propter magnitudinem ac multitudinē tormentorum, quæ sibi inevitabiliter cernebat imminere. Pavor quoq; tunc Christi fuit nimius ob mortem ignominiosissimam instantem. Permittebat enim tunc naturam suo fungi officio, ut timeret mortem, velut malûm naturæ maximum, quod omnes creaturæ viventes totis conatibus fugere consveverunt. Præterea ingens tædium animam Domini nostri mirum in modum tunc afflixit. Est autem Tædium, magna quædam anxietas, propter quam aliquis præ tristitia & fastidio deficit atq; exanimatur, ex quo tædio homines solent horrere omnia, etiam ipsam vitam: quod accidit, dum quis patitur aliquid sinè omni consolatione, & refrigerio: sicut Christus Dominus voluit hoc modo pro nobis pati: quale tædium non tantùm in horto, verùm & per totam Passionem sensit. Agoniam quoq; in effabilē passus est Dominus noster in horto. Est autem Agonia certamen quoddam vel lucta, Itaq; quando

Sanctus

Sanctus Lucas teſtatur de Chriſto, dicens: Et factus in agonia prolixiùs orabat: oſtendere voluit per hoc nomen Agonia, tormentum maximum, quod anima Salvatoris noſtri ſuſtinuit in horto, ex ingenti certamine & lucta, inter partem inferiorem & ſuperiorem: inter vitam & mortem inter honorem & contumeliam: inter amorem & paſſionem. Ex qua agonia vel lucta factus eſt ſudor ejus, ut ait Sanct9 Lucas: ſicut guttæ Sangvinis decurrentis in terrā: hoc eſt, tanta abundantia Sangvinis è corpore ejus benedicto emanavit, ut in terram defluxerit, eamq; copiosè irrigaverit. Ex quo ſudore inſolito conijcitur anguſtias & dolores Chriſti internos fuiſſe atrociſſimos, propter quos ultra vivere non potuiſſet, niſi Divina virtus miraculosè vitam ejus conſervaſſet. Quorum omniū devota meditatio ad compatiendum Domino noſtro facilè unumquemq; noſtrum excitabit.

COLLOQUIUM ANIMÆ CUM DEO.

Cōmemoratio eorū quæ in horto paſſus eſt Chriſt9.

O Vir dolorum patientiſſime JESU, qui ante amaram Paſſionem tuam veniens in hortum Montis Oliveti, maximam amaritudinem in anima tua benedicta ſenſiſti: & antequam tortores immaniſſimi in te ſævirent, tu ſævitiem affectuum tuorum naturalium, triſtitiæ, pavoris, & tædii, pati ſponte tua voluiſti. Nam triſtitia, quæ tunc animā tuam invaſit, tam ingens fuit, ut poſt damnatorū triſtitiam nulla poſſit inveniri, aut cogitari major, idq; propter magnitudinem ac multitudinem tormē-

torum,

torum, quæ tibi inevitabiliter cernebas imminere. Pavor etiam nimius tunc corripuit te, ob mortem crudelissimam & ignominiosissimam instantē. Permisisti enim tunc naturam suo fungi officio, ut timeret mortem velut maximū naturæ malum, quod omnes creaturæ viventes, & sensu præditæ, totis conatibus fugere consveverunt. Tædium quoq; adeò vehemens animam tuam tunc afflixit, ut tæderet te vivere; eò quòd nullā consolationē ab aliquo, nec refrigeriū habuisti: quia sic pati absq; omni solatio pro nobis decrevisti. Post hæc subsecuta est ineffabilis Agonia, seu quoddā certamē & Lucta, inter partē inferiorē & superiorē: inter vitā & mortē: inter honorem & contumeliam, inter amorem & passionem: ex qua Agonia tormentum maximum sustinuisti, & tantam abundantiam sangvinei sudoris, præter naturæ consvetudinem, ex toto corpore tuo effudisti, ut in terram defluxerit, eamq; copiosè irrigaverit. Ex quo insolito sudore manifestum habemus, angustias & dolores tuos internos fuisse tunc atrocissimos, propter quos ultra vivere non potuisses, nisi Divina virtus miraculosè vitam tuam conservasset.

Admiratio. O quis non rapiatur in maximum stuporem, expendendo hæc omnia, quæ tu bone JESU, in horto, & tota passione tua sustinuisti? O bonitatem infinitam! ô charitatem excessivam, quæ istorum dolorum tuorum causa fuit, & quæ te induxit, ut tu DEUS noster Optimus & Beatissimus, pro nobis pessimis & miserrimis: Creator Potentissimus, pro nobis creaturis vilissimis: JESUS, Sal-

vator

vator noster, pro nobis perditis, & damnationis æternæ reis: Sanctus Sanctorum, pro nobis sceleratis & immũdis: Pater noster superpijssimus, pro nobis filiis ingratissimis, & impijssimis: Rex Gloriosissimus, pro nobis subditis rebellibus: Princeps ac Dominus supremus, pro nobis servis inutilibus, & infidelibus, ac malis: Amicus noster fidelissimus, pro nobis perfidis, inimicis, & scelestissimis: Ut tu tantus ac talis, tanta & tam indigna pro nobis passus fueris. O verè cor saxeum foret, quod tibi tam acerba pro nobis patienti non compateretur: quod nullum internum dolorem super dolores tuos sentiret: quod verum compassionis affectum erga te sangvinem toto corpore stillantẽ, non in se concitaret: quod super te omnibus poris, ceu cataractis tui corporis apertis, sangvineas lacrymas fundentem, oculorum suorum lacrymas contineret: quod tecum & pro te pati omnia adversa, afflictiones, cruces, tribulationes, mortificationes corporis nollet.

Accusatio sui. Ego, Ego sum ejusmodi homo miserrimꝰ, omnibus petris durior, cautibꝰ insensibilior, qui non facilè moveor compassione, & cõmiserationis super dolores, angustias, tuaq; tormenta, quæ tu salutis nostræ causâ sustinuisti, dilectissime JESU: qui tibi dolenti non condoleo: lacrymas pro nobis sangvineas fundenti non collacrymo: qui tibi morienti nõ commorior, atq; tecum & pro te nihil molesti sustinere volo: qui omnes afflictiones subterfugio, de cunctis adversitatibus facilè conqueror; crucẽ mortificationis jugiter in corpore meo portare detrecto.

Sed

Sed non mirum: quandoquidem de tua Sacratissima Passione raro lectioni vacare soleo, & illud quod lego non pondero, vel persunctorie id facio: & ideo devotionis, & tuæ compassionis expers fio.

Admiratio. O quis non admiretur hanc meam ingratitudinem, erga te Dominum meum pijssimũ pro me dolentem, afflictum, & tam dira patientẽ? quis non commoveatur justa indignatione contra me, videns me non amare te, qui sic dilexisti me, ut sangvinem totum, & vitam dares pro me?

Confusio. Equidem jure merito pudore suffundi debeo; eo quod aliæ creaturæ ab omni sensu & ratione alienæ tibi Creatori suo compatiantur: quod terra tremat, & petræ scindantur, sol obscuretur, in testimonium doloris sui, ego autem sine ullo sensu doloris & compassionis tuæ maneo.

Reprehensio sui. Ac propterea me arguo vehementer coram te, ut hominem impium, ac ingratũ, & parvi æstimantem tuam erga nos immensã Charitatem & Bonitatem.

Expostulatio. O quid agis anima mea, quid agis? siccine de tua salute parum solicita es? ignoras, quod qui nunc compatiuntur Christo, etiam conglorificabuntur? qui nunc dolent, tristantur, affliguntur cum ipso, etiam cum ipso lætabuntur? qui nunc sine omni solatio vivunt, sicut & Christus vixit in terris, illi consolationibus æternis replebuntur cum ipso in Cœlis.

Exsecratio. Exsecror, dulcissime JESU, hanc tepiditatem, & duritiã cordis mei in compatiendo tibi,

tibi, tuæ Charitati contrariam. Exſecror hanc meã impietatem, & ingratitudinem erga te, tuæ Bonitati oppoſitam. Sit anathema apud me: Expungo illam de corde meo, ut non ampliùs habeat locum in eo.

Doleo nunc ex amore tui, quòd ſæpè audiendo, aut legendo vel cogitando aliquando de doloribus tuis, & paſſione tua, non tibi condolui, non in me affectum compaſſionis tuæ concitavi: non commiſerationem ſuper te afflictum habui. Doleo ex toto corde, quòd amore mei tam gravia tormenta patientem, te redamare neglexi. Doleo, quòd pro his omnibus, quæ ſalutis meæ causâ feciſti, & ſuſtinuiſti, non tibi condignas laudes perſolvi, nec tibi gratias egi, ut debui, & potui.

Doleo inſuper & de omnibus peccatis totius vitæ meæ, propter te DEUM ſummè dilectum. Deteſtor illa quia ſunt infinita offenſa & injuria tua. Eméndationem vitæ propono: & à te veniam peccatorũ meorũ ſpero: atq; id per tuas omnes miſerationes te rogo.

Deſiderium. Jam ab hinc tibi, ô bone IESU, pro nobis paſſo & afflicto, cõpati ex corde deſidero. O utinam hic compaſſionis affectus ſuper dolores tuos permaneat ſemper in anima mea!

Utinam tibi ita compatiar in terris, ut poſt hanc vitam conglorificer in Cœlis!

O ſi nihil aliud in mente habeam, niſi te Dominũ meũ JESUM Chriſtũ pro me paſſũ! ut tua ſacratiſſima Paſſio ſit mea perennis conſolatio: & ut

passionis tuæ amaræ memoria coërceat in me vana hujus vitæ gaudia.

Utinam configar tibi semper, Domine JESU, in cruce passionis tuæ, sicut decet Religiosum,& quemlibet Catholicum! quia te Domino nostro in carne passo, & nos Religiosos, atq; homines universos, eadem cogitatione armari oportet.

Utinam ejusmodi compassionem habeam in anima mea super te dolentem Dominum meum, qualem habuit unquam Mater tua Virgo Sanctissima, & omnes Angeli, atq; omnes servi tui!

Utinam tantum dolorem experiar semper in mẽte, quantum tu passus es, & quantùm sensisti multipliciter in tuo Sacratissimo Corpore!

Gratiarum actio.

PRo quo immensas tibi gratias ago ex omnibus medullis cordis mei.

Gratias tibi ago quoniam sic dilexisti me, ut tam dira tormenta in horto, sinè ullo tortore, à teipso sustineres pro me.

Gratias tibi ago pro omni anxietate mærore, tædio, pavore, & agonia, pro omni afflictione & angustia, & pro universis doloribus tuis, quos in monte Oliveti, totaq; passione tua pertulisti.

Sed præcipuè infinitas tibi gratias ago pro illo stupendo sudore tuo, qui sicut guttæ sangvinis decurrentis in terram ex tuo Sacratissimo Corpore emanavit, & terram tinxit.

Præterea infinitas gratias ago, pro tua prompta voluntate quidvis patiendi pro salute nostra juxta

voluntatem Æterni Patris tui: & pro vinculis, sputis, alapis, colaphis, flagellis, spinis, plagis, vulneribus, livoribus, contumeliis, irrisionibus, blasphemiis, lacrymis, pro omnibus guttis Sangvinis tui pretiosissimi: deniq; pro morte dirissima, acerbissima & ignominiosissima: & pro universis, quæ ex tuo amore infinito pati dignatus es, redemptionis nostræ causâ.

Insuper gratias tibi ago infinitas, & pro aliis innumeris beneficiis tuis. *Reliqua ut suprà, p. 73. & 94.*

OBLATIO.

Hæc habetur suprà p. 79. & 96.

PRoposita. Adhæc firmo animo statuo mysteria passionis tuæ præ oculis semper habere eaq; mente sedulò revolvere, diligentiùs expendere, & hoc modo piissimū compassionis tuæ affectū in anima mea excitare, semper fovere, & renovare, & in eo ad mortem perseverare.

Absit à me ut magis velim aliquid aliud scire, cogitare auditu percipere, nisi te JESUM Dominū nostrū vulneratum, & crucifixū.

Dabo operam, ut nullam diem: ô si possem etiā nullam horam ac momentū! sinè recordatione passionis tuæ, & simul sinê compassione tua prætermittam.

O quis mihi daret, ut nūquam siccis oculis, & in compassibili corde imaginem Passionis tuæ pertranseam?

O si passio tua amara ita penetret viscera mea, ut præ dolore tabescā & deficiā! O2 Uti-

Utinam moriar pro te! utinam vulnerer pro te! utinam totum cruorem meum effundam pro te!

Ecce benignissime JESU, offero me ad omnia tormenta, cruciatus, etiam mortem crudelissimam, & ignominiosissimam pro te subeundam.

Offero me, totamq; vitam meam, ad omnes tribulationes, afflictiones, pœnitentias amore tui perferendas.

Statuo in honorem passionis tuæ corpus meum variis modis affligere, & ut tecum pro modulo meo patiar, aliquantulum dolorem in corpore meo concitare & sentire.

Curabo, ut tibi Domino nostro JESU Christo, per mortificationem carnis, sim confixus cruci, ut in vita mea similitudo mortis tuæ resultet.

PETITIO.

VErùm ô piissime JESU, tu scis, quòd, licet spiritus meus sit promptus ad hæc, quæ ego te inspirante proposueram, præstanda: caro tamen infirma impedire me poterit, nisi tu mihi auxiliatus fueris. Non ignoras, quomodo nihil magis horreat natura nostra, quam amarum aliquid pati. Optimè nosti, quòd multi sunt qui tecum gaudere, regnare, & glorificari desiderant; sed pauci qui tecum flere, laborare, contemni, & pati velint: ideò supplex te rogo, & per tuos dolores, angustias, lacrymas, per vulnera, Sangvinemq; tuum pretiosum, & mortem dirissimam, deniq; per tuā Sacratissimam passionem, obsecro, da ut tibi patienti verè compatiar, tecum in hac vita fleam, tecum

in

in cruce moriar, tecum omnia amara libenter ſuſtineam. Imprime mihi miſericordiſſime Domine paſſionis tuæ memoriam: ſcribe vulnera tua in corde meo pretioſo Sangvine tuo, ut in eis legam tuum dolorem, pariter & amorem; Permaneat vulnerum tuorum memoria jugiter in ſecreto cordis mei, ut dolor compaſſionis tuæ in me excitetur, & ardor dilectionis tuæ in me accendatur. Sentiam in anima, quæ tu pro redemptione mea tam cruciabiliter pertuliſti tibiq; dilecto pro me paſſo, ſaltem per amatoriam compaſſionem cum gratitudine reſpondeam, & amoris qualemcunq; vicem reddam. Vulnera, ô JESU cor meum, ſagittâ charitatis tuæ: tranſeat & perfodiat militaris lancea omnia interiora & viſcera mea, idq; tam profundè & validè, ut ex hoc ſalubri vulnere, perfectam compaſſionẽ tuā conſequatur anima mea, nullumq; præter te amatorem admittam nullum extra te ſolatium requiram.
Addat, cui placet Petitionem communem, quæ eſt ſupra p. 82. & 97.

CAPUT XXIV.
EXEMPLA
Orationis,
De Beatiſſima Virgine.

QUia in noſtro Ordine S. ſæpiùs offertur nobis occaſio meditandi de Beatiſſima Virgine, tū in Feſtivitatibus ejus: tum ſingulis diebus Sabbati, quibus leguntur meditationes de doloribus Virginis Sanctiſſimæ: immò bonum eſſet, Religioſi noſtri quotidie poſt matutinum illâ mediâ horâ, quā

 Fra-

Fratres nostri Orationem faciunt, de Beatissima Virgine meditationes breves instituerent: propterea ut Tirones hujus exercitii spiritualis non patiantur difficultatem in his meditationibus, dantur hîc aliquot Exempla pro illis, videlicet, compassionis, Congratulationis & Imitationis. Si enim contingat nos aliquando considerare dolores Sanctissimæ Virginis, tunc debemus excitare in nobis affectum Compassionis. Si Prærogativas ejus, tunc affectum Congratulationis. Si verò virtutes ipsius, tunc Imitationis.

EXEMPLUM
Compassionis,
Super Dolores Sanctissimæ Virginis, Colloquium.

O MARIA Virgo purissima! ô Mater dolorũ mæstissima! quæ sicut præ cæteris plùs Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuũ dulcissimum dilexisti: ita supra omnes, ob ejus passionẽ dirissimã, magis afflicta fuisti. O quis hominũ, vel Angelorũ sermone enarrare, aut aliquâ verborũ vi declarare, exprimere, aut quocunq; modo toti mũdo, & nobis indicare poterit illas tuas afflictiones, angustias, tribulationes, & dolores maximos, quos tu in anima tua benedicta tempore passionis dilecti Filii tui sustinuisti, sensisti, percepisti? Præsertim quãdo eum ab inimicis captum, instar latronis ligatum, à discipulis derelictum, pedibus impiorum calcatũ, per terram raptatum, in via crudelissimè tractatum, variis opprobriis & verberibus affectum: in domo Annæ summi Sacerdotis gravissimè in facie percussum,

ſum, & apud Caipham conſputum, colaphis & alapis cæſum, ob confeſſionem Deitatis reum mortis declaratum, miris & ineffabilibus modis tota nocte afflictum, referente tibi hæc omnia Joanne Apoſtolo, cognoviſti?

Tum, etiam quando ſummo manè die Paraſceves, ipſamet eum vinctum ignominiosè à Caipha duci ad Pilatum Judicem, cum acceleratione, irriſione, exultatione, ac ſi Patriæ,& communē omnium hoſtem comprehendiſſent, oculis tuis vidiſti?

Tum, quando ipſum veſtibus ſpoliatum, ad columnam alligatum immaniſſimè flagellari, funibus, virgis & catenis cœdi, centenis, millenis, & millenis plagis onerari, vulnerari.dilaniari, & poſtea ignominiosâ & crudeli ſpineâ coronâ redimitum, ludibriosa chlamyde purpurea cinctum, toto Corpore Sangvine perfuſum, in conſpectum populi à Pilato productum conſpexiſti?

Tum, quando illas barbaras, inhumanas, tyrannicas Judæorum voces clamantium ad Pilatum: Tolle, Tolle, crucifige; auribus percepiſti. Et illas: Noli dimittere hunc, ſed Barabbam, qui erat inſignis latro & parricida: & quando ſententiam crudeliſſimæ mortis contra eum pronunciari audiviſti?

Tùm, quando eum ad mortem euntem, onuſtū gravi mole & pondere ligni crucis, & ſub illa cruce aliquoties in terram cadentem, & montem Calvariæ arduum, jam viribus exhauſtū, doloribus atq; tormētis debilitatum, conſcendentem vidiſti? & quando eum nudum inter latrones mediū im- manif-

manifeſtiſſimè cruci affixum, & tribus horis in cruce ſuſpenſum, poſtea felle & aceto potatum, & lanceâ tranſverberatum, deniq; per ſepulturam ex toto cū à te ſeparatum oculis tuis percepiſti? Quae omnia quàm graviter cor tuum ſauciarunt? quantis doloribus illud repleverunt? in quales anguſtias & afflictiones conjecerunt? nullus quamvis diſertiſſimus quiſq; ſatis eloqui valet: quod benè vox tua lugubris exprimit ad nos omnes mortales dicens: O vos omnes, qui tranſitis per viā: attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Nā credibile & veriſimile eſt cuncta hæc tormenta in anima tua te ſuſtinuiſſe, & ſenſiſſe, quæ Filius tuus Dominus noſter in Corpore ſuo paſſus eſt: & omnia illa verbera & vulnera in ſpiritu te excepiſſe, quæ ille in carne ſua pertulit & excepit.

Admiratio. Quis non manebit attonitus, expēdendo in animo ſuo multitudinem & immenſitatē dolorum, afflictionum, tribulationumvè tuarum, ô Beatiſſima Virgo MARIA? Quis non commovebit viſcera ſua ad compatiendum, condolendum, & cōmiſerandum tibi, ô virgo Sanctiſſima? Quis præ admiratione non erumpet in has lamentabiles voces; O MARIA Dei Genitrix Virgo, magna eſt velut mare contritio tua, quis medebitur tui?

Accuſatio ſui. Sed heu me miſerum, ô Domina mea mæſtiſſima, qui hactenùs modicam compaſſionem, aut ferè nullam ſuper dolores tuos habui: qui rarò & non libenter, nec attentè de tuis afflictionibus & doloribus libros tractantes evolvi, aut lecta

cta devotè expendere non curavi: immò qui dolores tuos auxi toties, quoties in dilectum Filium tuum peccavi. Nam qui peccant, iterum Filium DEI crucifigunt, ut testatur Paulus Apostolus. Propterea si secundũ statum præsentem gloriosum, in quo tunc es in Regno Cœlorum, capax esses alicujus mæroris & doloris, fateor, quòd majorem tibi nunc delicta mea & iniquitates afferrent dolorẽ & mærorem, ob ingratitudinem meam erga Filiũ tuũ ac Dominum nostrum, qui semel mortuus est pro peccatis nostris, ego autem iterum peccatis meis eum crucifigo: & ideò crudelior modò ego in te sum, quàm fuerunt impii Judæi, qui crucifixerunt Filium tuum & DEI, quorum delictum ipse excusabat in cruce pro eis orans: Pater ignosce illis; quia nesciunt quid faciunt. Me autem excusare non potest ignorantia, sed potiùs accusat me, coram DEO & te, mea malitia.

Confusio. O quomodo nunc sinè confusione mea levabo oculos meos ad te, ô Regina Cœli? Quomodo aperire os meum audebo, invocando te Dominam meam in necessitatibus meis? Quomodo te Matrem misericordiæ appellabo, qui adeò sum immisericors & durissimi cordis filius erga te, ut commiserationis & compassionis affectu super te dolentem non movear? Ubi est amor meus? ubi pietas? ubi gratitudo erga te, ô Mater piissima nostra?

Dolor. Sed jam defleo hanc duritiem cordis mei: aversor tantam impietatem in te, ô Virgo Sanctissima: abominor hanc iniquitatem meam, quòd negligens

gens & tepidus in compatiendo tibi fui. Pœnitet me, quòd te dolente, ego non dolui; te plangẽte, ego non planxi, te mærore tabeſcente; ego abſq; mærore hactenus vixi.

OBLATIO.

Seu Actus Compaſſionis.

VErùm ab hinc volo tibi Dominæ meæ, doloribus multis gravatæ & ſauciatæ ex corde intimo compati, & hunc compaſſionis affectum ſemper in viſceribus cordis mei fovere, & quoad ſpiritũ ducam in terris, retinere conabor. Firmiſſimè ſtatuo dolores tuos, & afflictiones animæ tuæ benedictæ ſæpiùs meditari, & in animo expendere, ut tibi afflictæ condoleam.

Prout & nunc intimè condoleo, & compatior tibi: & ſi in mea foret poteſtate, ſentire ut poſſem amaritudines cordis illas, quas ex conſideratione afflictionum dolorumq; tuorum, ſervi tui unquam perceperunt, paratus eſſem ſufferre univerſas.

Cupio habere cor dilectiſſimi Filii tui, quod verè afflictiones tuas percepit & ſenſit; aut tuũ ipſius cor, ut eodem modo ſentire eas valerem.

Fateor, ô MARIA Virgo puriſſima, quòd ſatis ſuperq; inundavit cor tuũ ſvaviſſimũ doloribꝰ plurimis & acerbiſſimis. Ecce ô Domina mea, offero tibi cor meũ, ad excipiendos dolores tuos, & liberãdũ ab eis cor tuũ. O quàm felicem me arbitrabor, ſi me gratia tuorum dolorũ ſentiendorum donaveris! O dulciſſima Virgo MARIA, cupio immergi in imẽſo dolorũ tuorũ mari, ut in omnibus actibus animæ & corporis mei dolores tuos sẽtiã, & experiar.

Utinam, ô mæstissima Virgo MARIA, gladio tuæ compassionis nunc & semper transfigatur cor meum; sicut & tuam ipsius animam transfixit gladius doloris in passione dulcissimi Filii tui!

Opto semper tecum flere; crucifixo Filio tuo, & tibi cōdolere, ex intima mea super te dolente cōpassione.

Renuit consolari anima mea, & unicum erit mihi solatium in hac præsenti vita, semper tecum pati, ô MARIA.

Dabo operam, ut Filii tui passio, & tua compassio sic inhæreat visceribus meis, ut nulla inde oblivione excidat, nulla ingratitudine deleatur.

Utinam ita vulneretur anima mea amore & commiseratione tui, sicut anima tua in passione dilecti Filii tui vulnerata fuit!

Gratiarum Actio.

CUi dulcissimo Filio tuo infinitas gratias ago, quòd te sibi morienti assistere, & commori voluerit: & quòd tibi propter suam passionē afflictissimæ intimo ex corde compassus fuerit; & quòd te dilecto suo discipulo Joanni, & nos in persona Joannis tibi, ut Matri, commendaverit, præterea quòd corpus suū exangue per te de cruce deponi, in sepulchro componi atq; cruorem vulnerū suorū abstergi voluerit.

Gratias eidem infinitas refero, quod ejusmodi fortitudinem & robur animi tibi donavit, ut fugientibus præ timore ejus discipulis, tu sola ipsi ab inimicis circumdato præsens adfueris: & quod te

invi-

invictam patientiam tibi contulit, ut æquo animo omnes tuas adversitates & afflictiones pertuleris: quodq; ea te mansvetudine ornavit, ut minimè de vindicta ob injuriam ab impiis Judæis tibi illatam cogitaveris: & quòd tam perfecta resignatione te munivit, ut te ad omnia adversa majora quæque perferenda DEO obtuleris.

Insuper gratias ago dilecto Filio tuo immensas, quòd, quantò majores amaritudines, te pati permisit in terris, tanto majora gaudia & præmia æterna tibi præparaverit & jam reddiderit in Cœlis; ubi expers omnium dolorum omnibus deliciis affluis, & vivis, vivesq; in æternū: at ego memor dolorū & tribulationum tuarū, quas pertulisti vivens in terris, sinè dolore vitam agere nolo.

PETITIO.

UT autem hoc experiar, quod desidero, te supplex obsecro per passionem amaram dulcissimi Filii tui, & afflictiones tuas, quibus anima tua Sanctissima in morte Unigeniti Filii tui repleta fuit, effice ut verè tibi compatiar, condoleam, tuamq; totam amaritudinem in corde meo sentiam. Fac, ut dolor ille, quem tunc passa es, sic nunc inhæreat visceribus meis, sicut inhæsit tuis. Vulnera, quæso, ô Domina mea cor meum, & in corde meo tuam & Filii tui renova passionem. Cōjunge cor tuum vulneratum cordi meo, ut tecum tuis vulneribus pariter vulnerer, & quocunq; pergam, semper tuo Filio videam te confixam. Tribue mihi, ô Mater, Filii tui vulnera, contumeliasque, irri-

irrisiones, & illa quæ in te sensisti, ut tibi, & Filio tuo saltem in vulneribus sociari valeã. Rumpe cor meum, ô MARIA, ut propria flagitia & peccata deplorem, quæ sola Filio tuo, & tibi, omnis calamitatis, pœnalitatis, & tristitiæ causa fuerunt: & in hoc aliquatenus jam meo satisfacies desiderio, si dolorum illorũ vulnera, quæ maternũ cor tuum sauciarũt, dolorem mihi intimum pro peccatis meis conferre mereantur. Hoc me, quæso, solatio refice, Virgo Benedicta, mihiq; apud Filium hoc tuis precibus & meritis obtine, ut eum non amplius ullo peccato offendam, eiq; per omnia placeam.

EXEMPLUM
Gaudii Nostri.
Quòd Beatissima Virgo sit Mater DEI.
COLLOQUIUM.

Commemoratio hujus ineffabilis ejus dignitatis. O Sanctissima Virgo DEI Genitrix MARIA, cui DEUS Omnipotens hanc eximiam & ineffabilem contulit dignitatem, quod sis Mater Filii DEI, propter quam solam universa beneficia, omnes singulares gratias, cunctas prærogativas tibi præstitit atq; te præclarissimis virtutibus ornavit, amplissimis donis cœlestibus dotavit, Divinis charismatibus cumulavit, ab originali & omni culpa præservavit, & puritatem plusquàm Angelorũ tibi donavit, tantamq; plenitudinem gratiæ & Sanctitatem contulit, ut omnes Sanctos simul sumptos, longè superares.

Admiratio. O miram & stupendam hanc tuam excel-

excellentiam, dulcissima Virgo quæ omnem electæ creaturæ altitudinem sublimitate tuæ dignitatis trāscendis: propter quam omne tibi curvatur genu, cœlestium, terrestrium & infernorum; propter quam data est tibi omnis potestas in cœlo & in terra; propter quam omnia in cœlis & in terris serviunt tibi, te omnes Spiritus Beati, Cœlites universi, cunctiq; mortales veri DEI, & tuæ tantæ dignitatis notitiam habentes, honorant, prædicant, magnificant, extollunt, amant, venerantur.

Accusatio sui. Ego solus homuncio miserrimus hucusq; non te, pro ut hæc tua altissima dignitas merebatur, honoravi: non magnifeci hanc tuam singularissimam excellentiam: non inde aliquâ perfundebar lætitiâ, nec tibi eam ex affectu cordis intimo gratulatus sum: neq; propter illam, & alia cuncta beneficia tibi Divinitus collata, gratias Domino DEO egi.

Confusio. Propterea confundor & erubesco, quòd ego, qui jacto frequenter me esse tuum servū; me ex Ordine tuo Sācto esse unū; me in numerū Filiorū tuorū esse cooptatū: nihilominùs parū moveor affectu gaudii & lætitiæ, de tuo tanto tamq; excellenti bono. Hinc patet, quàm modicum in me est erga te, mei amoris & pietatis, de quo nunc vehementer doleo, torqueor, & correctionem propono.

OBLATIO.

Seu actus Congratulationis.

Itaq; nunc ex affectu Angelorū, omniumq; Sanctorū, atq; servorū tuorū fideliū tuiq; amantissimo-

morū, gaudeo, tibiq; congratulor hunc Altissimū & superexcellentem Genitricis DEI honorem, & dignitatem

Exsecror nefariam Nestorii hæresim, quæ te hoc honore spoliare contendebat, & volebat, ut non Mater DEI, sed solius hominis; Christi dicereris: jā verò amplector orthodoxam Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ doctrinam quæ docet nos te esse, & debere dici veram Matrem DEI.

Confiteor itaq; & credo, & hanc ob causam gaudeo, tibiq; congratulor, ô Beatissima Virgo, quia es vera DEI Genitrix Virgo, & quia sicut Virgo ante partum fuisti, ita in partu Virgo, & post partū permanes Virgo.

Gaudeo, tibiq; congratulor hanc gloriam, & prærogativam singularem, quòd Filium unū eundemq; cum DEO Patre, merueris habere cōmunē.

Gaudeo tibiq; congratulor, quod per hanc dignitatem, præ omnibus Angelis & Sanctis, es DEO conjunctior atq; propinquior, cujus propinquitas ad DEUM, suppositâ electionis gratiâ, naturalis est, quia propinquitas Matris est.

Gaudeo, tibiq; congratulor extoto corde meo, quia cum esses parvula placuisti Altissimo, & de tuis visceribus genuisti DEUM & Hominem.

O si omnium mihi corda essent! O si omniū potens essē voluntatū, potentiarū & operationum! ô si cor ipse totus essem, non quantus sum, sed quātū est totū universū, vellem tibi sic gratulari, gratulari, inquam, te DEO, & DEUM tibi, te illi ancillam, illū tibi Filiū. O An-

O Ancilla Domini te, toto me, gratulor æterno DEO! ô Mater DEI, tibi, toto me gratulor Filiū DEUM.

Sed quantulum eſt hoc, quòd, toto me gratulor tibi? te potius, ô Virgo, Ancillā DEO, & DEUM Filiū tibi, gratulor illo ipſo DEO, cujus Mater es. Sit ergo ille gratulatio tua, qui factus eſt generatio tua, gloria tua.

Inſuper me corā te proſterno & cum profundiſſima reverentia tibi ut veræ Genitrici DEI cultum Hyperduliæ reddo: & cum quanta poſſum cordis mei ſubmiſſione, te honorare ſemper, prout omnes Spiritus Beati, Sanctiq; omnes, atq; homines tibi devoti, te honorant, honorarunt & honorabunt æternum, deſidero.

Gratiarum actio.

PRæterea ô dulciſſima DEI Genitrix Virgo, affectu cordis mei intimo, gratias ago Sanctiſſimæ TRINITATI, quæ te ad hanc excelsā dignitatem ſublimavit.

Gratias ago DEO Patri, qui non aliam Creaturā ſed te in Filii ſui Matrem elegit. Gratias ago Filio DEI, qui non ex alia Virgine, ſed ex te naſci voluit. Gratias ago Spiritui Sancto, qui non ex alterius hominis, ſed ex tuo puriſſimo ſangvine corpus Unigenito DEI Filio efformavit.

Laudo DEUM Patrem, qui Filium ſuum unicū fecit & tuum; unaq; noſtrum omnium Fratrem. Laudo DEUM Filium, qui te ſibi elegit in Matrē, ut per te ſe nobis exhiberet Salvatorem. Laudo DE-

DEUM Spiritũ S. qui hoc opus ineffabile, in utero tuo, virtute sua mirabili consummavit.

Magnifico & benedico Dominũ DEUM, quia ex eo, quòd te ut esses Mater DEI elegit, ad quandã infinitam dignitatem evexit, & omnibus illis donis & charismatibus, quæ tantam dignitatem & Majestatem decebant, ornavit.

Adoro & superexalto DEUM meũ, quia electa ab ipso in Matrem DEI, facta es Domina Angelorum: Regina Sanctorum Omniũ: Refugium & Advocata hominum miserorum.

PETITIO.

ET quoniam, ô Virgo Sanctissima, ideò facta es Mater DEI, ut etiam fieres Mater nostra, cui in persona Joannis Evangelistæ Filius tuus in cruce pendens nos peccatores commendavit: ideò rogo te per hunc dilecti Filii tui erga nos miseros singularem amorem, ut me quoq; recipias in numerum filiorum tuorum, & eorum quos in corde tuo habes prædilectos & impignoratos: quos jugiter foves, protegis, & in omnibus juxta beneplacitum Filii tui, dirigis, honestas, & perficis: & qui te vicissim singulariter amant, & colunt: qui te imitantur, & tibi in spiritu & veritate serviunt, & famulantur.

O MARIA, monstra te mihi esse Matrem. Suscipe me in tuam Maternam curam custodiam, & disciplinam: in gratiã & amorem; in patrocinium & tutelam Materni Cordis tui, tanquam Filiũ, quãvis indignissimum.

Accede in me filialem in te affectum, ô Benignissima! ut te Matrem meam ex corde diligam & colam: reconcilia me Filio tuo, ejusq; in me amorem & favorem semper conserva & auge: sis mihi, ô MARIA, pia semper Mediatrix apud Filium: sis de me tanquam de tuo filio sollicita: succurre erranti: deduc me in semitas justitiae: misericordes tuos Oculos ad me semper converte, & mihi in morte, ut pia Mater, occurre; ab hostibus me defende, & tecum ad cœlestem paradisum assume.

EXEMPLUM
Imitationis Virginis Sanctissimae, *In Humilitatis virtute.*

OMnes qui se profitentur servos esse, aut Filios Virginis Sanctissimae, conari debent ejus vitae sanctitatē & actiones atq; virtutes semper prae oculis habere, ac fideliter imitari: ipsa enim est, ut *S. Ambrosius testatur l. 2. de Virgin.* de cujus vita velut speculo refulget forma virtutis. Hinc, inquit, sumatis, licet, exempla vivendi, ubi, tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Quod certè nos Carmelitas, qui gloriamur Ordinis Beatissimae Virginis de monte Carmelo esse alumnos & filios, facere est necesse: qui modicum illud tempus, quod post matutinum restat, huic exercitio, seu considerationi virtutum Sanctissimae Virginis dedicare possumus, ut inde incitamenta ad imitationem ipsius, & per hoc insignem in via perfectionis progressum habeamus.

Possunt

Possunt autem Incipientes, qui sunt in via Purgativa, & qui pro exstirpandis vitiis laborant per actus cõtrariarum virtutum, meditationes instituere de septem virtutibus Beatissimæ virginis, secundum septenarium numerum Feriarũ, quod ipsos multùm juvabit ad septem vitia principalia eradicanda: videlicet, Feria secunda de Humilitate. Aliis diebus de Paupertate, Castitate, Abstinentia, Mansvetudine, & Diligentia.

Proficientes verò de illis virtutibus meditationes instituant, in quibus imitari Virginem Sanctissimã desiderant. Perfecti autem, quorum munus est vacare amori DEI, zelo honoris DEI, laudibus Divinis &c. eadẽ in Virgine Sanctiss: considerare possũt.

COLLOQUIUM.

Commemoratio Humilitatis B. Virg: MARIÆ.

O Virgo Sanctissima, gloriosissima, & omniũ pulchritudine virtutum ornata, quarum nitore, clementissimus splendidissimè DEUS te rutilare in mundo fecit, ut omnium virtutum absolutissimum exemplar nobis omnibus esses, ex quibus profundissimæ tuæ humilitatis virtutem ad considerandum nunc mihi propono. O quàm verè humillima fuisti, quæ te ipsam nihil semper æstimasti; & ideò quando tibi eminentissima Genitricis DEI delata fuerat dignitas, tu Ancillam Domini te nominasti, cujus officium est, facere quod ipsi à Domino fuerit imperatum. Et quæ contemni & vilipendi ab aliis desiderasti: & propterea dum nemo te in Bethleem hospitio recipere voluit, æquo & læto

animo illum contemptum tulisti. Et quæ laudari & honorari noluisti: & ideò ad laudes Gabrielis Archangeli turbata fuisti. Et quæ cunctas gratiæ & naturæ dotes soli DEO atribuisti: prout in tuo svavissimo cantico declarasti: dicens: Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus. Et quæ nulli te prætulisti: neminem contemptui habuisti: inferioribus libenter inservijsti, vilissima ministeria exercuisti: cum vilissimis hominibus & peccatoribus conversari non recusasti; & inconventibus ultimum locum tenere consvevisti. Sed quis omnes actus eximiæ, & perfectissimæ tuæ demissionis recensere valebit, qui tibi soli noti sunt, ô humillima Virgo?

Admiratio. O quàm stupenda & eximia hujus pretiosæ virtutis nobis exempla dedisti! ô quis servorum tuorum, & omnium Christianorum, hæc in animo perpendens ad imitandum te, & ad currendum post vestigia humillimæ Dominæ suæ, Cœli terræq; Reginæ non movebitur? Quis intuendo tãtam perfectionem tuæ humilitatis, qua multũ DEO Altissimo placuisti, & propter quam ad sublimissimæ fastigium dignitatis & meriti evehi meruisti, vel minimum gradum istius in humilitate perfectionis consequi non percupiat?

Accusatio sui. Fateor, quòd multi reperiuntur, sicut omnium præstantissimarum tuarum virtutum, ita humilitatis tuæ Sectatores. Ego, ego solus adeò piger sum, qui hactenus neq; curavi ob oculos mentis proponere mihi tuas virtutes sanctissimas,

nec

nec ullam mihi vim adhibui ad imitandum eas, & præcipuè virtutem tuæ humilitatis, à qua longè me esse profiteor: nec ullum vestigium similitudinis illius in me esse deprehendo. Quia ego me magni æstimo, minimũ contemptum tolerare nequeo: libẽter laudes humanas & æstimationem amplector: facilè aliis me præpono· verbo dicam, multa, quæ superbis sunt propria, & humilitati contraria facio.

Confusio. Propterea confundi & erubescere debeo: dum cerno te Dominam mundi, omnibus amplissimis donis & gratiis cœlestibus dotatam & splẽdoribus virtutum à DEO ornatam, pro acquirendis omnibus virtutibus multos labores pertulisse, & pro illis ferventissimas orationes ad DEUM fudisse, atq; in ipsis magna contentione sinè intermissione te exercuisse: ego autem in virtutibus pauperrimus cũ sim, nihilominùs pro his comparandis non laboro; præcipuè autem pro humilitatis virtute, quæ est acquisitu difficillima, & pro qua specialissimè Divinam Majestatem orare, illamq; sedulò exercere est me necesse.

OBLATIO.

Seu actus imitationis Beatissimæ Virginis & congratulationis.

SEd jam ab hinc firmissimè propono ob honorẽ tuum habere semper intentos mentis meæ oculos in tuam sanctissimam vitam, tanquam in vivum speculum sanctitatis, & omnium virtutum, volens eas imitari, potissimûm verò tuã profundissimam humilitatem, qua tu inter omnes Sanctos ex-

celluisti, cujus exemplo meipsum vilipendam & ab aliis vilipendi exopto.

Absit à me, ut ex donis naturæ & gratiæ à Divina benignitate acceptis, me præ aliis extollã & ab aliis laudes vanas & honores quærã, vel delatos amplectar.

Semper ignobiliora & viliora ministeria quærã, & si oblata fuerint cũ gaudio illa exercebo: omnibus quoq; ad in serviendũ præsertim infirmis & infimis servis tuis prompto animo me offeram, & de occasionibus ad hæc opportunis gaudebo.

Quantùm potero vestigia humilitatis, tuarumq; virtutum sequi semper conabor: de quibus mihi multùm complaceo, gaudeo, tibiq; intimo affectu gratulor.

Gaudeo, tibiq; congratulor summam perfectionem hujus nobilissimæ virtutis Humilitatis, qua omnes Sanctorum ordines superasti.

Gaudeo, tibiq; congratulor totam omnium virtutum universitatem, quam tibi liberalissimus Dominus DEUS contulit, ita, ut cum aliis Sanctis aliquas virtutes tantùm, tibi vero totam plenitudinem infuderit.

Gaudeo, tibiq; congratulor, quia tu facta es viva sanctitatis imago, domicilium omnium virtutum, armariũ perfectionis, forma probitatis, cœlestiũ gratiarum thesaurus, sacrarium donorũ Spiritus Sancti.

Gratiarum actio.

GRatias ago Domino DEO, qui Humilitatis & omnium virtutum infusarum animam tuam

am benedictam splendoribus ornavit, cumulavit, locupletavit.

Gratias ago Divinæ Majestati, quia te ad acquisitas tibi comparandas singulariter adjuvit, & pro illis acquirendis sua præveniente gratia te movit, & usq; ad culmen seu perfectionem illarum deduxit.

Gratias ago benignissimo Domino meo, qui pro meritis tuarum virtutum, amplissimam gloriam in Cœlo tibi contulit: præcipuè verò, qui te pro tua profundissima Humilitate, supra omnes Sanctos exaltavit.

PETITIO.

O MARIA Virgo Sanctissima, quæ tua Humilitate placuisti Altissimo, quam præ omnibus mulieribus te solam in Matrem elegit, cujus anima præ omnibus aliis virtutibus ornata erat: ecce ego jam firmo proposito in animo decrevi humilitatem tuam & alias virtutes imitari; sed tu scis infirmitatem meam: quia ego nihil boni agere possum, si tu intercessione tua non adjuveris me apud DEUM. Itaq; ad pedes tuos provolutus Sacratissimos te supplex oro, impetra mihi aliquos Humilitatis & omnium virtutum gradus, si non supremos, saltem infimos, ita tamen, ut festino procedēs passu ad summos valeam pervenire. Fac, ut agnoscā vilitatem & nihilitatem meam, mihiq; ipsi vilescā, & ab aliis vilipendi desiderem. Fac, ut vitam tuā Sanctissimam, tanquam omnis perfectionis imaginē, semper oculis mentis meæ inspiciam, & ad exemplar illius actiones vitæ meæ componam, ut per illas Domino DEO meo, tibiq; placeam.

CAPUT XXV.

EXEMPLUM Orationis.

De S. M. N. Theresiæ Patientia.

COLLOQUIUM.

O Dilecta JESU Domini nostri Sponsa Theresia! O electa Sāctæ Genitricis Dei MARIÆ Filia! ô felix Reformati Ordinis Mariani Antesignana! ô Virgo purissima, & Mater mystica multorum filiorum filiarumq; fæcundissima, quam Dominus DEUS dedit nobis pro lucidissimo sanctitatis, & heroicarum virtutū speculo, ut illud intueremur, & ad imitandum te provocaremur: in quo speculo, videre licet ardentissimam charitatem, profundissimam humilitatem, perfectissimam Obedientiam, Castitatem purissimam, Paupertatem exactissimam, Pœnitentiam rigidissimam, Patientiam Mansvetudinem, Zelum Honoris DEI, desiderium salutis animarum, & aliarum virtutum perfectionem absolutam.

Admiratio. O quàm præclara reliquisti nobis istarum virtutum omnium documenta & exempla; inter quas dum inexplebilem patiendi pro DEO sitim, & invictā in adversis, in afflictionibus, in infirmitatibus, in doloribus, in ariditatibus, in persecutionibus, in pœnitentiis, in mortificationibus tuam patientiam aliqui considerant, merito in admirationem plurimi rapiuntur, & ad sequelam concitantur

Accusatio sui. O quàm multùm dissimilis tibi sum, ô beata Mater nostra: quàm longè culpa mea

sum

ſum diſſitus à perfectione tuæ patientiæ, atq; tuarum virtutum, qui nihil pati in vita volo: omnia quæ ſunt ardua, quæ moleſta, quæ carni amara, ſubterfugio jam verò ubiq; commoditatem, quietē, & guſtum quæro, & hæc oblata libenter accepto.

Confuſio. Erubeſco quòd me degenerem tuum eſſe filium perſpicio, erubeſco, & doleo quod DEI beneficio vocationis ad Religionem per te reformatam non correſpōdeò in qua hujus Ordinis alumnos pœnitentiam, verbo & exemplo tuo docuiſti cujus hanc doctrinam ſalutarē nondum didici.

OBLATIO.

Seu actus imitationis & Congratulationis.

SEd jam deſidero & propono exemplar tuæ Sanctiſſimæ vitæ ſæpiùs intueri. Decerno tota animi contentione tuas heroicas actiones imitari. Statuo veſtigiis tuæ pœnitentiæ mortificationis, patientiæ, perfectionis omniumq; tuarum virtutum inſiſtere. De quibus gaudeo, mihiq; multùm in illis complaceo, tibiq; eas congratulor.

Gaudeo de tua eximia ſanctitate, ad quam à teneris annis aſpiraſti, eam ſemper toto ſtudio quæſiviſti, nec deſiiſti, donec ad ſummum pervenires.

Gaudeo, quòd amore DEI ſuccenſa nihil aliud, niſi ſemper pati pro DEO deſideraſti, & illis omnibus, quæ tibi ad patiendum cauſa fuerunt, mirum in modum te oblectaſti.

Gaudeo de tuo incredibili perfectionis deſiderio, & de illo ſublimiſſimo tuo voto faciēdi ſemper quidquid perfectiùs foret.

Gau-

Gaudeo de insigni tuorum meritorum cumulo, de omnibus gratiæ & naturæ donis, de omnibus innumeris beneficiis tibi à DEO collatis, & de gloria cœlesti, ad quam te prædilectus Sponsus tuus JESUS Christus Dominus noster evexit in Cœlis.

Gratiarum actio.

PRo quibus omnibus & singulis beneficiis & gratiis, gratias ago æternas Divinæ Majestati.

Sit infinities Benedictus DEUS, qui te prævenit in suis benedictionibus, ut eum ab infantia diligeres, & pro eo mundum & vitam contemneres, quã profundere pro ejus honore primá ætate voluisti.

Sit infinities benedictus, qui te, tota vita tua ab omni peccato lethali præservavit, in suam Sponsam elegit & multis cœlestibus donis atq; heroicis virtutibus ornavit, præsertim Charitate, Puritate, Humilitate, Obedientia, Mansvetudine, Patientia & aliis.

Sit infinities benedictus qui hunc Ordinem Beatissimæ Virginis MARIÆ per te instauravit qui te multorũ filiorũ & filiarũ Matrem effecit: qui te nobis pro speculo perfectionis dedit.

Sit infinities Benedictus JESUS Christus, qui tibi morienti inter Angelorum agmina astitit, teq; ad cœleste Regnum suum assumpsit, cui triplicem aureolam in Cœlis, fortissimorum Martyrum, purissimarum Virginum, & Sanctorum Confessorum donavit, cujus cor mellifluum, totius beatitudinis gazophylacium in augmentum gloriæ, gaudiorũq; tuorum tibi offero. PE-

PETITIO.

ET quoniam vivens in terris, quidquid petiisti à Domino nostro JESU Christo impetrasti; supplico tibi, ô Beatissima Mater nostra, per cor dilectissimi Sponsi tui Domini nostri JESU Christi, ut pro me misero peccatore, & indigno filio tuo semper eundem exorare, mihiq; ab eo patientiam, pœnitentiam, crucis portandæ desideriũ, præterea omnium peccatorum remissionem, vitæ emendationem, ab omni culpa mortali, & volũtaria veniali præservationem, vitiorum extinctionem, mortificationem passionum, charitatis perfectionem, tuarum virtutum imitationem, donum perseverantiæ finalis, bonam mortem, & vitam æternam impetrare velis. Adesto mihi semper, ô Mater benignissima, præsertim in hora mortis meæ. Ipsũ obitum meum diligentiùs tibi commendo: benignè me tunc consolare, conforta & protege. Effice tuis precibus & meritis, ut anima mea tota munda hinc exeat, & ad vitam æternam perveniat.

CAPUT XXVI.

EXEMPLUM

Orationis.

Ad quemlibet Sanctum.

COLLOQUIUM.

O Gloriosè N. Apostole Christi (vel Martyr: vel Conféssor: vel Sponsa Christi) qui ex tunc dum cognovisti, verùm DEUM Creatorem ac Redemptorem ac Dominum tuum, hoc unicè desiderasti, ut ei honorem, cultum debitum, & ve-

& veneratione redderes, & ipsius te servum fidelem profitereris: ut eū toto corde diligeres: laudares, benediceres: ejus mandata & voluntatē ac beneplacitū prompto animo faceres, quidquid verò displicet ei, omnēq; offensam ejus fugeres, ipsiq; vitæ sanctitate, cordis puritate, morū probitate, præterea cogitationibus Sanctis, irreprehensibilibus, verbis & bonis operibus, ac variarum exercitio virtutum placeres.

Admiratio. O quàm insignia reliquisti nobis exempla sanctitatis, & perfectionis, præsertim humilitatis, patientiæ, charitatis, pœnitentiæ, mansvetudinis abstinentiæ, silentii, vigilantiæ, resignationis, contemptus tui & mundi, abnegationis, & perfectæ mortificationis, atq; perennis orationis, & aliarum virtutum, quas multi mirantur, & ad imitandum te in illis inflammantur.

Accusatio sui. Ego autem quamvis inops & pauper sim in virtutibus sanctis; quamvis sciam nullam me habere virtutem; quamvis Humilitate, Charitate, Obedientia, Patientia, mansvetudine, & aliis virtutibus indigeā: nihilominùs piger sum ad imitationem tui in acquisitione istarum virtutum de quo me nūc arguo, & corā tota curia cœlesti accuso.

Confusio. Erubesco, ô felicissime incola Cœli, quòd cum sim naturæ similis, sicut & tu fuisti: videlicet, aptus ad benè vivendum, & agendum: cum inspirationes Divinæ & auxilia non desint mihi, quemadmodum & tibi non defuerūt: tamen in me hæc nullum fructum, culpâ meâ faciunt, sicut in te fecerunt: quia gratiæ DEI cooperari voluisti.

OBLA-

OBLATIO.

Seu actus imitationis & congratulationis.

VErùm jam excutere socordiam & inertiam conabor: jam propono exemplar tuæ sanctitatis perfectionis & omnium virtutum inspicere, tuaq; vestigia observare, atq; tibi in similitudine vitæ sanctæ me conformare. Statuo currere in odorem bonorum operum, & honestissimarum actionum tuarum, maximè tuæ humilitatis, obedientiæ, mansvetudinis, patientiæ &c. De quibus tanquam de meis & propriis gaudeo, mihiq; in illis complaceo, atq; tibi hæc congratulor.

Gaudeo præterea de omnibus bonis tuis tibi abũdantissimè à DEO collatis.

Gaudeo de tam sublimi omnium virtutum perfectione, quam adjuvante DEO, interris acquisivisti.

Gaudeo quòd te clementissimus DEUS ad hunc sanctitatis gradum tam excelsũ delegit, & perduxit.

Gaudeo de tua victoria, quam de mundo, carne, & diabolo reportasti.

Gaudeo de illa gloria quam habes in cœlo: de tua æterna felicitate, quã possides: de clara visione DEI, qua frueris: de tuis cœlestibus gaudiis, quibus affluis.

Gratiarum actio.

PRo quibus universis gratiis, donis, & beneficiis tibi à DEO collatis, infinitas, & immensas Divinæ Majestati gratias ago.

Laudo, & glorifico Dominum DEUM meum, quia tam liberaliter prævenit te in benedictionibus dulcedinis in terris, & quia gloria & honore coronavit te in cœlis. Lau-

Laudo, & benedico clementissimum DEUM, quia te ab æterno elegit sibi amicum; quia te prædestinavit, vocavit, justificavit, demùm glorificavit.

Laudo, & superexalto eum, qui te ad sanctè, justè pièq; vivendum, & amorem sui, ad rerũ terrenarum contemptum, ad acquisitionem omniũ virtutum, ad implenda sua mandata, & consilia amplectenda, sua præveniente gratia excitavit, & cõcomitante adjuvit, corroboravit, & perseverare in bono, & gratia sua ad finem fecit.

Laudo, & magnifico DEUM meum, qui te intercedentem pro nobis exaudit: qui propter orationes tuas nobis peccatoribus ignoscit: & qui furorem & indignationem contra nos in clementiam & benignitatem, ad supplicationes tuas, sæpè convertit.

PETITIO.

PRoinde & nunc quæso, ut pro me peccatore Divinam Majestatem exorare, mihiq; veniam peccatorum meorum & emendationem vitæ, veram cordis compunctionem, sinceram pœnitentiã, perennem abnegationem, mandatorum DEI, consiliorum, & voluntatis ejus, atq; meorum propositorum adimpletionem, perfectionis in altissimo gradu consecutionem impetrare velis. Præcipuè verò impetra mihi has virtutes N. N. istorum vitiorum N.N. eradicationem, passionum N.N. repressionẽ. Insuper effice tua intercessione ut semper in gratia & charitate DEI vivam & moriar.

CAPUT XXVII.

DE PRÆSENTIA D E I,

E X E M P L U M *Ora-*

Orationis continuæ, seu Præsentiæ DEI.

HAnc Orationem continuam cōmendat nobis Christus Dominus dicens: *Oportet semper orare, & non deficere, Luc:* 10. Et Paulos Apostolus: *Sine intermissione orate,* 1. *Thessal:* 5. & Regula Sācta nostra præcipit, *ut Religiosi nostri sint in lege Domini nocte & die meditatantes, & in orationibus vigilantes.* Cui continuæ orationi non aliter satisfacere possumus. quàm per continuam Præsentiam DEI, non physicam, sed moralem: hoc est, per frequentem memoriam DEI, & cogitationē de DEO, atq; crebras orationes jaculatorias.

Est Autem *Præsentiæ Divinæ multiplex utilitas:* nimirum; Quia in ea ratio vitæ spiritualis cōsistit. Quia est præcipuum consequendæ perfectionis, & contemplationis instrumentum. Quia nos à multis eripit imperfectionibus & peccatis, Quia est scutum, quo contra hostem malignum, ejusq; tentationes defendimur. Quia vitia per DEI Præsentiam exstirpamus, passiones effrænatas cohibemus, ad virtutes, & bona opera incitamur. Quia per eam vitam cœlestem in terris inchoamus, & degustamus.

Hæc Præsentia DEI nihil est aliud quàm Pia applicatio mentis & affectus ad DEUM.

Ad cujus rei meliorem notitiam: Sciendū quòd *duplex est Præsentia DEI. Una est,* per quā ipse nobis adest DEUS propter suam immensitatē. *Alia* est per quam nobis facimus præsentem DEUM, vel intellectualiter: vel imaginariè. Et ideò hæc *Præsentia DEI alia dicitur Imaginaria: alia intel-*

lectu-

lectualis. Imaginaria est, in qua per imaginationem rerum corporalium efformantur imagines, ut Christi Domini nostri. *Intellectualis est*, in qua sine ulla imagine, per intellectum cogitamus de DEO, videlicet ubiq; existentem DEUM, nobisq; adesse: & intimum esse. Et quamvis aliquando formemus imagines de DEO & Perfectionibus ejus: tamen hæc non dicitur Præsentia DEI Imaginaria, sed intellectualis, quia res purè intellectuales significant.

Utraq; consistit, primò in DEI vel Humanitatis Christi repræsẽtatione, seu cõsideratione, vel cogitatione: deinde in pia mentis & affectus ad DEUM vel Christum applicatione: seu in exercitio variorũ affectuum ad DEUM vel Christum Dominum: quod est potissimum in præsentia DEI. Et ideò Præsentia DEI à viris spiritualibus dicitur: Applicatio mentis & affectus ad DEUM. Illa pars prior potest vocari Præsentia DEI Repræsentativa. Hæc verò Affectiva. Et utraq; est necessaria: quia per Repræsentativam movemur ad Affectivam: priùs enim repræsentamus nobis Christum humilem: & sic movemur ad affectum imitationis ejus in humilitate. Vel priùs commemoramus nobis, cogitando, DEUM intimum & præsentem: vel Bonitatem aliasq; perfectiones ejus; & ita excitamur ad reverentiam, amorem & alios affectus erga eum.

Quæ autem præsentia DEI sit nobis utilior, an Intellectualis? an Imaginaria? unusquisq; per aliquod tempus, experientiam faciat, per quã Præsentiã

magis

magis illuminetur, inflammetur, & ad passiones mortificandas, ad virtutes acquirendas moveatur, & corroboretur. Sed multorum consilium est, ut Incipientes Imaginaria Præsentia DEI magis utantur, quam Intellectuali. Quòd si aliquis perfectas imagines formare nequit, non ideò Imaginariam Præsentiam relinquere debet: quia sufficiet ipsi etiam imperfecta imago. Licet quoq; unicuiq; una eademq; die, vel diversis diebus partim Intellectuali Præsentia, partim Imaginaria uti. Non enim debemus constringere animam nostram, ut semper uni modo alligetur.

Et quamvis contingat, quod aliquando de rebus creatis cogitemus, vel formando imagines, ut de Beatissima virgine, & aliis Sanctis, de cœlo, inferno, de morte &c. vel sinè imaginibus, ut de Angelis, de Divina gratia, de charitatis excellentia &c. nihilominùs talis Cogitatio, licet non sit de DEO, tamen dicitur Præsentia DEI: quia per eam anima ad Deum sustollitur, ut cum ipso uniatur.

CAPUT XXVIII.

De Præsentia DEI Intellectuali,

Praxis Præsentiæ DEI Intellectualis pro Incicipientibus.

QUia Incipientium est munus peccata detestari: & Præsentia DEI Intellectualis est, quando per intellectum cogitamus de DEO, quod sit ubiq; existens & nobis intimus: ideò præmisso actu fidei debent hic incipientes exercere actus contritionis hoc modo.

O Beata TRINITAS unus DEUS, credo & cõfiteor te mihi intimũ & præsentissimũ esse ideò affectu omnium Angelorum & Sanctorum & Justorum te adoro, laudo, & benedico: te amo super omnia, ex amore tui de omnibus peccatis meis etiam minimis doleo; nec amplius te offendere volo; & veniam ac emendationem à te spero.

Heu me miserum, qui non erubui in tuo conspectu peccare! quomodo nunc sinè pudore apparebo conspectui tuo?

Verè non sum dignus levare oculos meos sursùm ad cœlum: quia oculos tuos mundissimos sæpissimè offendi: ideò percutiens pectus meũm cum publicano dicam: DEUS propitius esto mihi peccatori.

O Pater amantissimè, peccavi in cœlum & corã te, & longè recessi à te: verè non sum dignus vocari filius tuus, fac me, obsecro, sicut unum de mercenariis tuis.

O DEUS meus, tibi soli peccavi, & malũ coram te feci, cujus rei me nunc pœnitet ob amorem tuum.

Agnosco, Domine, & gemens confiteor, ac defleo summam malitiam meam, per quam tuam infinitam Majestatem, Sapientiam, Æquitatem, Bonitatem, & Charitatem supra modum offendi, inhonoravi, & vilipendi.

Equidem propter hæc, ex puro, & cordiali amore, quem tibi Creatori & DEO meo debeo, quantùm possũ doleo, & magis ac magis dolere desidero.

Desidero habere omnem, omnium verè pœnitentium,

tium, qui tibi Domino meo, per suam pœnitentiam placuerunt, dolorem & contritionem.

Propono per gratiam tuam millies mori, quàm te vel levissimè offendere.

O DEUS meus, recipe me ad te redeuntem, & non permittas me amplius per aliquod peccatum à te infinito bono recedere.

Bonum quoq; esset sæpiùs ex Psal: 50. decem versus ore, vel corde proferre: videlicet versum 1. 2. 3. 4. 5. 8. 10. 11. 12. 18.

Isti actus vocantur *Orationes Jaculatoriæ* quibus ad cor Divinum jaculamur seu *Actus anagogici*, quibus ad superna levamur, & ad unionem cũ DEO evehimur: vocantur *Aspirationes*, seu pia cordis desideria, per quæ aspiramus ad DEUM; & per quæ, sicut vita corporis àëris aspiratione, sic fervor charitatis sustinetur: quæ aspirationes facili modo secundum triplex tempus, Præsens, Præteritum & Futurum exerceri possunt. Et nè mens nostra fastidium concipiat, una res variis nominibus idem significantibus efferatur: ut, Diligo te, fortitudo mea: volo tibi omnia tua, ô virtus mea: complaceo mihi in te, omne bonum meum.

Et: doleo propter amorem tuum, DEUS meus, de omnibus peccatis meis. Pœnitet me ex amore tui, quòd unquam offenderim te abominor propter te omnia delicta mea. Detestor omnem prævaricationem mandatorum tuorum; quia est infinita offensa tua. Displicet mihi valdè transgressio legis tuæ Divinæ; quia tibi displicet.

Et: volo Domine obedire tibi. Statuo ſervare omnia præcepta tua. Nolo unquam recedere à mandatis tuis. Cuſtodiam legẽ tuam ſemper.

Vel unius virtutis varii actus poſſunt afferri: ut Humilitatis. O DEUS meus, propter id quod ſum, viliſſimum inter omnes creaturas, & omni contemptu digniſſimum me reputo. Deſidero, ut omnes hoc idem de me ſentiant. Cupio ut me omnes deſpiciant, & exprobrent indignitatẽ meam. Volo omnem contemptũ mei, irriſionem, & vilipenſionẽ patienter ferre, immò lætabor de omni contemptu & deſpectu, atq; contemptores amabo.

PRAXIS ASPIRATIONUM
pro Incipientibus,

Qui utuntur Præſentia DEI intellectuali, his ejuſmodi aſpirationes maximè commendantur.

In tempore præſenti.

O Sanctiſſima TRINITAS unus DEUS, quẽ ego mihi præſentiſſimum multis ſceleribus offendi, de quo nũc doleo ex toto corde meo, propter purum amorem tuum.

Pœnitet me, ex amore tui, in oculis tuis in te peccaſſe.

Deteſtor hanc impudentiam meam, quia eſt infinita offenſa tua, eò quòd non erubuerim coram te, tam multa, & tam enormia delicta perpetrare.

Exſecror univerſas iniquitates meas, ô Domine DEUS meus; quia ſunt tuæ infinitæ Æquitati, Puritati, & Pulchritudini contraria.

Abominor tam perverſam audaciam meam, quòd pecca-

peccando offenderim, & ad iram concitaverim te ſummè bonum, & amabilem Dominum,ac DEUM meum.

In præterito. Utinam nunquam præſentiam tuam Divinam peccando inhonoraſſem. Utinam nunquam te, atq; tuos oculos puriſſimos offendiſsē!

O utinam nunquam tuæ Divinæ Majeſtati diſplicuiſſem?

O utinam nullo delicto tuam Bonitatem infinitã læſiſſem? utinam priùs occubuiſſem,quàm peccaſsē!

In futuro. O ſi jam abhinc nullo, etiam leviſſimo peccato, te offendam!

O ſi, nunquam aliquid, quòd tibi diſplicet Domino meo committam!

O quando in cœlum, & coram te non peccabo,

O quando ſervabo perfectè mandata tua?

O quando in nullo transgrediar legem tuam?

O Domine adjuva me, ut non peccem tibi.

Ecce ego malo mori, quàm tibi peccare, & malum coram te facere: & hoc deſiderium cupio toties renovare quot ſunt momenta in tota æternitate.

Praxis Præſentiæ DEI Intellectualis ſerviens Proficientibus.

PRoficientes illi dicuntur, qui poſt planctum & pœnitentiam pro peccatis ſuis, acquirendis vacant virtutibus, ad quarum exercitium ſumere debent motiva ex ipſomet DEO Trino & Uno, qui nos creavit ad imaginem,& ſimilitudinem ſuã, quæ ſunt diligenter conſervanda. Et imago quidē DEI, quæ conſiſtit in ipſa natura ſpirituali, & intel-

intellectuali animae nostræ, semper à DEO conservatur. Similitudinem verò DEI, quæ in cunctarum virtutum possessione consistit, conservare debet homo, & conari, ut pro viribus suis per virtutes similis fiat DEO: Nam sicut DEUS Creator: *ut ait Sanctus Ambrosius lib: de Parad: Cap.* 3. est charitas, est bonus & justus, patiens atq; mitis, mundus & misericors, & omnium virtutum splendore & totius bonitatis decore ornatus! ita homo creatus est, ut charitatem haberet & bonus esset, & justus, ut patiens atq; mitis, & mundus & misericors, foret. Quas virtutes quantò plùs quisq; in se habet, tantò plùs propius est DEO, & majorem sui Conditoris gerit similitudinem.

Hoc idem monet nos DEUS, Levit: 11. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Et quia *hæc sanctitas nihil est aliud, nisi omnium virtutum universitas.* dum DEUS vult, & jubet nos esse sanctos, vult, & jubet nos debere esse, ad exemplar ipsius omnibus virtutibus ornatos. Habemus igitur ex ipso DEO Trino & Uno egregia motiva, & exempla, ad exercitium & cultum omniū virtutum.

Praxis Aspirationum.

IN *tempore Præsenti.* O DEUS meus, quia tu vis ut in sanctitate & justitia serviamus tibi omnibus diebus nostris: O si ita sanctus & justus essem, sicut tu Sanctus & justus es Domine: prout & ego vehementer cupio.

O Creator mi superpotentissime, qui me creasti ad imaginem & similitudinem tuam, ut sicut tu es purissi-

purissimus Spiritus, ita & anima mea condita sit spiritus. O si jam non secundum carnem, sed secũdum spiritum viverem, & spiritu facta carnis mortificarem, sicut ex amore tui desidero!

O si perfectam spiritus libertatem acquirerem, ut amplius desideriis carnis inordinatis non servirem!

O Pater benignissime, quem quotidie Patrem meum voco, utinam tibi in bonitate similis essem!

O si cunctis virtutibus ornarer, ut per eas similitudinem tui conditoris mei gererem, tibiq; quam maximè placerem.

In præterito. O DEUS meus, tu es Exemplar omnis puritatis & sanctitatis, utinam hoc exemplar semper inspexissem, & ad illud vitam meam efformassem!

O Pater noster, qui es in cœlis, utinam nomen tuum sanctè, & justè, & piè vivendo sanctificassem!

O utinam conversatio mea semper fuisset in cœlis!

Utinam pridem mundum, & terrena immò & meipsum verè contempsissem!

Utinam sicut homines avari divitiis inhiant, & illis congregandis diu noctuq; incumbunt: ita & ego semper fecissem in virtutibus acquirendis, ut tibi per hoc placuissem!

In futuro. O utinam sim imago quædam tua, in qua virtutum tuarum similitudo expressa videatur.

Utinam moribus & actibus virtutum à tui similitudine nunquam dissentiam!

O quando tibi, Domine DEUS meus, gustum dabo, adimplendo illam tuam voluntatem, & manda-

datum, quo præcipis: Sancti estote; sicut & ego sanctus sum?

Quādo sicut tu es charitas, & bonus, & justus, patiēs atq; mitis, mundus & misericors, & omniū virtutū decore ornatus, ita & ego in his similis tibi sim?

O DEUS meus largitor omnium bonorum & virtutum, fac mecum secundum misericordiam tuā; ut sicut me ad similitudinem tuam creasti, ita similem tibi per omnes virtutes efficias.

Quodsi aliquis velit unius tantum virtutis actus exercere, procuret primò aliquod motivum ex ipso DEO ad illam virtutem habere: ut ad Humilitatem. O DEUS meus, qui humilia respicis in cœlo & in terra, ut me benignè aspicias oculis misericordiæ tuæ humilis esse percupio: sicut & nunc coram te vilipendi desidero. *Addat alios actus humilitatis per varias aspirationes exprimendos.*

Ad Obedientiam. O Clementissime DEUS meus, cui magis placet obedientia, quàm victima: ideò ut tibi placeam, obedientiæ virtutem colere summo studio conabor.

Ad Mansvetudinem. O DEUS meus, qui exaltas mansvetos in salutem: ex amore tui, masvetudinem amplecti volo.

Ad Patientiam. Domine DEUS meus, patiens & multæ misericordiæ, exemplo tuo patientiam in omnibus adversis tenere statuo.

Eodem modo ad varias virtutes in Scriptura Sacra motiva de DEO plurima reperiuntur.

CA-

CAPUT XXIX.

DE PRÆSENTIA DEI IMAGINARIA,

Praxis Præſentiæ DEI Imaginariæ.

PRæſentia DEI Imaginaria dicitur illa, in qua formamus nobis imaginem Chriſti: Et ideò uſu communi, jam receptum eſt in Religione noſtra, *ut die Dominico* repræſentemus nobis, in imagine per imaginationem à nobis efformata, Chriſtum Dominum natum in ſtabulo, poſitum in præſepio. *Vel in Quadrageſimâ* Chriſtum Dominum in cruce pendentem. *Vel tempore Paſchali* ipſius Reſurrectionem.

Fer: 2. Chriſtum Dominum pedes Apoſtolorū lavantem.

Fer: 3. Chriſtum Dominum in horto orantem.

Fer: 4. Chriſtum Dominum flagellatum.

Fer: 5. Chriſtum Dominum ſpinis coronatum.

Fer: 6. Chriſtum Dominum crucem bajulantem, vel cruci affixum.

Sabb: Chriſtum Dominum de cruce depoſitum, & Virginem Sanctiſſimam ſuper eum plangentem.

Incipientes, qui ſunt in via Purgativa, ejuſmodi Præſentia debent commoveri ad contritionem, ad pœnitentiam, ad mortificandas paſſiones & ad vitia exſtirpanda: *quorum omnium habentur Actus Parte 2. Hebdom:* 1. Verùm & hic ponuntur breves Contritionis actus. Imprimis *pro die Dominico*.

O amantiſſime JESU, qui ex M. V. in ſtabulo natus, & in vili præſepio reclinatus multa in commoda pertuliſti, atq; lacrymas pijſſimas pro nobis effu-

effudisti: annon meritò & ego plangere & dolere debeo, quòd tam multis & gravibus peccatis te DEUM meum infinitè amabilem offenderim?

Pro Fer: 2. O Benignissime JESU, qui pro superbia nostra, quæ est omnium vitiorum caput, fons & origo, te profundè humiliasti, dum pedes discipulorum tuorum lavisti, ideò nunc, ex amore tui, detestor omnem superbiam, & omnia scelera mea, quibus te DEUM meum infinitè bonum offendi.

Pro Fer: 3. O clementissime JESU, qui cernens enormia peccata mea, & totius mundi, & simul mortem crudelissimam atq; acerbissima tormenta, quæ tibi parata fuerunt, sangvineum sudorem ex toto corpore effudisti; propterea lacrymas cordis nunc effundo pro peccatis meis, quibus tantarum pœnarũ tuarum ego causam dedi.

Pro Fer: 4. O Dulcissime JESU, qui pro peccatis nostris crudelissimê flagellis cæsus fuisti: propterea nunc omnia peccata mea, ob amorem tuũ, detestor.

Pro Fer: 5. O dilectissime JESU, qui spinis acutis pro nobis coronatus fuisti: Heu me miserum, qui toties te Dominum meum spinis coronavi, quoties peccavi, propter quod, ex puro amore tui, quẽ tibi Creatori, & Redemptori meo debeo quantùm possum doleo.

Pro Fer: 6. O Svavissime JESU, qui portans crucem ponderosam, sub ejus pondere aliquoties in terrã corruisti: verũ non tam illud crucis lignũ, quã peccata mea gravia tibi fuerunt, sub quorum onere in

in terram cecidisti: pœnitet me nunc ex corde aliquando in te peccasse.

Pro die Sabb: O Sanctissima Virgo DEI Genitrix MARIA, quæ ob mortem dilecti Filii tui, & ob amaram passionem ejus, maximos dolores pertulisti, quorum dolorum ego causa fui: quia & morti crudelissimæ Unigeniti Filii tui per mea peccata causa fui, de quibus nunc multùm doleo, ob amorē Filii tui veri DEI.

His actibus contritionis pro singulis Feriis hic positis addantur aspirationes ut suprà pag: 244. Et alii actus contritionis ut pag: 242.

Tempore Paschali Facta repræsentatione Christi resurgentis pro Præsentia DEI, motivum ad contritionem habere possumus ex eo, quia hic Christus, qui resurrexit à mortuis, priùs mortuus est in cruce pro peccatis nostris.

Tempore Ascensionis Domini: quia januā cœli nobis reseravit, quam peccata nostra clauserant.

Temporè Spiritus Sancti missionis: quia Spiritū S. in terras misit, ut nos emundaret à peccatis nostris.

Praxis Imaginariæ Præsentiæ DEI serviens Proficientibus.

PRoficientes Præsentiā Christi Domini Imaginariâ uti debent, ut alliciantur ad eum imitandum in virtutibus sanctis. Et ideò volentes exercere se in Humilitate, Obedientia, Patientia, Mansvetudine & aliis, proponant sibi Christum humilem, obedientem, mansvetum, patientem &c.

Sicut

Sicut die Dominico pro Præsentia DEI Imaginaria proponimus nobis Christum Dominum in stabulo natum, & in præsepio reclinatum, ubi Christus dedit nobis præclara multarum virtutum exẽpla; ut, contemptus mundi, humilitatis, paupertatis, patientiæ, mansvetudinis, silentii &c. in quibus virtutibus unusquisq; juxta necessitatem suam Christum Dominum conabitur imitari.

Et *Fer:* 2. Proponimus nobis Christũ Dominũ pedes discipulorum lavantem, quo actu dedit nobis exemplum humilitatis, patientiæ, modestiæ, paupertatis &c.

Eodem modo in aliis Feriis proponimus nobis Christum Dominum varias exercentem virtutes, in quibus ad eum imitandum exemplo ipsius provocari debemus.

Exemplum pro omnibus Feriis.

Die Dominico. O amantissime JESU, qui in stabulo natus.

Fer: 2. O benignissime JESU, qui pedes discipulorum tuorum lavando.

Fer: 3. O clementissime JESU, qui in horto orans ante passionem tuam.

Fer: 4. O dilectissime JESU, qui in flagellatione tua.

Fer: 5. O dulcissime JESU, qui in coronatione tua crudeli.

Fer: 6. Qui crucem ignominiosam portando.

Sabb: O MARIA DEI Genitrix V. quæ in tuis summis doloribus, *dedisti nobis exemplum humilitatis patientiæ & aliarũ virtutũ.* Itaq;

Itaq; & ego ex amore tui exemplo tuo humilitatis, patientiæ &c. virtutem diligenter exercere desidero.

Possunt & alii affectus hic exerceri, videlicet: *Admirationis de Bonitate Christi.* O admirandã tuam Bonitatem, per quam nostræ salutis causa istas virtutes exercuisti, ut nos ad imitationem tui alliceres: ideò prompto animo te Dominum meum in virtute humilitatis, patientiæ &c. imitari conabor.

Accusationis sui. Heu me miserũ, qui modicam aut potiùs nullam curam in his virtutibus acquirendis hactenus adhibui! verùm abhinc, ob exemplum tuum, illis exercendis operam dabo.

Admirationis de nostra malitia. O quanta mea malitia & ingratitudo! eò quòd ego per viam vitiorum adversam tibi incedo, quam tanquam perversam jam deserere, & viam tuarum virtutum currere statuo.

Confusionis, O me impudentem hominem! qui sciens te Dominum altissimæ Majestatis mei causâ factum esse humilem, patientem &c. ego nihilominùs sum superbus, impatiens &c. sed jam vestigia tuarum virtutum sequi decerno.

Reprehensionis. Quia ego in his virtutibus tecũ per imitationem non convenio, meritò me arguo & reprehendo,& ut tibi per has virtutes placeã, earũ exercitium amplecti statuo.

Expostulationis. O quanta mala, quanta animæ meæ damna facio, dum harum virtutum cultum negligo,

gligo, fine quibus salvari nequeo! sed non propter damna evitanda, verùm ob amorem tuum eas exercere conabor.

Exsecrationis. Propterea exsecror meam superbiam, impatientiam &c. ut pote tuæ humilitati, patientiæ &c. contrariam tibiq; displicentem.

Odii. Ideò displicet mihi superbia, impatientia &c. abominor, & summo odio habeò illam; jam verò placet mihi virtus humilitatis & patientiæ &c. in quibus te imitari laborabo.

Doloris. Doleo, quòd multoties per superbiam, impatientiam &c. tuam infinitam bonitatem offendi, & offensam tuam, per humilitatem, patientiam &c. compensare volo.

Quibus singulis affectibus aspirationes interponantur sequentes.

In tempore Præsenti.

O S jam, sicut propter te, dulcissime JESU, percupio, ita tuo Divino adjutus auxilio humilis, patiens &c. essem!

O si jam perfectè superbiam, impatientiam &c. quæ tibi displicent, exstirparem, prout maximè exopto!

O si jam aliqua similitudo tuarum istarum virtutum, quarum exemplar nobis reliquisti, in me appareret!

In præterito. O utinam semper oculos meæ mentis in tuam humilitatem, patientiam &c. intentos habuissem, ut me ad imitationem tui excitassem.

Utinam in istis virtutibus exercendis omnem diligentiam pridem adhibuissem! Uti-

Utinam istarum virtutum splendore animam meā exornassem, tibiq; Domino meo per hoc placuissē!

In futuro. O si jam incipiam, diligenter in exercitium humilitatis, patientiæ &c. incumbere! ô quādo id fiet? ô quando curram in odorem virtutū tuarum, & me verùm tui imitatorem exhibebo?

O quid moror? Quare in dies & horas istud negotium salutare differre non timeo.

Cur dum tempus habeo non operor bonum?

Cur non vereor, nè insuperveniens insperata mors abrumpat filum meæ vitæ, & mihi omnem facultem rectè agendi auferat?

O bone DEUS, sinè cujus gratia speciali nihil boni facere, immò nec cogitare quidem valeo: fac me istas virtutes exemplo tuo diligenter exercere, in illis proficere, & ad illarū perfectionē pervenire.

Possunt etiam cum magno fructu animæ istiusmodi actus identidem exerceri. O humillime JESU: vel, ô mansvetissime JESU &c. da mihi humilitatem veram: ecce ego amore tui, & exemplo tuo humilis esse volo: vel, patiens esse volo. *Addendo aspirationes.* O utinam jam humilis essē! O quando id fiet? quando humilis ero? ô JESU exaudi me: adjuva, & comple desiderium meum. *Eodem modo ad B. Virginem dirigere actus similes valemus.* O humillima DEI-Genitrix Virgo MARIA, impetra mihi humilitatem: ecce ego amore tui humilis esse exopto.

Qui verò desiderant & volunt continuā Præsentiam DEI, seu orationem continuam habere; quia

quia Actualis ejusmodi oratio haberi nequit, at virtualis potest optimè esse faciendo pactum cum Domino D E O, cujus pacti exempla habentur Par: 2. pag: 240.

Præsentia DEI Imaginaria, diversis temporibus accommodata.

T*Empore Adventus* pro Pæsentia DEI erit Beatissima Virgo, & Archangelus Gabriel sibi Annuntians Incarnationis mysterium. *Hinc actus imitationis.* O MARIA Virgo purissima, quam Unigenitus DEI Filius in Matrem suam elegit, cujus Anima omnibus virtutibus ornata erat: videlicet, charitate: puritate, humilitate &c. ego quoq; amore tui tuoq; exemplo humilitatem &c. amplecti & diligenter colere volo.

Tempore nativitatis Domini pro Præsētia DEI haberi potest Christus Dominus infans in stabulo natus & in præsepio reclinatus, ubi multarum virtutum exemplum nobis dedit. *Actus imitationis habetur suprà pag: 75.* Hac Præsentia DEI uti valemus ad Festum Purificationis: quia etiam Christus tam diu ibi mansit.

Tempore Paschali erit Christus Dominus resurgens. *Actus imitationis.* O JESU dulcissime, qui in glorioso corpore resurrexisti à mortuis quam gloriam Corporis tui per tuam passionem, humilitatem, obedientiam, patientiam acquisivisti: gaudeo de illa tua ineffabili gloria & te in virtutibus istis, quarum exemplar nobis reliquisti, imitari decerno.

Tēpore Ascensionis Domini erit Christ9 Dominus ascen-

ascendens in cœlum. *Actus imitationis potest esse,* prout in Resurrectione ipsius.

Tempore Pentecostes erit Spiritus Sanctus in specie columbæ. *Actus virtutū.* Spiritus Sancte DEUS, quem Christus Dominus misit in hunc mundum, ut nos doceres omnem veritatem & virtutes, quarum exemplum nobis reliquit, te supplex rogo, doce me Christi humilitatem, obedientiam, mansvetudinem &c. inquibus eum imitari desidero.

Actus varii Sanctorum pro Præsentia DEI,

QUod si alicui placuerit imitari alios Sanctos, qui multos actus anagogicos in die faciebant: ideò hic recensentur aliquorum exercitia.

S. Thais peccatrix à Paphnutio edocta sic sæpissimè orabat: Qui plasmasti me miserere mei.

Macarius Abbas: Domine sicut vis, & scis miserere mei.

Antiqui Anachoretæ: DEUS in adjutoriū meum intende. *Quæ oratio multùm commendatur.*

Sanctus Franciscus tota nocte sic orabat: DEUS meus, & omnia.

S. Gertrudis 365. vicibus hanc orationem quam ab ipso Christo didicit, intra unū diem repetiit: Non mea, sed tua voluntas fiat, ô amantissime JESU.

Eadem in die Ascensionis Domini 225. vicibus (tot enim sunt compages in corpore nostro) hunc versiculum recitavit: Ave JESU, Sponse floride, in jubilo, quo ascendisti, te saluto, & collaudo.

Eadem obedientiam exercendo dicebat: Offero tibi cor meum Domine JESU in laudem æternam, ad perficiendum corpore & anima omne beneplacitum tuum. *Et cum sic oraret coram imagine Crucifixi, ab ipso Christo ex imagine salutata, & vulneri lateris admota fuit.*

Eadem ante festum Ascensionis Christi 5466. vicibus recitavit hanc orationem. Gloria tibi, svavissima, dulcissima, benignissima, nobilissima imperialis, excellentissima, fulgida semperq; tranquilla TRINITAS, pro roseis vulneribus mei unicè electi amatoris. *Sic oranti apparuit JESUS, illamq; salutans, & se illi in morte adfuturũ promittens. Dixit etiam, se illius, & eorum, à quibus ita salutabitur, peccata & negligentias abstersurum.*

S. Mechtildis cum Dominica Quinquagesimæ vellet aliquid facere pro tot peccatis mortalium, jussa est à Christo Domino hanc oratiunculã Jaculatoriã 350. vicibus dicere. Tibi laus; tibi gloria, tibi gratiarũ actio, in sempiterna sæcula.

Eandem docuit Christus, ut orans ita diceret, aliosq; doceret: JESU bone, laudo te; & quidquid minus est in me, rogo, ut suppleas pro me, JESU bone, amo te; & quidquid minus est in me, rogo, ut cordis tui amorem DEO Patri offeras pro me.

S. Aldegundis V. post tentationem superatam sic oravit: DEUS meus concede mihi, ut in amore tuo permaneam usq; in finem. *Cui Dominus annuit, ac est pollicitus, quod petebat.*

S. Dun-

S. Dunſtanum Angelus ſic orare docuit: O Rex Gentium Dominator omnium, propter ſedem Majeſtatis tuæ, da nobis indulgentiam, Rex Chriſte, peccatorum, Alleluja.

S. Franciſcus ſæpè utebatur hac oratione: Sit benedictum Nomen D.N. JESU Chriſti, ſacrata ejus paſſio, Sanctiſſima Virgo, quæ illũ peperit, cum cœleſti curia univerſa.

S.M.N. Thereſia morti proximâ hæc verba ſæpiùs repetebat: Nè proiicias me à facie tua: & Spiritum Sanctum tuum nè auferas à me.

Eadem ſvadebat, ut nos 50. vicibus in die offerremus DEO: quod poteſt fieri per iſtum reſignationis actum: O Dominus & DEUS meus, me totum tibi offero in omne beneplacitum tuum: Fiat voluntas tua.

Aliqui hos actus multùm commendant: DEO gratias: *quâ oratione nulla brevior, nulla DEO acceptior.*

Et: DEUS propitius eſto mihi peccatori.

Quod omnes, ſicut omnes, propter quod omnes; hoc & ego amore tui, DEUS meus.

Quod tuus infinitus amor, nunc & in tota æternitate, à me & quibuſcunq; aliis factum eſſe optaret, id ego nunc, & per totam æternitatem facere, propter te Domine DEUS meus, vellem.

O Beata TRINITAS unus DEUS, confiteor te mihi præſentiſſimum & intimum eſſe: & ideò affectu omnium Angelorum & Sanctorum atq; Juſtorum te adoro, laudo, veneror & exalto: in te cre-

do & ſpero: te amo ſuper omnia, & ex amore tui de omnibus peccatis meis, etiam minimis, doleo, ampliùs te offendere nolo: O ſi nunquam te offendiſſem! veniam tamen, & emendationem, vitamq; æternam à te ſpero: & me totum in omne tuũ beneplacitum offero. O Sancta TRINITAS miſerere mei, ſicut potes, ſcis & vis propter te. *Et iſte actus ſæpiùs eſt repetendus in vita & in morte.*

O DEUS meus, utinam te omnes homines cognoſcant, laudent & ament, æſtiment, revereantur, deſiderent, tuamq; voluntatem ſicut in cœlo, ita & in terra faciant! utinam nullus hominum te offendat!

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio &c.

Sanctus DEUS, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis.

Benedictus DEUS in æternum.

Domine DEUS da ſcire, velle facere, quidquid, quomodo, quia tibi placet.

Pro Feſtivitatibus B. Virginis Præſentia DEI.

IN *Feſto Immaculatæ Conceptionis, & Nativitatis B.V.* poteſt efformari imago ejus prout Immaculata Concepta depingitur, ſub forma pulcherrimæ parvæ puellæ: Et quoniam in Conceptione ipſius contulit ei DEUS ineffabilem puritatem, & animam ejus omnium virtutum infuſarum ſplendore ornavit, quas poſtea in lucem edita exercuit: ideò tam ex Conceptione, quàm ex Nativitate illi-

us,

us, ad omnes virtutes exercẽdas motivum habere possumus.

Actus imitationis. O purissima Virgo, cui Dominus DEUS in tua Conceptione Immaculata, ineffabilem contulit puritatem, & tuam Animam omnium virtutum splendoribus ornavit, de quo gaudeo; & te in cunctis virtutibus præsertim in humilitate &c. imitari percupio & statuo.

In Festo Præsẽtationis, Anũntiationis, Visitationis, Purificationis, Assumptionis. B.V. eo modo per imaginationẽ efformẽtur imagines ipsius, sicut depingi solent: ut unusquisquè juxta arbitriũ suum, has vel illas virtutes ejus ad imitationẽ sibi proponat.

In his Festivitatibus, & aliis diebus quibuscunq; bonum erit hos actus exercere: videlicet, quàm sæpissimè illam salutatione Angelica salutare: præsertim ad sonitũ horologii in egressu è cella, & in ingressu ad cellam: transeundo imaginem illius: ante quodlibet opus, & finito opere &c. Nam suprà hanc salutationem nulla alia est, ipsi magis grata, prout S. Mechtildi Beata Virgo revelavit.

Et: MARIA Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege & hora mortis suscipe.

JESU tibi sit gloria qui natus es de Virgine MARIA, cum Patre almo Spiritu, in sempiterna sæcula.

Ave Filia DEI Patris. Ave Mater Filii DEI: Ave Sponsa Spiritus S. Ave Templum Sanctissimæ TRINITATIS.

O MARIA Mater DEI: memor esto precor, mei: nunc & in hora obitus mei.

 O

O Mater admirabilis: Consolatrix afflictorum: Regina Sanctorum omnium, ora pro nobis.

JESUS MARIA sit nobiscum semper. JESUS MARIA sis mihi JESUS & MARIA. JESUS & MARIA vobis dono cor & animam meam. JESUS, MARIA, quoties respiro, toties ad vos suspiro.

Praxis Præsentiæ DEI ex variis creaturis & actionibus nostris.

Habetur in Disciplina claustrali nuper reimpressa, pag: 128.

Commendatur hic frequens usus actuum Anagogicorum à Christo, qui cogitanti S, Gertrudi, quòd absq; amore DEI nemo salvetur, dixit; Velle se, sibi gratias agi ab electis suis, etiam pro eo beneficio quod illis, qui ejus sunt dulciter recordati, in agone positis, in ipso mortis confinio, ita se amabilem exhibeat, ut ex intimis medullis cordis, id est, non timore tantùm gehennæ, sed ex DEI verò amore illos pœniteat peccasse. In fin: diu: piet: lib: 3. cap: 28.

EXERCITIUM SECUNDUM vitæ Spiritualis est. MORTIFICATIO.

CAPUT I.

Quid & quotuplex sit Mortificatio?

M*Ortificatio* nihil *est* aliud, quàm *virium animæ nostræ interiorum & exteriorum ad illicita, & terrena proclivium debita moderatio.* Istæ autem *vires exteriores sunt* Sensus externi: & *interiores sunt* sensus interni, appetitus

petitus concupiscibilis, & irascibilis, intellectus, voluntas, amor proprius, & judicium proprium. Mortificatio enim in eo sita est, ut sensus & affectus naturæ à malo retrahamus, & effrenes motus eorũ cohibeamus, & moderemur.

Ad quorũ intelligentiam: Sciendum *hominem esse Animal rationale:* quia quod habet Animal, videlicet, sensus externos & internos, per quos cognoscit ad vitam suam sustentandam & conservandam necessaria; habet & appetitum, quo appetit illa: hoc idem habet homo: & ideò dicitur Animal. Est præterea homo Rationalis, per quod differt ab aliis animalibus. Ac propterea *homo est compositus ex duabus partibus,* quarum *una dicitur pars Sensitiva seu Inferior: altera pars Rationalis seu Superior:* vocantur præterea Caro & Spiritus: sensualitas & ratio: homo vetus & novus: exterior & interior: quarum partium in primis parentibus ante peccatum talis fuit conjunctio & ordo, ut pars Rationalis seu superior tanquam Regina imperaret inferiori & sensitivæ; inferior verò ut ancilla ei obediret. Sed postquam homo factus est rebellis DEO per prævaricationem præcepti ejus, statim quoq; facta est pars inferior rebellis superiori: & ideò continua est inter illas pugna. Nam caro cõcupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Quia partes istæ desideriis & actibus suis inter se diffident: pars enim inferior,quæ nobis cum belluis est communis bona sensibilia, delectabilia & commoda appetit: pars verò superior, qua con-

convenimus cum Angelis, bona honesta, & virtuti consentanea, Deoq; grata concupiscit. Proinde qui secundum partem inferiorem vivunt, vitam belluinam & carnalem ducunt: & tales ab Apostolo animales nuncupantur: qui verò secundùm partem superiorem vivunt, vitam humanam & spiritualem agunt.

Porrò *Pars sensitiva seu inferior complectitur* in se omnes sensus externos ac internos; & appetitum ex parte concupiscibili ac irascibili compositum cum suis motibus, qui passiones vocantur. Jam verò *Pars rationalis seu superior complectitur* Intellectum, Voluntatem & Memoriam intellectivã. Hic *intellectus* prout unam notitiam ex alia deducit *Ratio dicitur*, quæ dividitur in duas portiones seu partes. *Dum* enim *considerat temporalia*, & secundùm rationes humanas, *Ratio inferior* nominatur: *si autem æterna*, vel temporalia secũdum legem æternam. *Ratio superior nuncupatur*, quæ etiam spiritus dicitur. Itaq; *Ratio inferior dicit:* Hoc mihi faciendum est; quia honestum est; quia mihi est utile; vel sensui delectabile. *Ratio verò superior:* Hoc mihi, ait, faciendum: quia DEUS vult; quia præcipit; quia placet ei: quia prodest ad animæ salutem. *Ad hanc Rationem superiorem pertinet*, regere Rationem inferiorem, & partem totam sensitivam, ipsiusq; motus inordinatos moderari, quæ *moderatio* dicitur Mortificatio & Abnegatio, Crux, Odium sui, Violentia & spiritualis Circumcisio.

Eſt autem mortificatio duplex, Una *exterior*, qua ſenſus externi, lingva, & corpus mortificantur. *Alia interior*, quæ ſenſus internos & affectus moderatur. *Utraq; eſt neceſſariò exercenda:* quia exterior ſinè interiori non multum prodeſt: & interior abſq; exteriori diu durare non poteſt, licet ſit potior exteriori.

Rurſus *utraq; mortificatio: Vel eſt communis*, quæ eſt in illicitis, per quā à prohibitis abſtinemus. *Alia ſpecialis*, quæ eſt in licitis, per quam à non prohibitis, ob amorem DEI, & perfectionis adeptionē, nos continemus, videlicet à cibo, potu, ſomno, ſermone viſu auditu, recreatione & aliis ſimilibus. Et *hæc mortificatio eſt Religioſis propria*, & omnibus qui ad perfectionem aſpirant. Eſt enim bonum à licitis abſtinere, tum ut conſilia ſectantes majorē mercedem obtineamus: tum ut faciliùs illicita fugiamus.

CAPUT II.

Motiva ad Mortificationem etiam in minimis.

PRimum *motivum eſt* quia Mortificatio gratū DEO Sacrificium eſt, *ut docet Richard: de S. Victore.* Nil ita flagrat Domino in odorem ſvavitatis, quàm ſi mactetur ei vitulus propriæ voluntatis.

Secundum: quia per mortificationem peccata minuuntur, ſimul & pœna eis debita vitia extingvuntur, ac tentationes vincuntur.

Tertium: quia mortificatione refrenatur appetitus, ac impediuntur omnia ac ſingula damna, tam poſitiva, quàm privativa, quæ cauſare ſolet, quan-

do

do est inordinatus. Privativũ damnũ in hoc consistit, quod appetitus inordinatus privat animã Divino Spiritu, sensum omnem devotionis extingvẽs. Positivum damnum in hoc consistit, quòd talis appetitus animam fatigat, torquet, obfuscat, fædat ac debilitat.

Quartum: quia mortificatione facilè virtutes acquiruntur, *teste D. Thoma, qui ait.* Virtus præ requirit passiones sedatas, & consequenter appetitus moderatos.

Quintum: Quia mortificatione hic in via beatitudo inchoatur. *Dicit enim Thom: à Kempis lib: 2. de Imit: Christi cap:* 12. Ecce in cruce, id est, in mortificatione totum constat, & in moriendo totum jacet, & non est alia via ad vitam, & ad verã internam pacem, nisi via S. Crucis, & quotidianæ mortificationis.

Sextum: Quia per mortificationem perfectio acquiritur: Nam summa hominis perfectio consistit in hoc, quòd ad eundem reducatur statum, à quo per peccatum primi Parentis decidit; sed per solam Mortificationem homo reducitur ad statum innocẽtiæ, quantùm fieri potest, dum per illam pars inferior superiori subordinatur, refrenatis ejus passionibus Itaq; per solam Mortificationem perfectio acquiritur.

Septimum: Quia per Mortificationem ceu Regiam crucis viam pervenitur ad Patriam. Nam *angusta est, dicit Salvator noster, via, quæ ducit ad vitam, lata est, quæ ducit ad perditionẽ.*

Octa-

Octavum: Quia per Mortificationem, sumus veri imitatores Christi, & eidem assimilamur ut *de se fatetur Apost: ad Gal:* 2. Christo confixus sum cruci, vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.

Nonum: Quia sinè Mortificatione non potest haberi contemplatio, vel Mentalis Oratio. Unde quando dicitur *Cant:* 4. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris:* conjuncta est myrrha thuri: Ubi per myrrham amaram intelligitur mortificatio, quæ carni displicet; per thus autem intelligitur Oratio, *juxta illud: Dirigatur, Domine, Oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.*

Decimum: Quia qui mortificationem non amplectitur, vitam spiritualem, immò rationalem ducere nequit. *Dicit enim S. August; serm:* 18., *in Joan:* Si homo vivit secundum spiritum, imitatur Angelos, si secundùm carnem, sive appetitus immortificatos, imitatur bestias *Et S. Ambr: in Psal:* 118. Qui secundum corporis appetentiam vivit, caro est, qui secundum præcepta DEI, spiritus est.

Debet autem fidelis *amicus crucis* mortificationem exercere *etiam in minimis:* cujus *Ratio Prima est:* quia non minima, sed maxima ad vitã spiritualem in mortificatione ejusmodi est meritorũ accessio. Non enim magna occurrunt nobis abnegatione resecanda, ad quod hortatur nos Spiritus S. *Eccl:* 29. dicens: *Minimum pro magno placeat tibi*, id est, minora, quæq; merita quæ in minimis abnegationibus reperiuntur magni reputa. Se-

Secunda: Quia non tantum solæ magnæ imperfectiones nos vinciunt, sed etiã minores ligant, & ab expedito volatu in cœlum impediunt: quid enim refert si ferrea catena, aut tenui filo tenearis, si vinctus manes, nè ad DEUM te eleves.

Tertia: Quia dum nos in minimis rebus abnegamus, sensim propriam voluntatem vincimus & prosternimus, qua prostrata ad quandam mirabilem mentis tranquillitatem pervenimus; quam tranquillitatem *S. Doroth:* vocat Impassibilitatem, quæ mortificatione propriæ voluntatis acquiritur. Jam verò mortificatio voluntatis assiduis abnegationibus comparatur.

Quarta: Quia talis mortificatio in minimis delectat junculis quamvis licitis & non prohibitis, gratissima est DEO: *Unde Blosius ait:* Quando quis propter DEUM sensualitati, voluntatiq; propriæ etiam in rebus minimis reluctatur, ac se mortificat: rem ipsi DEO magis gratam facit, quàm si multos mortuos ad vitam revocaret.

Quinta: Quia homo has parvulas abnegationes exercens, & in modico se mortificans, in magnis occasionibus se fidelem futurum ostendit, *juxta illud Luc:* 16. Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis erit.

Sexta: Quia hæ modicæ abnegationes animum pium, modestum, suam parvitatem cognoscentem monstrant. Hanc autem modestiam ac humilitatem Christus humilium amator tum gratissimã habet, tum majori præmio, quàm nos putamus, cumulare consvevit.

CA-

CAPUT III.

Quam diu nos mortificare debeamus?

TOta vita mortificationem nunquam omittere debemus? ac se in illa tam in parvis quàm in magnis, semper exercere. Cujus rei est *Causa Prima.* Imitatio Christi, qui noluit Crucem deserere, etiamsi Judæi dicerent illi: Christus Rex Israel descendat nunc de cruce; ut videamus & credamus. *Unde S. Bern: Serm:* 1. *in die Paschæ sic ait:* Itaq; & nos quicunq; sequimur caput nostrum, non cessemus agere pænitentiam, non cessemus tollere crucem nostram, perseverantes in ea sicut ipse perseveravit, donec dicat spiritus, ut requiescamus à laboribus nostris.

Secunda causa est: Quia Christi fidelibus nunquã sunt arma deponenda, nè victi fortè inimici vires resumentes, eos incautos aggrediantur & superent. Sunt autem arma militiæ nostræ in mortificatione, quibus cõtra inimicos nostros viriliter pugnamus, eos generosè vincimus, & de illis victis gloriosè triumphamus.

Tertia causa est: Quia principaliter ad hoc assumitur mortificatio, ut vitia extingvantur ac radicitùs exstirpentur, inordinati moderentur affectꝰ, & omnia DEO displicentia resecentur: sed ad hæc opus est continua mortificatione. *Unde S. Ephrem ait*: Bellum militum breve, sed monachi pugna, quoad usq; migret ad Dominum, durat.

Quarta causa est: Quia homo, qui à studio mortificationis cessat, paulatim ex munditia ad immun-

munditiam, & ex magna perfectione ad magnam imperfectionem declinat. *Sed væ his, qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas: Dicit S. Scriptura.*

Sunt autem *Gradus mortificationis* secundum *S. Bern: tres*, quos *Serm: 7. Quadrag: recenset.*

Infimus est, abstinere à carnalibus desideriis.

Secundus & superior præcedente est, se habere tanquam mortuum circa delicias, & res hujus sæculi. Sicut peregrinus potest advertere delicias terræ, in qua peregrinatur, immò eis frui transeundo: sed mortuus illas non videt, nec desiderat; verè mortificatus non magis ad res hujusmodi attendit, ac si esset mortuus: unde nec delicias nec injurias aliud quidpiam curat.

Tertius ac supremus gradus mortificationis est, humiliare semetipsum ad imitationem Christi usq; ad mortem, mortem autem crucis; sed rarissimi sunt homines in hoc gradu mortificationis: & solummodò ad illum perveniunt, qui vitam suam vitæ, & passioni Christi perfectè conformant. *Hi sunt, qui cum Apost: ad Gal: 6. dicere possunt:* Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi; per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

Primi sic mortificationi vacant, ut vix aliquid deliciarum cum timore Domini velint admittere. *Secundi sic mortificati sunt*, ut quasi mortui sæculo, nec ad delicias mundi attendant, & totū eorum

rum desiderium sit inservire DEO. *Tertii deniq; mortificationi sic sunt addicti*, ut crucifixi cũ Christo dicere possint *cum Apost: 2. Corint: 7.* Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione.

Pensemus ergo singuli, *concludit Bernardus*, in quo gradu quisq; sit positus, & studeamus proficere de die in diem, quoniam eundo de virtute in virtutem, videbitur DEUS Deorum in Sion. Nec in exercitio mortificationis debemus quiescere, donec ad certum gradum ascendendo pervenerimus. Quòd si in principio difficultatem in mortificatione patimur, hoc ideò est, quia *non est secundum hominem, ait Thom: à Kemp: lib: 2. de Imit: Christi, crucem portare, crucem amare*, corpus castigare & servituti subiicere, honores fugere contumelias libenter sustinere, seipsum despicere, & despici optare. Si ad teipsum respicis, nihil hujusmodi ex te poteris, sed si in Domino confidis, dabitur tibi fortitudo è cœlo, & subijcientur ditioni tuæ mundus & caro. Sed nec inimicum diabolum timebis, si fueris fide armatus & cruce signatus. *Plura vide loco citato.*

CAPUT IV.

De Mortificatione exteriori.

QUia hæc mortificatio exterior circa sensus externos moderandos, & circa corpus subjugandum exercetur, ex quorum inordinatione seu immortificatione, inordinatio & immortificatio affectuum interiorum procedit: ideò *priùs danda est opera mortificationi exteriori, quàm* inte-

interiori; & quia facilior est mortificatio exterior, quàm interior: à facilioribus autem semper est incipiendum.

Sunt verò quinq; sensus externi: Visus auditus, gustus, odoratus & tactus: quorum mortificatio est nobis maximè necessaria. *Nam ut S. Greg: lib: 21. Moral: cap: 2. testatur*, quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foras veniat, & ea, quæ extra ejus sunt substantiam, concupiscat: per eos enim corporis sensus, quasi per fenestras quasdam exteriora quæq; anima respicit, respiciens concupiscit: *Hinc etenim Jeremias ait: Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.*

Visus tunc mortificatur, quando ipso tantùm ad necessaria, & ad profectum spiritualem utilia videnda utimur; jam verò à vanis, & inanibus, ac nō necessariis eum avertimus.

Auditus: quando vanos rumores, profanas historias, nugas, scurrilitates, narrationes ridiculas, verba ad risum provocantia, & alia ad animæ salutem minimè necessaria audire nolumus, præterea quando à murmurationibus, detractionibus, accusationibus aliorum, & propriis laudibus abhorremus; & tantùm ad utilia & spiritualia attendimus.

Gustus: quando delicata non quæruntur alimenta, sed insipida & communia: & quando etiā cōmunia ad satietatem non sumuntur: deniq; quando non immoderato appetitu, sed modo debito, cum gratiarū actione, ad necessitatem, non autem ad delectationē percipiuntur. Itaq; Religiosus & quilibet vir spiri-

tualis,

tualis dum ad refectionẽ accedit; directionem præmittat, & protestetur coram DEO, eodem animo se paratum esse ad labores pro eo perferendos, sicut ad cibos capiendos: quin etiam ad abstinendum ab illis, si DEI voluntas hæc foret. Præterea gratias agat Divinæ Bonitati, quòd hæc alimenta ipsi præpararit: semperq; ad gustum mortificandum attendet, vel lautiora dimittendo, vel aliquid appetitui subtrahendo, vel etiam interdum absynthium, aut quid simile cibis admiscendo, quo fiant insipida, & gustui ingrata.

Odoratus. Quando suffitus, unguenta, & alia gratissimi odoris fugimus: vel dum graves odores propter DEUM libenter sustinemus.

Tactus: deniq; mortificatur, tum per subtractionẽ eorum, quæ ipsum possunt delicatè fovere, ipsique blandiri, ut mollium vestimentorũ, & corporis cõmoditatum: tum per applicationem eorum, quæ tactum affligunt, ut sunt vestes asperiores, cilicia, disciplinæ, & alia corpori molesta.

Hoc modo, & corpus nostrum mortificatur; & ultra hoc, per jejunia, famem, sitim, vigilias, frigus, calorem, & varios labores pro DEI honore proximiq; salute exantlandos. Cujus *mortificationis* & afflictionis *corporum nostrorum* est urgens necessitas & *multiplex utilitas*, quam *Dionysius Richelius l.* 1. *De vita & fine solitar. ar.* 17. *nobis proponit*, qui octo utilitates istius mortificationis corporis enumerat *Prima est*, satisfactio pro peccatis. Nam sicut per corporis delectationem deliquimus,

mus, justum est ut per corporis castigationem nostrorum delictorum pœnas luamus. *Secunda est*, ad gratiam DEI impetrandam & suscipiendam præparatio. Sic fecerunt Ninivitæ, qui jejunio & sacco afflicti, suorum scelerum veniam impetrarunt. *Tertia est*, multorum malorum, tum spiritualium, tum corporalium abscissio. Afflictio enim corporalis cōprimit carnis nostræ impetus, & motus inordinatos appetitûs: præterea arcet corporis morbos, & pœnas à DEO pro peccatis nostris intentatas: sicut expertus est David tempore pestis maximæ, quæ tribus diebus septuaginta millia virorum prostravit; quod malum vestitus cilicio, ut Dominum placaret, David à sua gente avertit. *Quarta est*, Christi Salvatoris nostri imitatio. Ipse enim vitam asperā ac duram in mundo egit, ad quam nos quoq; invitat: *Qui mihi ministrat*, ait, *me sequatur: & ubi ego sum, illic & minister meus erit. Quinta est*, gloriæ magnitudo, *de qua Apost:* 1. *Corint:* 2. *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ DEUS præparavit diligētibus se: Sexta est*, proximorum ædificatio & instructio. Nam dum vident spirituales viros omnem indulgentiam carnis etiam licitam respuentes, & asperitatem vitæ amantes, multùm ædificantur. *Septima est*, nostrarum precum exauditio. *Sic enim hac de re Cyprianus de jejunio Christi testatur.* Quotquot viros virtutum vidimus, qui quoties aliquid à DEO obtinere conati sunt, jejuniis incubuere & lacrymis, & pernoctantes in orationibus, cilici-
is

is carni hærentibus, ſupplices beneficia poſtularunt: Nec defuit proventus, ubi ad pedes DEI, Sacrificiū contriti cordis offerens, ſe proſtravit humilitas; ſed propè fuit invocantibus ſe DEUS, & porrexit manū naufragis, & ſubvenit afflictis *Octava eſt*, nequiſſimorum ſpirituum fuga. *Qua de re, ita Climacus ait Grad: 27.* Sicut exſiccatum lutum jam non porcis uſui eſſe poteſt, ut ibi ſe volutent, ita & caro per abſtinentiam marcida effecta, dæmonibus ultra non præbebit in ſe quieſcendi locum. *Et. S. Mechtildis* audivit ſonum dulciſſimum in firmamento cœli reſonare ex ſonitu diſciplinarum, quibus corpus caſtigatur ad cujus ſonitus clangorem Sancti Angeli plaudebant, dæmones fugiebant, animæ laxabantur à pœnis, & catenæ earū rumpebantur.

Etiam ad hanc mortificationem, exteriorem pertinet Lingvæ moderatio, ex cujus mortificationis neglectu multa pullulant mala & peccata: videlicet mendacium, rixæ, jactantia, detractiones, deceptiones, ſecretorum revelatio, in loquendo procacitas, ſcurrilitas, verba otioſa, imprudentia, quæ tunc agnoſcitur, quando quis loquitur ea, quæ nec perſonæ noſtræ nec ſtatui audientium, nec tempori congruunt, nec modus in ſermone ſervatur, qui debet eſſe hujuſmodi, ut ſemper modeſtè, humiliter, demiſsè, verè & ſvaviter loquamur. Itaq; qui Religioſus hæc mala lingvæ vult evitare, ſervet ſilentium, amet ſolitudinem, & nunquam loquatur niſi ex neceſſitate, & ſecundum DEI voluntatem, & proximi utilitatem: & tunc ſint verba vera, & rationi ac virtuti conſona.

Quantùm verò placeat Christo sensuum mortificatio patet: ex verbis ejus, quibus coram S. Mechtilde promisit iis, qui oculos suos mortificant, admirandas in cœlo delicias oculorum; iis qui aures, svavissimum vocis melos in æternitatem; qui lingvam, singularem excellentiam laudis DEI. *Alias eidem dixit:* quære me in quinq; sensibus tuis: videlicet, ad placitum DEI utendo illis.

Actus pro mortificandis sensibus externis.

DUlcissime JESU, in unione amoris tui, ex quo propter me omnia delectabilia tibi subtraxisti, volo abstinere ab omnium sensuum delectatione, ob amorem honoremq; tuum, & beneplacitum tuum.

Domine JESU, amore tui volo abstinere ab hac videndi audiendi, loquendi &c. delectatione, ut delectem te, & hanc delectationem offero delectationi tuæ, ut placeat tibi Domine DEUS.

Bone JESU tibi omnes sensus meos dedico & consecro, ideò illis utar tanquam tuis, ad illa tantummodo quæ tu vis, tibiq; placeat.

Plures actus pro mortificandis sensibus habentur Parte 2. in exercit: viæ purgat: pro visu p. 14. pro auditu p. 46. pro gustu p. 56. pro odoratu p. 25. pro tactu p. 36.

CAPUT V.

De Mortificatione interiori sensuum internorū.

QUia sensuum internorum est intima connexio cum sensibus externis: meritò post doctrinam datam de mortificandis sensibus

externis, oſtendendus eſt modus mortificandi ſenſus internos.

Sunt aûtem *Senſus interni quatuor: qui in cerebro ſua organa habent. Primus dicitur ſenſus cōmunis* in anteriori parte capitis reſidens, qui ab omnib9 ſenſib9 externis ſpecies ſenſatas, ſeu imagines, & ſimilitudines rerū præſentium recipit, & de ſenſibus externis dijudicat: quòd nimirum viſus videat album, & non nigrum; auditus audiat vocem hominis hujus, & non alterius &c. qui inter ſenſibilia externa diſcernit, hoc eſt, inter colores, ſonos, odores & alia: & qui rem unam ſenſu aliquo exteriori cognitā cum altera comparat, ac determinat; quod, videlicet hoc magis eſt album, quam alterum. Vel, hoc magis eſt dulce, quàm illud.

Secundum eſt, Imaginativa ſeu Phantaſia in medio cerebri ſita, quæ à ſenſu communi tranſmiſſas ſpecies ſenſatas retinet, per quas cognoſcit res abſentes, & ex quibus componit novas formas, ut quādo ex monte & auro montem aureum format.

Tertius eſt, Æſtimativa in cerebro propè imaginativam collocata, quæ *in homine dicitur Cogitativa,* cujus munus eſt, ex repræſentato ſibi alicujus rei phantaſmate, æſtimare ſeu judicare hoc ſibi conveniens vel diſconveniens, utile vel inutile, hunc eſſe ſuum amicum vel inimicum: hoc eſſe arduum & difficile.

Quartus eſt, memoria in poſteriore capitis parte ſita, quæ conſervat ſpecies convenientiæ & diſconvenientiæ, amicitiæ & inimicitiæ, utilitatis &

incommodi: quæ *in homine dicitur Reminiſcentia*, quia fit cum diſcurſu.

Quorum ſenſuum interiorum debita gubernatio & moderatio debet adhiberi: quandoquidem propter defectum moderationis illorum, ſequitur in appetitu ſenſitivo omnis inordinatio. Nam ad imaginationem & æſtimationem ſibi convenientis vel diſconvenientis, ſeu boni vel mali, appetitus ſenſitivus movetur, illud proſequendo, hoc fugiendo. Unde ſi æſtimativa in ſuo judicio erraverit, etiam appetitus illud ſequendo errabit.

Senſum communem Mortificabimus, ſi eum à comparatione rerum inter ſe, videlicet, delectabilium & utilium continebimus, nè cogitemus iſtud pulchrius eſt, quàm illud; vel hoc ſapidius eſt, quàm aliud; iſtud dulcius quàm illud: ut pulchriora, ſapidiora, meliora eligamus & deſideremus: ut paſſim occurrit in cibo, potu & veſtimentis, & aliis hujuſmodi: nec unquam utamur his propoſitionibus: Melior ille fuit ſuperior quàm iſte: vel, Melior eſt hic, quàm ille fuit. Nam æqualiter in omnibus Superioribus perſonam Chriſti conſiderare & honorare debemus.

Imaginativa quoquè maximè cuſtodienda eſt & mortificanda, ex cujus conſervatione & repræſentatione variarum formarum & imaginum, multa & graviſſima damna in anima, & perturbatio pacis internæ, propter cogitationes vanas, & ſæpè malas, quarum imaginatio eſt cauſa, oriuntur. Et inprimis danda eſt opera, ut à principio ſtatim repellan-

pellantur, non tantùm indecentes, sed etiam omnes vanæ & mundanæ imaginationes, & minimè illis immorandum, nè per hoc imagines rerum fortiùs imprimantur. Deinde nunquam per memoriam debemus formas & imagines rerum quæ sunt in Imaginativa cõcitare, præsertim noxias & inutiles: & si fuerint, sive à dæmone, sive ab inconstantia ipsius Imaginativæ, & ab aliis permultis naturalibus causis concitatæ, eas illicò reprimere est necesse, divertendo Imaginativam ad alia per cogitationes bonas. Præterea per Præsentiam DEI imaginariam, per quã efformantur variæ imagines Christi Domini nostri, purganda est Imaginativa, & ex ea imagines profanæ rerum terrenarum acquisitæ, per alias devotas & sanctas eliminandæ. Præsertim verò in infirmitatibus, doloribus, afflictionibus, & adversitatibus, atq; in aliorum factis & dictis moderanda est imaginatio; quia tunc multùm nobis nocere solet.

Æstimativam quoq; avertere debemus ab æstimatione nostra, & eorum, quæ non sunt magni facienda: ut sunt hominum favores, amicitiæ, vel inimicitiæ, sanitas corporis, commoditates, honores, æstimatio nostri apud homines: sed curandum est, ut illa æstimemus, quæ in rei veritate sunt æstimãda: videlicet, DEUM, & res Divinas, salutem nostram, pati pro DEO & contemni, statum religiosum, vota professionis, observantiam regularem, orationis studium, mortificationem, & virtutum exercitium.

Memoriam tunc mortificamus, quandò cavemus nè repleatur notitiis moraliter malis, quæ scilicet inducunt ad peccandum, vel à peccatis causantur: vel curamus ut à talibus acquisitis evacuetur, vel nè postmodum adveniant, impedimus: Præterea à memoria arcere debemus species, & notitias vanas, & ad salutē nostrā inutiles; curiosas historias, fabulas, narrationes ridiculas, vanos rumores, & similia. Notitiæ autē indifferentes quales sunt, scientiarū naturalium, historiarū honestarū, quæ neq; sunt ex se bonæ, nec malæ, possunt autē esse bonæ ex aliqua circumstantia: ut si quærantur ob honorem DEI, & ad nostrā vel proximorum salutem, admitti possunt. Quæ autem notitiæ sunt moraliter bonæ, ut sunt moralium virtutum, mandatorum DEI & consiliorum, articulorum fidei, Sacræ Scripturæ, piarum historiarum, & eorum quæ pertinent ad institutum & obligationem nostram, & similium, talibus notitiis ut pote salutaribus, memoria nostra debet imbui, ut illis ad perfectionem acquirendam utamur.

Et quoniam sensus interni in homine propter conjunctionem ad intellectū sunt discursivi seu cogitativi quorum actiones dicuntur cogitationes: ideò *ad moderationem debitam sensuum interiorum, pertinet moderatio cogitationum. Sunt autem cogitationes* secundum S. Bernard: *triplices. Aliæ sunt immundæ* ad vitia carnis, & ad alia vitia pertinentes. *Aliæ otiosæ*, inutiles, & curiosæ, quibus homines otiosi quasi vento pascuntur. *Aliæ ad res necessarias spectantes*, ut sunt de cibis, vestimentis,

&

& aliis similibus, sinè quorum subsidio vivere in terris non possumus. Quarum omnium *cogitationum sunt variæ causæ. Aliquando cor nostrum instabile*, & concupiscentia ejus, quod nisi bona cogitemus, certè ad mala vel otiosa, aut commoda cogitanda sese convertit. *Aliquando recordatio eorum*, quæ vidimus, audivimus & gessimus, & quibus ad vitam sustentandam indigemus. *Aliquando dæmonis opera*, qui potest vana & immunda nobis repræsentare, commovendo species seu imagines istorum in Phantasia nostra. *Aliquando humores naturales*,, qui magis dominantur in nobis, ut est cholericus, melancholicus phlegmaticus & sangvis. *Aliquando sensationes actuales sensuum externorum*, videlicet, visus, auditus, & aliorum. Ex quibus causis commovetur imaginatio ad repræsentanda varia objecta, ex quorum repræsentatione oriuntur variæ cogitationes, seu discursus, tùm in sensibus internis, tum in ratione inferiori; quas, si fuerint pravæ aut inutiles, ratio superior reprimere debet, tùm DEI auxilium invocando, tùm bonis & utilibus cogitationibus semper se occupando, sicut nos monet *S. Anselmus lib: de similit: c.* 159. *Sancta, inquit, & utilia semper cogitemus, quæ impura & inutilia repellent.*

Bonarum autem cogitationum nostrarum ipse DEUS est Auctor qui nos semper ad bonum, & ad id, quo mereamur & meliores efficiamur, instigat. *Non enim sumus, ait Apost: 1. Cor: 2. sufficientes aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis.*

Igi-

Igitur dũ mala & inutilia in corde nostro versamus, nostra cogitatio est: si bona, DEI sermo est, DEI instinctus, seu inspiratio est. *Sunt autem istæ Cogitationes bonæ quædã à Deo immissæ* quæ nobis nihil curantibus sese ingerunt, quibus ad cõpunctionẽ, vel ad DEI timorẽ, vel ad mortificationẽ, vel ad virtutũ studiũ incitamur. *Quædã sunt à nobis excitata*, non tamen sinè gratia DEI, quas consultò accersimus; ut nos ad bonos affectus cõmoveamus; quod opus est rationis Superioris, ut cũ de morte, aut de Judicio DEI cogitamus, ex quo desideriũ emendationis vitæ concipimus. Pertinet ergo ad rationem superiorem, bonas & utiles cogitationes semper exercere, ut hoc modo noxias & otiosas evitet.

Quod si *de rebus vitæ sustentationem necessariis* aliquando *cogitandum est*, hoc fieri debet *tempore opportuno*, & *moderata cum solicitudine*, plùs DEI Providentiæ, quàm nostræ nimiæ curæ confidendo, memores verborum Christi dicentis: *Quærite primò Regnum DEI, & justitiam ejus, & hæc omnia adijcientur vobis Matth: 6.* Si enim priùs quæsiverimus, quæ ad salutem animarum nostrarum necessaria sunt, etiam illa, quibus corpus indiget, nobis non deerunt.

Actus pro mortificandis sensibus internis,

O Amantissime JESU, amore tui omnes sensus meos, tam externos quàm internos, à rerum terrenarum vanitate semper avertere volo.

Imprime quæso, dulcissime JESU, speciosam

tui

tui vultus formam meæ imaginativæ potentiæ, & omnes formas vanas & noxias ex ea dele.

Fac, benigniſſime Domine mi, ut nihil conveniens mihi judicem, præterquam pati & contemni pro te.

O utinam omnium rerũ terrenarum caducarum obliviſcar, ut memor ſim tui ſolius.

Domine DEUS meus, deſidero, ut omnis mea cogitatio, locutio, & actio, tibi ſit laus, & gratiarum actio.

CAPUT VI.

De Mortificatione Appetitûs ſenſitivi ejuſq; motibus ſeu paſſionibus.

MUltiplex Appetitus invenitur in homine, juxta multiplicationem virium cognoſcitivarũ, quibus in rebus cognoſcendis utitur homo. Sunt autem in hominẽ ſecundum Theologorum doctrinam, tres vires cognoſcitivæ, ſeu cognitioni ſervientes, quibus triplex appetitus ad proportionem reſpondet.

Prima vis dicitur Senſitiva, quæ per ſenſus externos & internos cognoſcit: huic reſpondet, Appetitus Senſitivus, qui ſenſuum cognitionem ſequitur, & ab illis movetur.

Secunda vis Rationalis vocatur, quæ eſt ipſe Intellectus, qui per diſcurſum rem unam ex alia cognoſcit, qui diſcurſus dicitur ratiocinatio, propter quam intellectus appellatur ratio, quæ dividitur in partem rationis inferiorem & ſuperiorem, *de quibus dictum eſt ſuprà Cap.* 1. Huic reſpon-

det

det Appetitus rationalis, seu liberum arbitrium, quæ est ipsa voluntas, quæ sequitur rationis cognitionē, tàm inferioris quàm superioris, & ab illis movetur.

Tertia & suprema vis nuncupatur Intelligentia, quæ est ipse Intellectus, quatenùs lumen à DEO proximè recipit, & prima principia conceptis duntaxat terminis, vi naturali, vel occulta Divinæ Sapientiæ, immisso lumine supernaturali, sinè discursu cognoscit: cui respondet Appetitus supremus rationalis, quæ est ipsa summa voluntas prout quandam naturalem propensionem, ad bonum simplici conceptu Intelligentiæ sibi repræsentatum, à DEO proximè recipit. Et hæc tertia vis cum secunda constituunt partem hominis superiorem.

Alii secundam vim cognoscitivam appellant vim intellectivam, quæ dividitur in Rationem & Intelligentiam. Ratio autem respectu suorum officiorum dividitur in Superiorem & inferiorem: sicut oculus in sursum & deorsum oculum aspicientem. Nam ratio inferior terrena considerat, & secundum leges humanas. Ratio verò superior Divina contemplatur, & leges Divinas scrutatur, & secundū eas dirigit humanas actiones.

Hæc vis triplex Cognoscitiva & Appetitiva, ad unam pertinet animam rationalem, quam Theologi Mystici, propter ejus virium diversas actiones & officia dividunt in tres portiones, Infimam, Mediam & Supremam.

Infima portio animæ rationalis, vocatur Anima sinè addito hujus vocis Rationalis: inquantū animat

nimat corpus, vivificat & sensificat. Per quot convenit cum anima irrationali, quæ in animalibus idem facit. Vocatur præterea hæc portio infima Cœlum infimum Animalitas, Sensualitas, Pars sensitiva, pars hominis inferior, Ratio inferior, inquantùm intellectus & voluntatis imperio obedire potest. Hæc portio complectitur in se vim cognoscitivam sensitivam, quæ fit per sensus externos & internos: & appetitum concupiscibilem ac irascibilem.

Media portio appellatur Spiritus: in quantùm intelligit, sicut Angeli, qui sunt Spiritus: & in quantum ex anima rationali effluunt potentiæ omninò spirituales: videlicet, memoria, intellectus & voluntas. Hæc portio vocatur etiam Cœlum medium, & Pars rationalis, quæ complectitur in se intellectum, ut est Ratio distincta in rationem superiorem & inferiorem: complectitur quoq; appetitum rationalem, quæ est ipsa voluntas.

Suprema portio dicitur Mens, quasi in anima eminens: nam significat portionem animæ rationalis cæteris eminentiorem, hoc est, supremam: in quantum eminenti modo intelligit; videlicet, sinè discursu: & eminentia, seu suprema; videlicet prima principia, tam naturalia quàm supernaturalia. Hæc portio ab aliis vocatur Vertex & Apex spiritûs, Centrum, Fundum, Scintilla, & Cœlum supremũ: quæ complectitur Intelligentiam, & Appetitum superrationalem, quæ est voluntas: & hæc portio suprema & media nuncupatur Pars hominis superior. Ad hanc supremam portionem pertinet Syn-

dere-

deresis, quæ est habitus principiorum practicorum, per quem naturaliter inclinamur ad bonum amplectendum & fugiendum malum: cujus actus est conscientia.

Sed hic notandum est, usitatum esse Theologis aliquando animam pro mente & spiritu sumere; spiritum etiam pro mente, & mentem pro spiritu habere: & hoc propter ipsius animæ rationalis indivisibilem unitatem, & miram simplicitatem. Dividitur autem, in tres portiones, non ideò quasi anima rationalis habeat quantitatem molis, seu magnitudinis; sed quatenus habeat quantitatem virtutis: & propterea illæ portiones seu partes, non possunt dici partes integrales, nisi virtuales seu potentiales: quia vires ac potentiæ sunt animæ rationalis.

Hinc patet ex dictis duplicem esse propriè Appetitum in nobis: Sensitivum & Rationalem (nam ille Superrationalis appetitus ad Rationalem reducitur) Dicitur autem Appetitus sensitivus: quia sequitur sensuum cognitionem. Rationalis verò: quia sequitur cognitionem rationis; & hic Appetitus est voluntas nostra. Et quoniam uterq; Appetitus est proclivis ad illicita & bona terrena: ideò debet refrenari, cohiberi, mortificari.

Est *autem Appetitus sensitivus nihil aliud*. quàm inclinatio ad id quod sensus judicat, (videlicet Imaginativa & Æstimativa) conveniens seu bonum: vel inconveniens seu malum. Ideò verò conveniens hic dicitur seu bonum, quia est delectabile, vel utile, vel honestum seu honorificum: disconve-

niens

niens autem; quia est vel contristabile & molestum, vel nocivum, vel inhonestum.

Hic Appetitus est duplex, Concupiscibilis & Irascibilis cujus ratio est; quia appetitus semper tendit in bonum vel malum, illud prosequendo, istud fugiendo: quod est duplex, Simplex seu absolutum: & Arduum seu difficile: & ideò propter bonum & malum absolutum, institutus est Appetitus Concupiscilis, & propter bonum & malum arduum seu difficile Appetitus Irascibilis. Itaq; *concupiscibilis munus est*, erga bona sibi proportionata ferri & moveri; mala autē sibi contraria fugere, qui Appetitꝰ regitur ab Imaginativa. *Irascibilis verò officium est* contra difficultates, quæ in bonorū consecutione & in fuga malorum occurrunt, decertare: qui regitur ab Æstimativa.

Actus seu motus Appetitus utriusq; dicitur Passio: quia fit cum aliqua corporis immutatione seu passione. Nam corpus ita commovet, ut aliquando accendatur, aliquando obrigescat: & cor nostrum, in quo passiones resident, nunc constringatur, nunc dilatetur. Et propter hoc, quia actus seu motus voluntatis nostræ non fiunt cum immutatione corporis, licet nominibuspassionum appellentur, non passiones, sed affectus, vel voluntatis actus simplices dicuntur.

Passio itaq; *est motus appetitûs sensitivi, ad imaginationem boni vel mali, cum aliqua corporis immutatione, quo scilicet fertur ad bonum & fugit malum.* Sunt autem undecim passiones: Amor, desi-

desiderium seu concupiscentia, Gaudium seu delectatio. Odium, Fuga & Tristitia seu Dolor, Spes, Desperatio, Audacia, Timor & Ira: ex quibus sex priores passiones sunt appetitûs concupiscibilis, quæ versantur circa bonum & malum absolutè sumptū, & quinq; posteriores sunt appetitus irascibilis, quæ versantur circa bonum & malum arduū & difficile.

Notandum, quod licet amor, dilectio & charitas: desiderium & concupiscentia: gaudium & delectatio: tristitia & dolor, pro eodem sæpè sumantur: tamen est inter hæc differentia; quòd Amor propriè sit in appetitu sensitivo, licet etiam transferatur ad voluntatem: & dilectio & Charitas pertinet ad solam voluntatem: nam dilectio suprà amorem addit electionem, & charitas addit æstimationem rei amatæ, in quantùm quod amatur magni pretii æstimatur: *Sic S. Thom: par: 2. q. 26. art: 3.* Præterea Concupiscentia dicitur respectu boni sensibilis; Desiderium verò respectu boni spiritualis. Sic Gaudium magis spectat ad spiritualia; & Delectatio ad corporalia. Ita Tristitia in animo percipitur ex malo apprehenso; & Dolor in corpore sentitur, ex malo corpori conjuncto. Cujus numeri passionum hæc est ratio. Nam si per sensum interiorem proponatur appetui bonum ut sibi conveniens, insurgit in eo *amor*. Si illud bonum sit absens, insurgit *desiderium*: si fuerit præsens & obtentum, insurgit *delectatio*, per quam appetitus in illo bono conquiescit. Si verò proponatur malum ut sibi inconveniens, insurgit *odium*, si malum absens insurgit *fu-*

fuga: si ut malum præsens, insurgit *tristitia*. Quod si proponatur appetitui bonum arduum & difficile, & apprehendatur ut possibile insurgit in appetitu *Spes* illud obtinendi; & audacia media applicandi. Si verò apprehendatur ut impossibile, insurgit *desperatio*; Si verò malum arduum apprehendatur ut futurum, oritur *timor*. Si apprehendatur malum ut superabile sed cum difficultate, oritur *audacia*. At si cōsideretur malum præsens, accenditur *ira*, ut de eo, qui malum intulit, vindictam sumamus.

Definiuntur autē Passiones cōmuniter hoc modo.

A*Mor*. Est conversio ad bonum: seu complacentia boni.

Desideriū. Est amoris extensio: seu progressio ad bonum absens.

Gaudium. Est ipsa boni præsentis possessio & fruitio.

Odium. Est aversio à malo cognito: seu displicentia mali.

Fuga. Est recessus à malo futuro.

Tristitia Est oppressio appetitus à malo præsēti.

Spes. Est appetitus & cordis erectio in bonum arduum possibile.

Audacia. Est spei quædam progressio: vel est cōtra malum arduum progressio.

Desperatio. Est spei amissio: seu appetitûs dejectio.

Timor. Est recessus à malo arduo futuro inevitabili.

Ira. Est motus appetitus ad vindictam.

Istæ passiones secundū se neq; sunt bonæ neq; malæ.

Si à recta ratione diriguntur ad DEUM, & ad licita, seu ad creaturas modo licito, & secundum intentionem Deiformem, hoc est, secundum DEI voluntatem, sunt bonæ & meritoriæ: si verò contra DEUM, & ad illicita, sunt malæ & demeritoriæ.

Sunt enim datæ nobis, ut amemus DEUM velut Summum bonum, ut desideremuss hoc bonum, & delectemur in eo: ut amemus quoq; æterna, & quæ placent DEO, videlicet, virtutes & mortificationis crucem: Præterea ut odio habeamus quidquid nos avertit & separat ab illo bono, scilicet, peccatum; ut abominemur illud & fugiamus, & de eo doleamus. Data est nobis & Spes, ut speremus æternam vitam, & auxilium DEI ad illam obtinendam: Audacia, ad aggrediendum grandia propter DEUM: Timor DEI, ob ejus judicia inscrutabilia: Desperatio de viribus nostris: & Ira, seu zelus Divini cultus & honoris; quibus si hoc modo semper utemur, erunt ordinatissima. Sed quia nunc propter corruptam per peccatum naturam nostram, amamus & desideramus illa, quæ sunt odio habenda & fugienda; illa verò odimus, quæ sunt amplectenda, ideò dicuntur inordinatæ. Amamus enim aliquando vetita, aliquando licita sed modo excessivo; eadem desideramus; & in eis delectamur: deinde odio habemus res bonas & ad salutem necessarias; & illas fugimus; & si contingat nos illas sustinere, contristamur: & quæ amamus, speramus, & ad illa consequenda, audaciam excitamus: desperamus in rebus bonis & sanctis: timemus res vanas:

nas: & irascimur ob easdem modo immoderato: & propterea tunc istæ passiones per rationem moderandæ sunt & mortificandæ.

Hinc patet maxima mortificandarum passionũ necessitas: quia si licenter agere sinantur, vitiorum fontes sunt: si verò secundum rationem regantur, virtutum seminaria sunt: hoc est, quia immortificatæ passiones vitia generant: mortificatæ verò virtutes producunt: *ad quas passiones mortificandas necessaria est.*

1. *Mortificatio sensuum:* Passiones quippe, nisi præcurrente sensuum notitia, non excitantur.

2. Proponenda sunt appetitui vera & meliora bona; & mala vera: quia appetitus naturaliter est pronus ad bonum & malum: igitur si ipsi proponatur verum bonum, vel verum malum, facilè inclinabitur ad illud prosequendum, & ad istud fugiendum.

3. Notanda passio quæ nos magis infestat, & illa primo impugnanda: observandæ quoq; sunt cogitationes nostræ, ex quibus citò potest agnosci passio vehementior nostra; si enim sæpiùs cogitam9 de vindicta, & facilè exardescimus, re quacunque læsi, apparet quod in nobis prædominatur passio iræ: si cogitamus ut admonitionem & correptionem culparũ nostrarũ effugiamus & ob hæc facilè turbamur; apparet in nobis amor honoris. Si cogitamus ut evitemus labores & omnia carni molesta; tunc deprehenditur in nobis passio amoris commoditatum.

4. Adhibendi sunt mortificandarum passionũ actus interni & externi.

v. Implorandum in orationibus nostris DEI auxilium.

Sed *qui vult de omnib9 passionibus citò victoriã reportare. amorem imprimis studeat moderari & mortificare:* quia propter hunc & aliæ moventur passiones. Nihil enim homo desiderat, vel aliquo delectatur, nisi eo, quod amat: nihil aliud odit vel fugit, vel ob aliud dolet, nisi ob malum, quod bono amato opponitur: nemo etiam aliquid aliud sperat, vel ob aliud pugnare audet, nisi ob id quod amat: nemo desperat, timet, aut irascitur, nisi propter bonum, quod amat.

Itaq; si amor feratur in illicitum, seu in aliquod bonum utile, vel delectabile, vel honestum contra regulas rationis, debent ei proponi vera bona, præsertim cœlestia: ut si quis amet mundanos honores, vel divitias utiles, vel impuras delectationes, proponat sibi cœlestes Sanctorum honores, veras divitias gratiæ & gloriæ, ac æternas beatitudinis delectationes. Si verò amor feratur in aliquod licitũ, & præter regulam rationis; tunc excessus talis debet moderari: ut si quis immoderatè amet parentes, cibum, potum, vestitum, & similia, necesse est, ut hunc nimium amorem moderetur.

Unde tripliciter potest fieri moderatio passionũ.

I. QUantùm ad Modum, ut de immoderatis fiant moderatæ, quod in rebus licitis est faciendum.

II. Quantùm ad Objectum seu rem ad quam feruntur, ut à re illicita convertantur ad rem licitam,

tam, proponendo illis meliora & vera bona, vel mala vera: five per rationem humanam cognita, quale est bonum virtutis; five per fidem, per quam cognoscimus DEUM Creatorem, Redemptorem, Conservatorem & Remuneratorem nostrum: infinito honore & amore dignum: præterea cognoscimus vitam æternam, & mercedem æternam benefacientibus & sanctè viventibus; etiam infernum atq; pœnas æternas malè viventibus præparatas.

III. Quantùm ad modum & quantùm ad objectum proponendo exemplum & vitam Christi Domini nostri ad imitandum eum.

Hinc *triplex modus* pro moderandis passionibus proponitur. *Primus Philosophicus ac humanus*, qui secundùm dictamen rationis passiones moderatur dicendo: Non decet hominem ratione præditū hanc rem appetere, qui solùm ad bonum virtutis tendere debet.

Secundus modus est Christianus, quo secundum rationes, quæ ex fide ducuntur moderatio fit passionum dicendo: Non decet hominem hæc bona terrena appetere, qui ad cœlestia bona possidenda creatus est: neq; decet Christianum laborem & mortificationem vitare, sed potiùs peccatum & pœnas æternas.

Tertius modus est religiosus, qui proponendo exemplum Christi, ad imitandum eum, virum religiosum inducit.

Actus interni pro mortificandis Passionibus.

HI habentur par: 2. hujus libri videlicet, pro-

 mor-

mortificanda amoris & desiderii passione pag: 15. Gaudii 26. Odii & Fugæ 37. Tristitiæ 43. Spei 47. Audaciæ 48. Desperationis 57. Timoris 59. Iræ 70. Quibus adduntur sequentes.

Actus pro refrænandis passionibus per actus anagogicos.

PRo passione, *Amoris*, Diligam te Domine fortitudo mea. *Psal:* 17. Mihi adhærere DEO bonum est. *Psal:* 12.

O DEUS meus & omnia. *S. Franciscus.*

Desiderii. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima ad te DEUS.

Sitivit anima mea ad DEUM fortem vivũ quando veniam & apparebo ante faciem DEI. *Psal:* 41.

Desiderium peccatorum peribit. *Psal:* 111.

Desideria carnis non perficietis. *Ad Gal:* 5.

Gaudii. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in DEO JESU meo. *Habac:* 3.

Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo. *Isaiæ* 61.

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. *Psal:* 36.

Odii. Iniquitatem odio habui, & legem tuam dilexi. *Psal:* 118. (no *Rom:* 12.

Estote odjentes malum, adhærentes bo-

Fugæ. Quasi à facie colubri fuge peccatum. *Eccl:* 21.

Declina à malo & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi.

O homo DEI, hæc fuge: sectare verò justitiã, pietatem, fidem, charitatem. 1. *Tim:* 6. *Tri-*

Tristitiæ. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi ubi est DEUS tuus. *Psal:* 91.

Laboravi in gemitu meo per singulas noctes lectum meum lacrymis meis stratum meum rigabo. *Psal:* 6.

Afflictus sum & humiliatus sum nimis: & rugio à gemitu cordis mei, eò quod unquā offenderim DEUM meum, summè dilectum, ac infinitum bonum. *Psal:* 37.

Spei. Spera in Domino & fac bonitatem. *Ps:* 36.

DEUS meus adjutor meus & sperabo in eum. *Psal:* 17.

Pars mea Dominus, propterea expectabo eum. *Thren:* 3.

Audaciæ. Omnia possum in eo qui me confortat. *Philip:* 4.

Quoniam in te eripiar à tentatione in Domino transgrediar murum. *Psal:* 17.

Adjutor meus esto nē derelinquas me, neq; despicias me, DEUS salutaris meus. *Psal:* 26.

Desperationis. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me: respice & exaudi me DEUS meus. *Psal:* 12.

Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. *Jerem:* 17.

Exultabo in salutari tuo. *Psal:* 9.

Timoris. Dominus illuminatio mea & salus mea quem timebo? Dominus Protector vitæ meæ, à quo trepidabo. *Psal:* 26.

Timete Dominum omnes Sancti ejus. *Psal:* 32.

Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui. *Psal:* 118.

Iræ. Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram. *Matth:* 5.

Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. *Matth:* 11.

Et ego quasi agnus mansvetus, qui portatur ad victimam. *Thre:* 11.

Desine ab ira & derelinque furorem: noli æmulari ut maligneris: quoniam qui malignantur exterminabuntur. *Psal:* 36.

Actus externi pro iisdem passionibus coërcendis.

PRæter actus internos, etiam actus externi multùm prosunt ad passiones in nobis reprimendas: & ideò qui puerili timore mortuorum afficitur, si cadavera aliquoties contrectet, timorem expellit. Si quis iracundus opprobriis frequenter exagitetur, in dies singulos minus irascitur, ac deniq; mitescit. Si quis acediâ laboret, aquâ conspersus, vel alio modo acriore à somno excitatus, torporem illum brevi excutit. Si quis vestis novæ ac mundæ concupiscentiâ teneatur, indutus veste lacera & sordida intra dies paucos affectum illum deponit. His & similibus remediis externis uti debet, qui suas passiones domare & vincere cupit.

Jam verò si actibus illis internis & externis Oratio & constans Divini auxilii imploratio addatur, absq; negotio & citò victoria passionum habebitur: quibus exercitiis pro mortificandis passionibus præscri-

ſcriptis tam diu nobis incumbendum eſt, donec perfectum paſſionum dominium conſequamur.

CAPUT VII.

De mortificatione Appetitus rationalis, ſeu Voluntatis, præſertim Propriæ.

VOluntas humana nihil *eſt*, quàm *inclinatio ad bonum per rationem cognitum*. Dicitur autem Voluntas, quaſi volitans ad bonum ſeu finem, tanquam ad ſuum centrum, ut in eo conquieſcat. Nam ſicut res corporalis ſuo pondere tendit ad ſuum centrum: ita creatura ſpiritualis tendit voluntatis amore in bonum ſeu finem. *Et ideò S. Auguſt: ait* 8. *Amor meus, pondus meum: illo feror, quocunq; feror.* Igitur ſi voluntas noſtra tendit per amorem ad finem & bonū verum qui eſt ſolus DEUS, illiq; adhæret, tunc dicitur ordinata voluntas. Si verò ad bonum falſum & apparens, id eſt, ad creaturam, in qua ſibi voluntas noſtra depravata conſtituit ultimum finem, vocatur inordinata & perverſa voluntas. Et quoniam omnis defectus in voluntate, ſupponit defectum in intellectu: voluntas enim non aliud, nec aliter appetit, niſi quod, & ſicut ei ab intellectu proponitur; ideò curandum eſt, ut intellectus noſter verum bonum tantùm proponat voluntati: quod fiet, ſi ſemper attentus erit ad legem Divinam, quæ eſt ſuprema actionum noſtrarum Regula; & ſecundum hanc voluntatem noſtram gubernabit; nec permittet ſe ab aliqua paſſione vinci, & ad judicium erroneum deduci. Nam qui peccant ex induſtria & malitia,

quam-

quāvis ſpeculativè ſciant & judicent hoc eſſe contra Legem DEI; quia tamen attentiùs & efficaciùs cō-ſiderant delectabilitatem objecti peccaminoſi, ideò abducuntur per hanc delectationis paſſionem à Lege DEI. Itaq; nè & intellectus erret, & voluntas, attendendum eſt ſemper ad Legem DEI, quæ omni delectationi eſt præponenda. Undè & voluntas noſtra ſemper ſit ſubjecta Legi Divinæ, ſeu voluntati DEI, aut alteriùs hominis, ob amorem DEI. *Atq; in hoc conſiſtit mortificatio voluntatis noſtræ*, videlicet, *in totali ſubjectione ipſius DEI & alienæ voluntati: & per hoc voluntas propria mortificatur*, quam *S. Bern: Serm: de Reſur:* ſic deſcribit: voluntatem dico propriam, quæ non eſt communis cum DEO & hominibus, ſed noſtra tantùm: quando, quod volumus, non ad honorem DEI, non ad utilitatem fratrum, ſed propter noſmetipſos facimus; non intēdentes placere DEO, & prodeſſe, fratribus ſed ſatisfacere propriis motibus animorum.

Eſt autem *multiplex neceſſitas mortificandæ propriæ voluntatis.*

Prima eſt. Quia voluntas Propria contra ipſum DEUM infinitæ Majeſtatis inſurgit, eumq; impugnat. Nam ſubtrahit ſe ejus Dominatui, cui tanquā Auctori, ſervire debuerat.

Secunda. Quia dum homo propria voluntate regitur, ipſi DEO coronam ſurripit, eumquè inhonorat, *teſte D. Anſelmo.* Cum homo *inquit*, vult aliquid per propriam Voluntatem, DEO aufert, quaſi ſuam Coronam. Sicut enim Corona ſoli Re-

gi

gi competit, ſic propria voluntas ſoli DEO; & ſicut Regem aliquem inhonoraret, qui ſuam Coronã ei auferret: ſic homo inhonorat DEUM, qui aufert ei propriæ voluntatis privilegium.

Tertia. Quia qui omnia exteriora reliquit propter DEUM, propriam nihilominùs retinet Voluntatem, hic DEO viliſſima quæq; obtulit, & ſibi pingue holocauſtum propriæ voluntatis tanquam idolo conſecravit.

Quarta. Quia Propria voluntas eſt immenſum onus, quod, nè ad perfectionem ei elevemur, nos impedit, & ad omnia terrena multaſq; imperfectiones inclinat.

Quinta. Quia impoſſibile eſt, quemquã poſſe affectus ſuos, & vitia vincere, niſi propriam Voluntatem prius vicerit, ſecundum judicium antiquorũ Patrum, & Magiſtrorum Spiritualium.

Sexta. Multitudo damnorum noſtrorum, quæ ex propria Voluntate immortificata oriuntur, quæ *Laurent: Juſtin de Diſcipl: Monaſt: Cap:* 7. recenſet. O malum, *inquit*, deteſtabile! per te Angelorum ruina facta eſt, & Cœlorum agmina minorata: per te deliciarum paradiſus homine orbatus eſt, & humanum genus innumeris cladibus ſauciatum: te ſvadente corruit Adam, & innocentiæ ſtola nudatus eſt: à te dominandi ambitio, & à Deo apoſtatandi ſumpsêre principium. Tu cunctum perturbas orbem, & plurimis reples flagitiis. Tu bellorum diſcordias generas. Tu pacem fugas, & odiorum venena diſſeminas. Tu infernum ditas, & gehen-

gehennalibus flammis fomentum subministras. In Cœlo prævaluisti, & in hoc sæculo principaris.

Septima. Quia per abnegationem propriæ voluntatis, quies animæ desiderata acquiritur, nec quisquam sinè illa ad veram pacem pervenire potest.

Octava. Quia in hac salus nostra consistit, juxta verba Christi dicentis: *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Qui, sunt hi violenti? quærit Abbas Abraham *apud Cassianũ Coll:* 24. *cap:* 26. nempè illi, qui non aliis, sed voluntatibus suis præclaram inferunt violentiam: Quod fit per obedientiam perfectam *de qua sic B. Catharina Bononiensis, in libello DEI mandato conscripto:* Quis dubitare potest de sua salute, si finiat vitam in obedientia, quæ plùs similem illum facit Domino suo Christo, quàm ulla alia virtus?

Nona. Quia est fundamentum vitæ spiritualis & perfectionis, hæc abnegatio propriæ voluntatis, in qua quantos progressus aliquis facit, tantos etiam in perfectione facit. Unde & libertas spiritus, quàm habent perfecti, & in qua, omnis, quæ in hac vita desiderari potest, consistit felicitas, ac bonum, per obedientiam promptam, (*hoc est per abnegationem propriæ Voluntatis*) acquiritur, ut *S.M.N. Theresia L. Fund: cap: 5. testatur.* Et ideò Abbas Joannes *apud Cassianum Coll: 9. cap: 8. finem ait Cœnobitæ esse.* (Cujus est obligatio tendere ad perfectionem) *omnes suas crucifigere voluntates.* Unde adeò est necessaria, in statu religioso viventibus hæc mortificatio voluntatis, *ut DEUS revelave-*

laverit B.M. Magdalenæ de *Pazzis*, inter quinq; res à DEO petendas ad cujusvis ordinis conservationem necessarias, quintam esse: *ut Religiosi perfectè agnoscant, quanti momenti sit, abnegatio propriæ voluntatis. Idem, sic B. Brigittam alloquitur:* & præcipio, & mando, & consulo, & permitto, obedire, ut teneris. Hoc præcipio, quia DEUS tuus sum: hoc mando, quia Dominus tuus sum: hoc permitto tibi, quia Sponsus tuus sum: hoc cobsulo, quia amicus tuus sum. *Lib: 2. Revel: c. 16. Decima.* Propter exemplum Christi, qui non venit in mundum facere voluntatem suam, sed Patris Æterni, ad quem proximus morti sic ait: non mea, *inquit*, voluntas, sed tua fiat. *Qui sic de seipso ad S. Brigit. loquutus est olim:* Ego DEUS præ omnibus, perfectissimus, & ipsa perfectio, obedivi Patri usq; ad crucem, ut ostenderem exemplo meo, quam placitum est DEO, abnegare proprium velle. *Lib: 2. Revel: c. 121.*

Qui igitur Propriam vult obnegare voluntatē, solius DEI in omnibus faciat semper voluntatem; & frequenter cum Apostolo dicat: *Domine quid me vis facere?* Et cum Psalmista. *Paratum cor meum, DEUS, paratum cor meum.*

Præterea omne malum fugiat, quod est verum germen propriæ Voluntatis nostræ semperq; DEI voluntati contrarium. *Bona quoq*, ut sunt virtutes, non propter se, sed *ut DEO placeat, operetur.* Immò *etiam Mediis*, ut sunt cibus, & potus, somnus, &c. non ad proprium commodum, sed *ad DEI placitum implendum utatur.* *In-*

Insuper ad vincendam propriam voluntatē *magis velit subesse, quàm præesse* potiùs aliis obedire, & alterius ductu regi, quàm cæteris imperare. Nā multi sunt. *Auctor quidam Asceticus, ait,* qui pluribus paulò suprà alios annis in Religione transactis, & paucis aliquibus laboribus exantlatis, Regimen aliorum sibi deberi putant: & ideò aliorum voluntate regi nolunt; non sustinent de suis defectibus corrigi; non acquiescunt Officia inferiora sibi à Superioribus demandata prompto animo exequi; sed omnia volunt ex propria voluntate & suo placito facere. *Quos omnes B. Cæsarius hom: 27. sic allæquitud:* non te fallat, inquit, ô frater, numerus dierum, quos hîc, relicto corporaliter sæculo, consumpsisti. Illum tantùm diem vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegasti, quem sinè ulla regulæ transgressione duxisti.

Actus mortificandæ Propriæ voluntatis habentur par: 2. pag: 28.

CAPUT VIII.

De Mortificatione Amoris proprii.

HIc Amor est Affectus quidam animæ quæ quis vult sibi omnia bona propter seipsum, & fugit omnia adversa propter seipsum, vel sistendo in seipso, tanquam in fine. *Qui Amor vocatur etiam Amor sui:* & ordinarie sumitur pro amore inordinato & malo, *de quo S. Thom: 1. 2. q. 77. a. 4. in corp:* docet quòd sit causa omnis peccati, quo homo amat se secundum naturā sensitivam, seu partem inferiorem, non autem se-

cundum partem rationalem ſeu ſuperiorem. Et quoniam hic Amor proprius eſt multis ignotus; ideò ut facilè ab omnibus cognoſcatur, ſigna ipſius proponuntur, quorum *Primum eſt* Æſtimatio ſui, quâ quis in ſeipſo deceptus ſe quid magnum putat, omnia dona ſua naturalia, aut ſupernaturalia magna æſtimatione digna exiſtimat, in omnibus ſibi complacet, ſuos defectus extenuat, labores exaggerat.

Secundum. Quod homo per Amorem proprium ferè ſemper laudem, & honorem, & excellentiam ſuper alios deſiderat.

Tertium. Inanis quædam erubeſcentia, quâ homo de aliquibus defectibus, vel à natura, vel aliunde provenientibus erubeſcit: jam verò defectus animæ, videlicet, carentiam virtutum, inobedientiam, loquacitatem, & innumera vitia ſua non agnoſcit, nec propter illos confunditur.

Quartum. Timor ille, quo quis timet contemptum, & propriam vilipenſionem.

Quintum. Abſconſio eorum, quæ opinionē noſtram minuere poſſunt, per quam vitia & culpas ſuas atq; defectus aliquis occultat: non quidem ob ædificationem proximi, ſed ad obtinendum apud alios nomen ſanctitatis, aut virtutis quā non habet.

Sextum. Nimia quædam cura poliendi & perficiendi ea opera, quæ ſunt homines viſuri, vel audituri. Unde tales vanitatis & mundi Martyres à Magiſtris ſpiritualibus vocantur ex quibus ſi aliqui ſunt concionaturi, ingenti ſollicitudine torquentur, ſubtilia inveniendi, curioſa ac inania proponendi,

non

non ut animas per hæc lucrentur, ſed ut dicenti honorem, & ſapientis opinionem apud Auditores concilient.

Septimum. Amor & deſiderium bonorum temporalium,& eorum quibus ſenſualitas delectatur,non ad neceſſitatem, ſed ad ſuperfluitatem: quo vitio Religioſi ſæpè laborant, qui tot res non neceſſarias, tot curioſas, tot pulchras & exquiſitas, tot ſupervacuas habent, quibus non neceſſitati ſuæ ſuccurrere, non imbecillitatem ad DEI obſequiũ fovere, ſed tantummodò iſtis rebus ſeipſos, ſupra votũ Paupertatis, oblectare volunt.

Octavum. Quod homo, qui tenetur Amore ſui, deſiderat ſemper illicitas, aut non neceſſarias voluptates,quibus ſenſus externi & interni delectantur. Unde quærit pulchra, quæ paſcant viſum nova curioſa, quæ mulceant auditum:ſvavia quæ capiant odoratum; dulcia, quæ oblectent guſtum: mollia, quæ ineſcent tactum: in quibus omnibus dum oblectationem quærimus, dolorem, & conſcientiæ remorſum reperimus.

Sunt autem plures Modi Amorem proprium mortificandi.

Primus eſt. Diffidentia de teipſo, qua tibi ipſi, tanquam omnis imbecillitatis abyſſo diffidas, & in ſolo DEO Potentiſſimo, benigniſſimo, ac omnium bonorum Auctore confidas.

Secundus. Eniti magis ac magis Amorem DEI augere & Divini Amoris affectibus, ſi fieri poteſt, ſingulis momentis ſe occupare, qui affectus efficient,

ent, ut nos, & reliqua propter DEUM diligamus, & sic illum Amorem proprium in nobis extinguamus.

Tertius. Rectam intentionem in omnibus habere, ita ut in cunctis cogitationibus, desideriis, verbis, & actionibus non teipsum, sed DEUM, ejusq; beneplacitum & gloriam inquiras, & omnia in ejus honorem dirigas.

Quartus. Contemnere seipsum, neq; timere cōtemptum apud homines, quo te dignissimum judicabis. Et ideò ob defectus naturales nunquam erubescere: nec illos abscondere, immò aliquando eos coram aliis revelare debes.

Quintus. Nolle singulariter ab hominibus amari, aut timeri, nec laude ac reverentia affici: neque curare quomodo hominibus placeat, aut displiceat.

Sextus. Corpori bellum perpetuum indicere castigando & affligēdo illud assiduè: sensus omnes non tantùm ab illicitis, verum etiam à licitis comprimere: quod sane non erit difficile, si corpus tuum hostem tuum esse consideres.

Septimus. Ut Religiosus, qui omnia pro Christo reliquit, paupertatem amet, cui sit vilis vestis, lectus moderatè instructus, cibus communis & omnia non vanitati, sed puræ, necessitati deserviant, quæ si etiam defuerint, patienter ferat.

Octavus. Odium sui perpetuum habere, ex quo odio unusquisq; omnia molesta corpori eligat, cuncta svavia carni subtrahat, in omnibus seipsum abneget & mortificet, suæq; voluntati contradicat, idq; non tam ob suum profectum, quam ut DEO gra-

tum per hoc præſtet obſequium, eiq; placeat. Et quia hoc odium ſui, eſt ſpeciale Donum DEI, ideò inſtanter orandum eſt, ut bonis concedatur, & Amor proprius penitus in nobis extingvatur. Porrò *qui vult facilè Amorem propriū cognoſcere & mortificare, hanc doctrinam S. M. Magdal: de Pazzis ſequatur, quæ dicebat*: Duos eſſe oculos Amoris proprii; alterū propriam reputationem: alterū propriū commodum: qui ſi eruantur, amorem proprium timendum non eſſe. *Actus interni Amorem proprium mortificandi habentur Par: 2. pag: 7.*

CAPUT IX.

De Mortificatione Intellectus, & Judicii proprii.

S. Thom: 12. q. 74. ar: 5. in corp: docet: Rationem ſeu Intellectum duplicem habere Actū. *Unum*, quo cognoſcit aliquod verum. *Alterum*, quo dirigit alias vires: ſeu, quo judicat de rebus agendis, qui actus vocatur Judicium proprium. Et quoniam intellectus noſter per peccatum Adæ incidit in cæcitatem & ignorantiam, propter quam homo & in inquiſitione atq; cognitione veritatis errat; & quid faciendum ſit, aut vitandum ignorat: ideò quoad utrumq; Actum indiget mortificatione.

Et imprimis quantùm ad actum primum, *Intellectus noſter mortificandus eſt:* quando homo per curioſitatem multa vana & inutilia diſcit: inutilia verò ſunt, quæ neq; DEI obſequio, nec proximorum utilitati, nec diſcentium ſtatui conveniunt.

Secundò, quando homo illa quæ ſecundum ſtatum ſuum debet ſcire negligit: videlicet, quando Con-

Confessarius casus conscientiæ non legit; vel quando Religiosus ex Ordine Mendicantium discere cõtemnit illa, quibus proximum ad salutem juvare posset.

Tertiò, quando homo debitum modum in discendo non servat: sicut facit ille, qui non propter gloriam DEI, & animarum salutem, & profectum animæ suæ, veritatis cognitionem inquirit: qui novitates tantùm sequitur; qui doctrinã communem, propter rationes tantùm probabiles, facilè deserit: qui antiquorum Sapientum auctoritatem minimè veneratur: qui scientiam non instrumentum virtutis, sed finem virtutis facit: qui tempora inter doctrinam & exercitium bonorum operum, ac virtutum non partitur: qui horas debitas cultui Divino & Orationi non relinquit.

Deinde Intellectus noster quantum ad Judicium proprium mortificandus est. Tunc autem *proprium Judicium dicitur*, quando non est DEI nec hominũ Sapientũ sensui cõforme, sed singulare nostrũ, ab aliorum sententia dissentiens: quod maximũ est Intellectûs nostri vitium, ex superbia & præsumptione nostra natum, qua quis seipsum magnum aliquid reputat, alios verò despicit, & scientia ac prudentia minores existimat. Unde qui hoc proprium judicium non abnegant manifestum incurrunt errandi & corruendi periculum.

Igitur, *qui vult proprium Judicium mortificare, & abnegare, debet primò* nulla ratione veram illam opinione, putarẽ quã omnes Sapientes falsã esse judicârunt.

Secundò. Rebus à tota Congregatione probatis, & summa omnium consensione susceptis, non esse contrarium.

Tertiò. Majorum decreta nunquam reijcere, nec illa ad examen vocare.

Quartò. In rebus ad vitam propriam & mores pertinentibus aliorum judicio potiùs, quàm proprio gubernari.

Quintò. Omnes res alicujus momenti nunquã sinè consilio præveniente disponere: & omnes actiones satiùs ex aliorum judicio, quàm ex propria sententia executioni mandare.

Sextò. Tunc maximè à proprio judicio cavere, quando nostrum interest: tunc enim inhærendo nostro judicio facilè decipimur.

Septimò. In aliorum facta non se intromittere; nec Superiorum directionem condemnare; nec seipsum aliis præferre.

Actus interni pro mortificando proprio Judicio habentur Par: 2. pag: 17.

CAPUT X.

De Vitiorum exstirpatione.

QUandoquidem ex immortificatis sensibus, passionibus, voluntate, amore, & judicio proprio vitia generantur; ideò post doctrinam de mortificatione prædictorum, de vitiorum eradicatione est tractandum.

Est autem Vitium, Habitus seu dispositio prava ex peccato relicta inclinans ad peccandũ. Differt autem Vitium à Peccato; quia Peccatum dicit

actum

actum ſecundūm & tranſeuntem, vitium autem dicit habitum ſeu diſpoſitionem permanentem. Vitiū ſimul eſt effectus, & cauſa peccatorum: effectus quidem præcedentium peccatorum, quibus iteratis generatur; cauſa verò ſubſequentium, ad quæ voluntatem inclinat. Dum enim aliquis peccatum in aliqua materia committit, v.g. furti per iterationē ejuſdem peccati acquiritur quædam diſpoſitio prava, inclinans ad facilè & delectabiliter peccandum in eadem materia: hæc prava diſpoſitio per actuum frequentationem augetur, magiſq; radicatur, per quod fit habitus difficilè mobilis à ſubjecto, & quodammodo tranſit in naturam: vitium namq; radicatum inolevit pro natura. Unde non tam evacuandum eſt vitium, quàm exſtirpandum; quia conſiſtit in habitu radicato, & non in actu tranſeunte; ſicut peccatum. Qui autem vult peccata vitare, vel evacuare, debet vitia, quæ ſunt cauſæ & principia peccatorum, eradicare.

Eſt autem maximoperè neceſſaria vitiorum eradicatio viris ſpiritualibus, & omnibus ad ſtatum perfectionis pervenire deſiderantibus.

Primò. Quia ſinè hac eradicatione nemo perfectionem conſequi poteſt, cum enim ſtatus perfectionis in virtutum acquiſitarum poſſeſſione conſiſtat, & vitia virtutibus contraria, virtutum acquiſitionem impediant; propterea totis viribus vitia eradicare debet, qui virtutes acquirere, & ad perfectionem pertingere exoptat.

Secundò. Quia vitium, *ſecundum S. Chryſoſt.*

est dirus Tyrannus, qui libertatem nostram eripit. Vitium, *secundùm B. Cæsarium*. est dæmon, cor nostrum possidens. Unde quot vitia, *inquit*, habuerit homo, tot habet dæmones.

Tertiò Quia vitium est naturæ nostræ contrariũ, quæ cũ rationalis sit, debet ratione & lege Divinâ regi: vitium autem facit homines more pecudum contra rationem & legem DEI vivere.

Quartò. Quia propter vitia homo redditur DEO invisus, qui cum sit fons infinitæ bonitatis, malitiã vitiorum odio habet & aversatur. Ut igitur DEO placeat, ipsiusq; Divinæ Majestati cor mundum tanquam desiderabile habitaculum præparet, antiqua vitia exstirpet, & nova vitet.

Quintò. Quia homo per vitia est suæ saluti inimicus; est sibimet infestus: nam detractor os suum & lingvam commaculat: impudicus corpus suum fædat: invidus, intima præcordiorum exulcerat: gulosus, corpus & animam gravat:: iracundus, mẽtem suam obnubilat.

Sextò. Propter multitudinem damnorum, quæ animabus nostris vitia afferunt, quæ damna *S. Bern: Ser: ad frat: de monte D. recenset.*

Possunt autem eradicari vitia duplici modo.

PRimò, per cessationem actuum vitiosorum & odium vitiorum. *Secundò* per actus contrarios: Omnes enim habitus duplici viâ destruuntur: efficaciùs tamen & citiùs secundâ. Itaq; *quicunq; vult vitium expugnare*, debet in principio tentationibus & impugnationibus fortiter resistere,

nè ad vitiosos actus relabatur: & odium verum cōtra vitia in animo concitare & fovere. *Debet prætereà* contrariis virtutū actibus vitia impugnare, *ut svadet S. Bern: de ord: vitæ dicens:* Adversùs impetus vitiorum contrariis virtutibus est pugnandum, contra luxuriam adhibeatur cordis munditia, contra odium dilectio, contra iracundiam patientia, contra timorem fiduciæ virtus, contra torporem fervor boni studii, opponatut tristitiæ gaudium, acediæ fortitudo, avaritiæ largitas, superbiæ humilitas. *Ad hæc adhibeat* fervidas ad DEUM orationes, sinè cujus auxilio nihil possumus. Oratio namque non solùm Divinā flectit Majestatē, ut nobis in necessitate succurrat, sed etiam animæ vires ad fortiter agendum subministrat. *Adhibeat prætereà* rationabilem corporis mortificationem, ut subjecto rationi corpore, faciliùs vitia superentur, quæ non nisi inordinatis motibus corporis generantur ac foventur.

Licet autem cuncta vitia eradicanda sint, non tamen omnia simul aggredienda sunt, sed singula seorsim; & incipiendum ab illis, quæ magis radicata videntur, ac magis animæ dominantur: his enim quasi ducibus superatis, reliqua facilè vincuntur ac dissipantur. *Noverimus tamen* quòd nón sufficit unum & alterum vitium eradicare, sed cuncta sunt extirpanda. Nam sicut virtutes ita sunt connexæ, ut se simul concomitentur, nec una sinè aliis possit in statu perfecto reperiri; sic contingit & vitiis, quòd facilè se mutuò concomitentur, & unū

retentum alia revocet: & quamvis minimum videatur, aditum tamen ad animam dæmoni præbebit, qui solet eam aggredi, quà parte noverit esse debiliorem.

Et quamvis multæ sint vitiorum species, de quibus sequenti Exercitio tertio agetur, ubi de virtutibus tractabitur: hîc tamen *septem capitalia vitia recensentur* quorum *Primum est, Superbia*, quæ est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, cui debetur honor & reverentia. *Dicitur autem tripliciter Superbia* ut S. Thom: 1. 2. q. 84. ar: 2. in corp: docet *Primò*. Inclinabilitas seu pronitas ad superbiendum, ex flexibilitate naturæ vel corruptione fomitis actualis. *Secundò*, Elatio contra præceptum, vel inordinatus appetitus excellentiæ, in quacunq; re; *Tertiò* inordinatus appetitus excellentiæ, cui debetur honor & reverentia: prima est initium vel radix omnis peccati: secunda est generale peccatum, quod in omnibus peccatis reperitur: tertia verò est peccatum speciale, & est unum de septem capitalibus.

Sunt autem quatuor species Superbiæ secundum S. Gregor: lib: 33. *Moral cap:* 7. Æstimare bonum à seipso habere: sibi datum desuper pro suis accepisse meritis credere: gloriari se habere quod non habet: & cæteris despectis appetere videri singulariter habere quod habet. Ultrà istas species *S. Bern: ponit duodecim gradus Superbiæ*, qui sunt, *Curiositas*, per quam aliquis curiosè ubiq; & inordinatè circumspicit: *Levitas mentis*, per quam homo

mo superbè se habet in verbo. *Inepta lætitia*, quâ homo est facilis & promptus in risu. *Jactantia*, non tacens usq; ad interrogationem *Singularitas*, per quam aliquis sanctior aliis vult apparere. *Arrogantia*, per quam homo se aliis præfert. *Præsumptio*, per quam aliis reputat se sufficientem ad majora. *Defensio peccatorum*, per quam aliquis suos defectus excusat. *Simulata confessio*, per quam aliquis non vult subire pœnam pro peccatis, quæ simulatè confitetur. *Rebellio*, despiciens obedire. *Libertas*, per quam homo delectatur liberè facere quod vult. *Peccandi consvetudo*, per quam homo excutit DEI timorem, Deumq; contemnit. *De quibus gradibus superbiæ Par: 2. sunt Actus interni pro mortificando vitio superbiæ pag: 18. Ibidem sunt Actus Humilitatis contrariæ virtutis huic vitio: pag: 20.* Et quoniam Inanis gloria immediatè oritur ex superbia, ut ait S. Thom: tanquā ex causa, à qua differt ex eo, quia superbia appetit excellentiam; inanis verò gloria appetit manifestationem ejus: propterea communiter conjungitur cum Superbia. Quamvis etiam inanis gloria sit vitium capitale secundum S. Thomam. Nam *omne vitium capitale illud dicitur ex quo alia vitia oriuntur:* ex inani autem gloria oriuntur septē vitia, scilicet, jactantia, præsumptio novitatum, hypocrisis, pertinacia, discordia, inobedientia & contentio, per quā aliquis contra alium litigat clamorosè, de quibus par: 2.

Secun-

Secundum vitium capitale dicitur Avaritia, quæ eſt immoderata cupiditas habendi temporalia: Cujus filiæ ſunt ſeptem, Obduratio, Violentia, inquietudo, fallacia, fraus, perjurium, proditio, *de quibus Par: 2. ſunt Actus interni pro eradicando Avaritiæ vitio pag: 30. & Actus Paupertatis virtutis contrariæ avaritiæ pag: 32.*

Tertiũ eſt Luxuriæ, quæ eſt appetitus impuræ voluptatis. Cujus filiæ numerantur octo: cæcitas mentis, inconſideratio, præcipitatio, inconſtantia, amor ſui, odium DEI, affectus præſentis ſæculi, deſperatio futuri ſæculi. *Gradus hujus vitii ſunt quinq;* aſpectus, cogitatio, delectatio, conſenſus, opus, *Actus interni pro exſtirpando hoc vitio habentur Par: 2. pag: 41. Ibidem ſunt Actus Caſtitatis contrariæ virtutis pag: 42.*

Quartum Invidia, quæ ex inani gloria naſcitur, & eſt Mæſtitia de bono alterius, quatenus proprium bonum diminuere creditur: cujus ſunt quinq; filiæ odium, ſuſurratio, detractio, lætitia de adverſis, afflictio de proſperis. *De quibus Par: 2. ſunt Actus interni pro exſtirpando hoc vitio p. 49. Et Actus Charitatis contrariæ virtutis pag: 51.*

Quintum Gula, quæ eſt inordinatus appetitus cibi & potûs: *cujus ſpecies hoc verſiculo comprehenduntur.*

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudiosè *Ejuſdem quinq; filiæ numerantur.* Inepta lætitia,

ſcur-

ſcurrilitas, immunditia, ſtultiloquium & hebetudo mentis; *de quibus Par: 2. ſunt Actus interni pro eradicando hoc vitio p. 60. Et actus Abſtinentiæ virtutis contrariæ p. 61.*

SextumIra, quæ eſt immoderatus appetitus vindictæ. *Sunt autem Iræ ſpecies tres, Ira,* quæ vocatur *fellea: Maria*, quæ vocatur inſania; *&* *Furor.* Per primam homo celeriter iraſcitur: per ſecundam, diu iram ſervat; per tertiam, donec ulciſcatur homo non quieſcit. Hinc & *iracundi dicuntur eſſe triplices*, acuti, amari, & difficiles. *Filiæ verò vitii Iræ ſunt ſex*, ſcil: Rixa tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, & blaſphemia. De *quibus Par: 2. ſunt Actus interni pro exſtirpando hoc vitio p. 70. Et Actus Manſuetudinis contrariæ virtutis p. 72.*

Septimum Acedia, quæ eſt triſtitia de bono ſpirituali Divino: *cujus filiæ numerantur ſex*, malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor, & mentis evagatio: *de quibus Par: 2. ſunt Actus interni pro exſtirpando hoc vitio p. 8. Et Actus Diligentiæ contrariæ virtutis p. 10.*

Quamvis nullus miles Chriſti, & vir ſpiritualis debeat ceſſare unquam à pugna contra vitia, nec quaſi victor illorum gloriari; quia penè extincta reſurgere valent, ſi ſecurus vivat: natura namq; noſtra corrupta pabulum & vires vitiis ſemper ſubminiſtrat: tamen poteſt aliquis habere *quædam eradicatorum vitiorum ſigna. Unum eſt*, Pax interna animæ, *Alterum eſt*, Facilitas & delectabilit[illegible] in

exer-

exercitio virtutum. Sed præter hæc possumus alia habere judicia cujuslibet vitii capitalis jam exstirpati. Si unusquisq; expendat diligenter naturam omnium vitiorum, ac filiarum eorum: & Actus internos pro quolibet vitio exstirpando designatos, atq; Actus contrariæ virtutis, locis supra citatis, inde cognoscetur utrum jam exstirpaverimus hæc vitia vel non? quâ in re tam diu desudare debemus, donec appareat manifestatio eradicationis eorum.

Quòd si aliquis se profecisse in hoc agnoverit, gratias Domino maximas referat, & in illo solo glorietur; ac suppliciter à DEO postulet continuationem victoriæ de his hostibus animæ suæ usq; in finem hujus vitæ, ut post mortem gloriosè de illis triumphet.

EXERCITIUM TERTIUM
VITÆ SPIRITUALIS EST VIRTUS.
CAPUT I.
De virtutis necessitate.

INter exercitia viri spiritualis potissimum est virtutum. Nam ille propriè dicendus est vir spiritualis, qui relictis actibus sæcularibus, vitam operibus bonis, ac virtutum acquisitioni dedicavit, ad quarum amorem & inquisitionem efficaciter unumquemq; nostrum potest movere ipsarum honestas pulchritudo, utilitas, & delectabilitas: de quibus fusè satis actum est superiùs, de modo meditandi de virtutibus: Hîc tantummodo ponitur *descriptio virtutis cujusdam Ascetici Doctoris dicentis:*

Virtus est supplementum naturæ, ornamentū mentis, facilitas boni operis; quâ benè sanctèq; vivimus, quâ veris malis, scilicet, peccatis resistimus, quâ meritis cumulamur, quâ vitam æternam promeremur, & Christi imagines, ac DEI imitatores efficimur. Quæ descriptio sicut multùm commendat virtutes, ita ad amplectendum eas etiam tepida corda facilê accendit.

Sciendum est, animam nostram nudam à DEO creari, hoc est, sinè habitibus vel formis, quibus perfectè & completè bonum rationis, verumq; attingat. Habet tamen potentias & capacitatem ut prædictos habitus, vel proprio labore acquirat; vel per infusionem à DEO recipiat. Residet autē hæc capacitas in parte rationali: & etiam in sensitiva, quatenùs ex conjunctione ad rationem aliquid ejus participat; unde dicitur rationalis per participationem. *Est autem in parte rationali solùm duplex potentia:* intellectus & voluntas: (memoria enim prout pertinet ad partem intellectualem, non differt secundùm rem ab ipso intellectu) *& in parte sensitiva est duplex potentia appetitiva*, irascibilis & concupiscibilis, quæ possunt esse subjectum virtutum: quarum potentiarum virtutes, dicuntur supplementum, complementum, & perfectiones: quia sinè illis non possunt suos actus rectos, & moraliter bonos, seu rectæ rationi conformes producere. Excedit enim vires illarum potentiarum bonitas moralis, & rectitudo ordinis ad rationem, & legem Divinam, quæ sunt regulæ actionum nostrarum.

(*Boni-*

(*Bonitas autem moralis est ipsa conformitas actus cum ratione*) & ideò debent illæ potentiæ compleri & perfici, per virtutū habitus, ad hoc ut producant suos actus rectos & bonos, seu rectæ rationi conformes.

Ex quo patet, *ad hoc poni virtutem in potentia humana, ut compleat & perficiat illam, tribuatq; ei vim ad rectè & faciliter operandum*, quam vim ipse habitus virtutis habet à potentia superiori scilicet, à ratione à qua movetur. Etsi illa motio fit ante habitum acquisitum, tunc fit per modum passionis & transeuntis; & illa operatio, seu actus fit cum difficultate, quod si potentia inferior frequenter moveatur à ratione ad suos actus rectos & bonos, jam tunc per illas frequentes motiones rationis acquiritur habitus, & actus fiunt tunc omnes promptè, faciliter, & delectabiliter: quia prædicta motio est facta connaturalis potentiæ habituatæ, ratione ipsius habitûs.

CAPUT II.

De virtutis definitione, & divisione.

DEfinitur virtus, *quod sit habitus bonus, quo rectè vivitur, quo nullus malè utitur.* Seu secundùm Sanctum Augustinum; *quod sit bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur quâ nullus malè utitur, quam DEUS in nobis sinè nobis operatur:* quæ definitio convenit cuilibet virtuti, præter ultimam partem, quæ convenit tantùm infusæ virtuti. Ubi *Qualitas* ponitur loco generis: & *Bona* ponitur loco differentiæ virtutis à vitio *Mens*

verò

verò hîc dicitur non ipsa anima, sed ejus potentiæ rationales, ut intellectus & voluntas, & etiam appetitus sensitivus prout est rationalis per participationem. Per verba *Quâ rectè vivitur*, ostenditur virtutem esse principium proximum boni actûs: quia *Ly vivitur*, non sumitur pro Esse viventis, sed pro operatione. Per verba. *Quâ nemo malè utitur*, differt virtus à quibusdam habitibus non ita determinatis ad bonum, quin possint ad malum seu falsum concurrere, ut opinio, & fides humana. Virtus autem neq; ad malum, neq; ad falsum inclinare potest.

Aliâ viâ ostendit D. Thom: prædictæ definitionis bonitatem, quia notificat virtutem per omnes suas causas. Formalis enim exprimitur cum dicitur *bona qualitas:* hoc quippè est virtus formaliter & in recto, Materialis, cum dicitur *mentis:* nã subjectũ virtutis tantùm potest esse potentia rationalis, vel quæ participat rationem, videlicet, appetitus sensitivi, Finalis per verba. *Quâ rectè vivitur* &c. Finis enim virtutis est, Actus vitalis bonus & rectus Deniq; ultima verba *Quàm DEUS in nobis* &c. ostendunt causam efficientem esse DEUM infusæ virtutis, quæ causatur in nobis à DEO sinè nobis agentibus, non tamen sinè nobis consentientib9.

Dividitur autem virtus Primò. In Acquisitã & infusam. *Acquisita dicitur illa*, quæ nostris actibus acquiritur. Nullam enim virtutem habemus à natura, nisi secundum aptitudinem & inchoationem, sed acquirimus eam per frequentationem a-

ctuum secundum perfectionem. *Infusa est*, quae à solo DEO infunditur: & tales sunt virtutes Theologicae: Fides, Spes, Charitas; & aliae virtutes morales, quae in instāti justificationis cū gratia sanctificāte infunduntur, ut pedissequae charitatis, quibus anima decenter ornatur. Nam DEUS non minùs perfectè providit ordini gratiae, ac providit ordini naturae; cū ordo gratiae sit multò nobilior & superior ordine naturae. Ideò non debuit ille esse DEO minoris curae ac providentiae, quàm iste: DEUS autem ordini naturae sic providit, ut ad esse substantiale intellectualis naturae, statim à principio conditionis ipsius consequerentur potentiae, quasi proprietates illius naturae, ut esset perfecta & quantum ad esse, & quantùm ad operari, quae potentiae sunt ejusdem ordinis naturalis cum ipso esse, ac ipsi proportionatae. Unde etiam ordini gratiae sic providit, ut ad esse supernaturale participatum per gratiam, consequerentur potentiae sanctificantis, statim à principio infusionis ipsius gratiae, ut sic natura intellectualis esset perfecta in ordine gratiae, & quantum ad esse, & quantùm ad operari: hae autem potentiae sunt tam virtutes Theologicae circa ultimum finem immediate, quàm virtutes morales infusae circa media ad illum finem; quae dicuntur potentiae, quia sunt tota virtus agendi proxima.

Est autem multiplex discrimen inter virtutes infusas, & acquisitas. *Primum est:* nam infusae sunt ordinis supernaturalis seu gratiae: acquisitae verò sunt ordinis naturalis. *Secundum:* nam infusarum prin-

principia sunt virtutes Theologicæ: acquisitarum verò principia sunt rationis naturalis practica: videlicet, Synderesis, & Appetitus naturalis beatitudinis in ordine naturæ; ex quibus principiis procedunt virtutes acquisitæ, sicut ex virtutibus Theologicis procedunt infusæ. *Tertium*: in modo operandi: nam infusæ operantur secundum legē Divinam & fidem: acquisitæ verò secundum dictamen rationis naturalis. Patet hoc in cibi & potûs sumptione. Nam secundum temperantiam acquisitam homo temperatè sumit cibum & potum secundum regulam rationis humanæ, videlicet, ut non noceat valetudini corporis, & nè impediat actum rationis. Jam verò secundum temperantiam infusam homo temperatè eundem sumit cibum & potum juxta legem Divinam, quam fides docet, ut, scilicet, parcitate cibi, vel satisfaciamus pro peccatis nostris: vel ut corpus castigetur & in servitutem redigatur: vel ùt compatiamur Christo & conglorificemur. Quod valdè notandum est Religiosis, ut hoc modo altiori & Diviniori exerceant actus moralium virtutum. *Quartum:* Quod infusæ unâ cum gratia percipiuntur, & amissâ gratiâ etiam illæ amittuntur: acquisitæ verò sinè gratia cónsistere possunt. *Quintum:* Nam acquisitæ virtutes subjugant in nobis passiones, & vitia virtutibus contraria exstirpant, & per assiduos actus omnem difficultatem auferunt: infusæ verò dant vires nobis ad creberrimos congressus, ut pax animæ comparetur. Unde patet quòd amissâ gratiâ per peccatum, &

ſimul virtutibus infuſis amiſſis, non tam facilè virtutes exerceri poſſunt. *Sextum eſt*, quia acquiſita virtus dirigit ſuos actus ad finem naturalem, qui eſt virtutis honeſtas & conformitas ad rationis regulam, infuſa verò ad ſupernaturalem, ſcilicet, ad felicitatem æternam aſſequendam: & propter hoc ſpecie inter ſe diſtingvuntur.

Secundò dividitur virtus in politicam purgatoriam, purgati animi, &. exemplarem.

Exemplaris in ſolo reperitur DEO, in quo exemplar humanæ virtutis præexiſtit. *Circa quod notandum eſt*, quod ex virtutibus Cardinalibus, quæ ponuntur exemplariter in DEO, ſola Prudentia & Juſtitia eſt formaliter in illo: quia iſtæ ſecundum formales rationes poſſunt ab imperfectionibus denudari: Fortitudo verò, & Temperantia non ſunt formaliter in DEO, ſicut neq; in Angelis, eò quòd ex propria ratione poſtulant verſari circa paſſiones appetitûs ſenſitivi. Unde ſolùm ponuntur in DEO eminenter virtualiter, ſicut omnis alia perfectio in creaturis reperta, quæ nequit ſecundum ſuum formalem conceptum ab imperfectionibus ſecludi. *Etiam virtutes Christi Dñi reſpectu noſtrarũ dicuntur exemplares:* Nam ſicut ejus Reſurrectio eſt cauſa exemplaris noſtræ, ſic ejus virtutes noſtrarum ſunt exemplar ad imitandum propoſitum; juxta illud ad Rom: 8. Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui. Et 1. Corynt: 15. Portemus & imaginem cœleſtis: id eſt, obedientiam & virtutẽ Chriſti: ut exponit Interlinearis.

S.

S. Verò Thom: docet: *ut virtutes cardinales existunt in homine* secundùm conditionem suæ naturæ, prout, scilicet, ordinatè se habet in rebus humanis gerendis, *dicuntur Politicæ:* ut sunt virtutes tendentium in Divinam similitudinem *vocantur Purgatoriæ:* ut sunt jam Divinam similitudinem assequentium, *Purgati animi appellantur.* Ex qua doctrina patet, quòd virtutes *Politicæ*, sivè communes, correspondent *viæ Purgativæ*, quia purgatam jam animam ad Divina, seu ad similitudinem DEI trahunt; virtutes verò *Purgati animi*, correspondent *viæ unitivæ*, quia in anima Divinam similitudinem causant.

Hæc Divisio est tantùm accidentalis, & solum est secundùm diversos status virtutum, ita ut eadem numero virtus dum incipit, dicatur *Politica*, in profectu, vocetur *Purgatoria*, & in consummatione, *animi Purgati.*

Tertiò, Dividitur virtus in *Theologicam*, *Intellectualem*, & *Moralem:* quæ divisio est cæteris compendiosior, & clarior: proinde secundùm hanc de virtutibus hîc tractabitur, præmissis nonnullis ad eandem materiam pertinentibus.

CAPUT III.

De multiplici modo acquirendi virtutes.

PRimus *Modus est*, Virtutis cognitio: quia nunquam Voluntas fertur in incognitũ, nec ferri potest.

Secundus est, Magna virtutis æstimatio seu appretiatio; quia certum est, quòd etsi aliquid in se

optimum ſit, illud tamen non libenter amplectimur, niſi pro meritis æſtimemus, ac in magno pretio habeamus. Virtus autem magni æſtimanda eſt, quia, ut Sanctus Baſilius Epiſt: 24. ad Maximum *ait*: Verè virtus eſt pretioſa poſſeſſio, ad quam obtinendam nulli ſumptui, labori nulli parcendum eſt.

Tertius eſt, Diffidentia ſui & Confidentia in DEO: Nam quoties in nobis fidimus, in pœnam ſuperbiæ juſto DEI judicio miſerabiliter cadimus: qui verò confidit in DEO non confunditur.

Quartus eſt, Velle Chriſtum in omnibus imitari, in quo virtutes omnes mirabiliter elucent.

Quintus eſt, Exacta mandatorum DEI cuſtodia & in viris Religioſis obſervantia Regulæ rigida: quia tam Lex Divina, quàm Regula Religionis eſt de actibus virtutum. Propterea *S. Auguſt: Regulā ſuæ Religionis ſpeculum vocat*, in quo inſpicere poſſumus quales ſumus, an juſti an injuſti, an pulchri, an fœdi; utrum quiſq; noſtrum regulariter vivat; utrum proficiat an deficiat; utrum DEO placeat an diſpliceat.

Sextus eſt, Ut vir DEO conſecratus magnum deſiderium acquirendæ virtutis concipiat & ad exercitium illius ſe citò accingat: deinde frequenter acquirendæ virtutis intentionem & propoſitum renovet, ut occurrentibus occaſionibus exercendæ virtutis tam actus internos quàm externos eliciat, nec ullam exercitii tam ſancti occaſionem prætermittat. Debet autem quotidie virtutum illarū, quas ſpecialiter tunc exercere decreverit, determinatum nume-

numerum actuum internorum & externorum elicere, singulisq; diebus conscientiam suam examinare, an in hac parte fuerit fidelis. Actus verò interni omnium virtutum, secundùm triplicem viam *Purgativam* scilicet, *Illuminativam & Unitivā* distincti habentur Par: 2. statim à principio.

Septimus est, Fervens à DEO virtutis postulatio: cum enim propriâ industriâ ac diligentiâ, sinè Divinis auxiliis, virtutem acquirere non valeamus, idcircò eam à DEO ardenti animo postulare debemus.

Ultimus modus acquirendarum virtutum est. Unius virtutis sibi magis necessariæ exercitio operam dare, & uni virtuti specialiter acquirendæ fortiter incumbere: sicut fecêre multi spirituales Viri, & Religiosi, qui Sanctitate olim claruerunt, quorum alii se Humilitati, alii Mansvetudini, alii Obedientiæ dediderunt, & eo studio omnes virtutes facilè & citò compararunt. Virtutes enim ita sunt inter se connexæ, ut una perfectè non possit sinè aliis acquiri. Nam virtus sinè aliis, *ait S. Greg: lib: 22. Moral: cap:* 1. Aut omninò nulla est, aut imperfecta. Cujus rei ratio est; quia nulla virtus moralis potest esse perfecta, sinè Prudentia perfecta, & prudentia absq; omnibus virtutibus moralibus non potest esse perfecta. Unde mitis homo esse nequit, nisi sit prudens; & prudens esse non valet, nisi justus, castus, humilis, sobrius, obediens &c. fuerit: Prudentia quippe injusta, intemperans, superba esse non potest: præscribit enim

nim illa virtutibus media,ad rationis normam exacta, virtutes verò prudentiæ finem præfigunt, ad quem consequendum, ut prudentia judicet, & eligat magis convenientia media, hoc dependet ex recta dispositione appetitus per virtutes morales: quia qualis unusquisq; est, talis finis videtur ei, & ita judicat, sicut est affectus. Si igitur virtus una perfecta acquiri nequit, nisi omnes quoq; habeantur, optimus erit modus cito acquirendarum omnium virtutum unius exercitio, intenso studio & principaliter invigilare, alias verò virtutes exercere pro occasionibus occurrentibus, quæ multiplices nobis in Religione offeruntur, dũ variæ virtutes in Hebdomadas, Menses, & annos assignantur.

Itaq; eligat sibi unusquisq; unam virtutem principaliter colendam & exercendam, quæ sit sibi magis necessaria, quòd facilè cognoscet ex inclinatione ad aliquod vitium, vel passionem: propterea proclives ad iram, Mansvetudinem amplectantur: tenaces propriæ voluntatis & judicii proprii, Obedientiam: proclives ad excellentiam suprà alios, & æstimationem sui, atq; ad honores, assumant Humilitatem, quæ virtus omnibus nobis à Christo Domino commendatur, dum dicit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

Quomodo autem exercendo unam virtutem & alias simul exercere valeamus, practicum hujus rei exemplũ in Instructione Novitiorum *Par: 2. cap: 22. de Mansvetudine* habetur. Si enim aliquis fuerit iracundus,quoties aliqua de causa irâ afficitur,

toties

toties pro mortificanda ista passione, & exercenda mansvetudine sic se gerat: Dum aliquis illum verbis exasperat, & passio iræ malum rependere gestit, confestim novus mansvetudinis cultor hunc rationis actum præceptumvè producit agens: Modò non est irascendum nè ferveas; ecce est actus Prudentiæ: deinde si ira non quiescit, tunc dicit, secundùm Fidem non licet ulcisci; ecce actus Fidei: quod si adhuc ira fervet, tunc ait, ad immensi boni acquisitionem: hac arduitate victa, se, promoveri; ecce actus Spei: vel ait, amandum esse proximum etiam cum malè agit; ecce actus Charitatis: vel ait tribuendum cuiq; quod suum est, quia dicit DEUS: mihi vindictam, & ego retribuam; ecce actus justitiæ: vel ait, non esse admittendam iræ deformitatem quam exteriùs prodit, ecce actus Modestiæ: vel ait, animum infra alios demittendum ac ex eo illis non resistendum; ecce actus humilitatis; vel ait, malo hanc injuriam potiùs pati, quàm acriter respondere; ecce actus Patientiæ: vel ait, nullā voluptatem illicitam undecunquê, ac proinde ex ultione sumendam; ecce actus temperantiæ: vel ait, non solùm mediocri mansvetudinis occasione, sed in maximè ardua leniter agendum; ecce actus Magnanimitatis; vel ait, potiùs huic difficultati obsistendum, quàm parum svaviter cum proximo procedēdum; ecce actus Fortitudinis. Ex hoc patet exemplo, quomodo unam virtutem exercendo etiam aliæ simul exerceri possunt.

Eodem modo quot fines unius alicujus act[illegible] a-

liquis sibi proponit, tot virtutum species ille actus sortitur: prout hoc exemplo declaratur. Si quis volens sacro inservire dicat: Sāctissime Domine DEUS & Pater mi dilectissime, ego propter te in unione meritorum, & omnium operum dulcissimi Filii tui Domini nostri JESU Christi nunc volo sacro inservire: *Primò* ob honorem tuum, *deinde* ad Fidem meam testandam. Et ad vitam æternam consequendam. Et ut tibi placeam. Et ut proximis meis prosim. Et ut tibi, meoq; Superiori obediam. Et ut corpus meum mortificem. Et quia non curo bona terrena, sed cœlestia. Et quia non desidero alia alimenta præter hæc, quæ in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento nobis offeruntur. Et quia dignus sum, ut tanquam vilissimus omnium pro aliis inserviam. Et ut hunc modicum laborem perferam propter DEUM; Et ut oculos meos hic circa DEI mysteria detineam. Et ut modò non cum hominibus, sed cum DEO loquar. Et ut pro peccatis meis tibi satisfaciam. Et ut me gratum pro beneficiis tuis tibi exhibeam. Et ut impetrem omnia dona, quibus indigeo usq; ad beatitudinem æternā consequendā: præcipuè ut impetrem hujus Passionis N. mortificationem: hujus vitii N. exstirpationem: præterea virtutem Humilitatis &c. & donum Perseverantiæ in gratia tua usq; ad mortem. In quo exemplo manifestum est, quomodo unus actus propter varios fines habet speciem Fidei, Spei, Amoris DEI, Charitatis proximi, Obedientiæ, Pœnitentiæ, Paupertatis, Abstinentiæ, Humilitatis,

Pati-

Patientiæ, Silentii, Modeſtiæ, Gratitudinis, & Orationis.

Et quoniam Chriſtus Dominus noſter exigit à nobis ut ab eo potiſſimùm diſcamus *Manſvetudinem & Humilitatem*, eumq; in his virtutibus imitemur, ideò quilibet noſtrum virtutes iſtas præ omnibus aliis, totâ vitâ ſuâ præcipuè colere debet: Quia verò Manſvetudinis Praxis eſt data: propterea *hic Humilitatis exemplum affertur*, quam in omni occaſione, in quolibet actu, & cum quacunq; alia virtute exercere valemus. *Et imprimis.*

Surgendo, Benedictus DEUS, qui me indignum ullo beneficio Divino, â ſubitanea morte, & ab aliis mentis & corporis periculis hâc nocte præſervavit.

Induendo veſtes Indue me, Domine, veſte pretioſa tuæ gratiæ, & charitatis, ac humilitatis,& vilipenſionis mei, quem ſuperbia, ſicut primos Parentes noſtros, ita & me veſte innocentiæ,& omnium virtutum ſpoliavit.

Petitio Humilitatis mane faciendæ. Domine DEUS meus, ſcio quòd inter omnia vitia maximè ſuperbia inſidias & perditionem animæ meæ molitur mihi: ſupplico tuæ Divinæ Majeſtati, ut me contra hunc pernitioſum meum hoſtem virtute veræ Humilitatis munire digneris.

Manendo in Cella, Domine miſerere mei, propter merita ſervorum tuorum me multò meliorum, inter quos in hac domo me habitare feciſti; ita enim teneo me illis eſſe indigniorem.

O Deus meus ſicut olim inter Angelos tuos coram

te

te ſtetit diabolus, qui ſe obtulit ad nocendum Job fideli ſervo tuo: ita & ego ſum uti diabolus, & ipſis pejor diabolis inter ſervos tuos, quibus peſſimâ vitâ meâ noceo: & ſi quid adverſi patiuntur in hac vita fateor, quòd propter mea peccata patiuntur. Sed ô Domine, miſerere mei propter preces ſervorũ tuorum & da mihi emendationem vitæ.

Eundo aliquò. Domine non ſum dignus calcare hoc pavimentum, per quod tranſeunt tot dilecti ſervi tui.

Occurrendo alicui fratri; ſeu habendo obviũ aliquem Religioſum. Ego ſum minimus Religioſorum noſtrorum, qui non ſum dignus ſervus eſſe, & mancipium, atq; ſcabellum pedum ipſorum.

Quod ſi fuerit inter multos homines: vel trãſeundo aliquam Civitatem vel Pagum. O DEUS meus, ita puto, quòd omnis homo in hac Civitate, vel Pago manens, à minore uſq; ad majorem ingredietur in Regnum DEI, propter ſuas juſtitias; ego autem ſolus propter peccata mea, pœnam ingrediar ſempiternam, verumtamen de peccatis meis, ex amore tui doleo, atq; veniam, & per piiſſimam miſericordiam tuam, vitam æternam ſpero.

Veniendo ad Conventum, ibi ex obedientia mãſurus. Domine, rogo te, ut hîc & quocunq; venero contemnar ab omnibus, & pro te in nihilum redigar; & ut non faventes mihi floreant, & ego ſubſim illis.

Domine, fac me tanquam pavimentum mundi, ut ab omnibus conculcer, vilipendar, & indigniſſime tracter.

Do-

Domine, concede mihi hanc gratiam, ut mei vilipensione, & quadam annihilatione procurē quàm maximam gloriam tuam, ita in nihilum redigar in conspectu hominum, sicut fax & thymiama consumitur, ut luceat aliis, & reddat suavitatis odorem.

Eundo ad Chorum. Domine DEUS meus, ego te nunc cum servis tuis laudare volo; sed indignæ sunt meæ laudes & preces, conjunctione precum aliorum servorum tuorū: quia illi omnes sunt sancti & perfecti tibiq; placentes; ego autem omnibus solus pejor sum, & imperfectus, atq; omnium mortalium nequissimus: quomodo igitur potest esse speciosa laus in ore adeò magni peccatoris? Domine, suppleant pro me, quæso, laudes tuæ Humanitatis, Sanctissimæ Matris tuæ, & omnium Angelorum, ac Sanctorum atq; Justorum.

Audiendo male loquentes de se. Laudetur DEUS, verè confiteor meritò malè alios de me loqui, cum non reperiatur persona supra quam possent cadere omnia vituperia mundi quantùm supra me. *Si vituperetur & vilipendatur ab aliquo.* Justus es Domine, & rectū judiciū tuū: vermis sum & non homo, opprobriū & abjectio plebis. Agnosco in me nihil reperiri laude dignū, sed omnia vituperanda: quia dum me ipsum considero, clarè cognosco me esse pejorem dæmonio. *Si ab aliis laudetur.* Domine DEUS tibi soli laus, & gloria, mihi verò contemptus & confusio: *Si dæmon commemoraverit aliquod bonum opus.* Verè servus inutilis sum, & plûs omnibus hominibus peccans. Nihil

dignum,

dignum, Domine, in conſpectu tuo unquam egi: ideò deprecor Majeſtatem tuam, ut tu DEUS deleas iniquitatem meam.

Sedendo ad Menſam. Utinam cibus & portio vilior mihi contingant: quia aliis ut dignioribus & melioribus meliora debentur, mihi autem ut viliſſimo & indigniſſimo viliora.

Si contingat elevare oculos ad Cœlum, tunc illicò ad terram convertantur, dicendo: Domine non ſum dignus aſpicere altitudinem cœli præ multitudine iniquitatum mearum.

O DEUS meus, profiteor quod aliis debetur cœlum, mihi ſoli infernus, & in inferno, ſub pedibus Luciperi & omnium damnatorum locus infimus.

Aſpiciendo flores. Flores iſti omnes dant Domino DEO ſvavitatis odorem, ego autem amaritudinis do fœtorem.

Videns aliquas Oviculas. Scio quia omnes injuſti hædi ſunt, inter quos & ego ſum peccator, qui multis peccatis obnoxius ſum: oves autē, DEUS novit quæ ſunt.

Sed o DEUS meus, inter oves locum præſta.
Et ab hædis me ſequeſtra.
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis
Flammis acribus addictis.
Voca me cum Benedictis.

Videns equos Ego ſum equus & mulus cui non eſt intellectus.

Audiendo afflictiones aliorum, vel aliquas publicas

blicas calamitates. Ego, ego ſum, Domine DEUS meus, cauſa omnium afflictionū, tribulationum, pœnarum, & calamitatum, & omnium malorū, propter innumera graviſſima ſcelera mea: parce Domine univerſis proximis meis; in me convertatur furor tuus, & omnes juſtitiæ tuæ Divinæ pœnæ. Miror quòd me Angeli, & Sancti, ac omnes creaturæ tamdiu in mundo tolerent, quòd me terra non dehiſcat, nec vivum abſorbeat.

Præterea exercendo Actus aliarum Virtutum ſimul poſſumus & Humilitatis exercere: ut Fidei. Auctor Fidei JESU Chriſte, firmiſſimè credo vera eſſe omnia, quæ te revelante, credit S. Mater Eccleſia. Confiteor tres eſſe Sanctiſſimæ TRINITATIS, in una Divinitate Perſonas: Verum eſt profectò Clementiſſime Domine JESU Chriſte te DEUM & Hominem, ſed unam tantùm Perſonam eſſe.

Sed fateor me indignum eſſe quem ad hæc myſteria cognoſcenda admiſiſti: quia quod lingva mea dicit, moribus vita contradicit: dum enim fateor te DEUM & Hominem eſſe Humilem, Patientem, Obedientem, ego tamen ſuperbus, inobediens, & impatiens ſum.

Spei. Clementiſſime DEUS, firmiſſime ſpero, me tandem ex auxilio & bonis operibus gratiâ tuâ præſtitis, gloriâ ſempiternâ fruiturum: verùm ego nulla bona opera in me agnoſco, ſed potiùs infinitam malorum multitudinem; & ideò per ſolam tuā miſericordiam, & per paſſionem, ac merita Domini noſtri JESU Chriſti, me ſalvandum ſpero.

Amo-

Amoris DEI. Quoties dico: Amo te DEUS meus ſuper omnia: toties hæc dicens, confundor & erubeſco; quia ſcio me multa amori, tuo contraria facere. Tu enim dixiſti: Si quis diligit me, ſermonem meũ ſervabit: quem ego ſæpiùs non ſervavi.

Charitatis erga proximum. Domine, juxta mandatum tuum diligo proximum tanquam meipſum, in cujus ſervum me trado,& in cunctis neceſſitatibus & infirmitatibus quantumvis abominabilibus, ad omnem famulatum ei exhibendũ me offero.

Obedientiæ. O DEUS meus, cuilibet Superiori meo, etiamſi videatur homo agreſtis & ignarus, prompto animo, propter te, ſemper, & in omnibus obedire volo,cujus judicio & voluntati meũ judiciũ & voluntatem quàm perfectiſſimè ſubdere conabor.

Caſtitatis. O quam longè ſum, Bone DEUS, ab illa cordis & corporis puritate,quam juxta propoſitum meum procurare debeo; propter quod fœdo ſterquilinio, & Cloacâ totius mundi abominabilior in conſpectu tuo ſum.

Paupertatis. Omnia viliora & abjectiora, in manſione, in veſtitu, & in aliis rebus neceſſariis, ſoli mihi deberi profiteor.

Pœnitentiæ. O DEUS meus, ſicut nullum genus peccati eſt, quo ego te non offendi; ita nullum genus tormentorum adeò grave in mundo,& in inferno reperietur, quod ego non promerui: Sed, ô Domine, hîc ure, hîc ſeca, tantummodo in æternum parce.

Abſtinentiæ. Fateor me nullo cibo humano di-

gnum

gnum esse sed cibo ferarum nutriendum esse; quia more bestiarum vivo.

Mansvetudinis. Jure merito ab omnibus affligendus sum, & omnibus conviciis, calumniis, injuriis afficiendus, quæ omnia, pro meis demeritis, æquo animo tolerare debeo.

Patientiæ. Quidquid laborum, molestiarū afflictionum, dolorum, sub sole potest reperiri hæc omnia tanquam mihi debita, sereno vultu & mente sustinere paratus sum, ob honorem & amorem tuū, Domine.

Modestiæ. Absit à me, Domine, ut aliquid pulchrum in creaturis intueri oblectamenti alicujus causâ velim, conscius deformitatis meæ, quandoquidem omnibus leprosis, ulcerosis, & cadaveribus fætentibus turpior sum.

Silentii. Servabo strictè silentium, nec os absq; necessitate aperiam ad loquendum, nè alios tetro meo halitu inficiam, propter computrescentia in peccatis viscera animæ meæ,

Gratitudinis. O quàm ingratus sum, erga tuā infinitam bonitatem, cui post tam multa & singularia beneficia mihi collata, malum pro bono reddo, & pro quibus gratias tibi debitas non persolvo, immò penitus ea oblivioni trado!

Magnanimitatis. Fateor me parvo esse animo ad heroicas virtutes exercendas, magnanimum autem ad omnia mala.

Diligentiæ. O quàm alacer sum ad currendas vias, quæ ducunt me ad perditionem, quàm piger

ad

ad carpendam viam mandatorum tuorum quæ ducit ad te, qui es vera vita noſtra !

Perſeverantiæ. Utinam non jam perſeverem ampliùs in malitia, in tepiditate, in ingratitudine, ſicut hactenus feci, ſed in tuo fideli ſervitio, quod nondum cœpi, attamen incipere volo.

Inſuper. Sicut bonum eſt, & valde meritòriũ, unum actum virtutis unius exercere ex motivo plurium virtutum, *dicendo:* Volo modo audire Sacrum, vel orare vel tacere ex Charitate, & Spe in DEUM, ex Obedientia, Humilitate, Patientia, Religione, Timore DEI, Pœnitentia, Gratitudine &c. quod poſſet fieri manè. *dicendo:* Domine DEUS meus, quidquid hodie dixero, fecero, vel cogitavero, hoc volo fieri ex Charitate, & Spe in te DEUM meum, Religione, Timore tuo, ex Obedientia, Humilitate, &c. Ita omnes actus optimum erit, & meriti maximi, ex motivo unius virtutis illius, quàm aliquis pro ſpeciali cultu elegit, v.g. Humilitatis, cuncta exercere, *dicendo:* Hoc volo facere ex motivo Humilitatis. *Unde poteſt aliquis manè dicere:* Clementiſſime DEUS, omnia verba, cogitationes, & opera hujus diei, totiuſq; vitæ meæ, volo à me fieri ex motivo Humilitatis.

Ut autem aliquis cognoſcat, an in virtutibus proficiat, hæc indicia obſervet. *Primum eſt,* ſi facilè, promptè, delectabiliter, & conſtanter circa Materiam alicujus virtutis operatur, qui priùs difficulter, lentè, inconſtanter, & cum triſtitia circa eam operabatur.

Secun-

Secundum est. Si vitiorum inveteratorum careat impugnatione, & importunâ passionum molestiâ.

Tertium est. Si maximum proficiendi in virtute desiderium inseipso experitur.

Quartum. Si vita ejus sit conformis vitæ Domini nostri JESU Christi, & Sanctorum ejus. Si autem aliquam in se virtutem quis agnoverit, DEUM ejus auctorem esse sciat, & ei pro ipsa gratias agat, & nunquam ab exercitio ejus desistat.

CAPUT IV.

De Virtutibus Theologicis.

DE FIDE

Summarium Capitis.

I. De virtutibus Theologicis tractatur.
II. De Fide agitur: eadem definitur: Objectum ipsius demonstratur.
III. Cur credenda in 12. articulos dividuntur.
IV. Fides dividitur.
V. Actus Fidei recensentur, & quomodo sunt ad salutem necessarii docetur.
VI. Causa Fidei, & Effectus ostenduntur.
VII. Vitia actibus Fidei opposita enumerantur.
VIII. Praxis Fidei describitur.

1. Non tractabitur hîc de virtutibus quibuscunq; modo scholastico, in ordine ad speculationem, sed modo ascetico ad ipsarum exercitium, ut Tirones spirituales illam habeant virtutū cognitionem, quæ ipsos juvare valeat ad earum acquisitionem. *Virtutes* autem, *juxta S. Thomam* 1. 2. q. 68. a. 1. *in tria genera distingvuntur.* Sunt enim quædam

virtutes *Theologicæ*. Quædam *Intellectuales*. Quædam *Morales*. Virtutes quidem *Theologicæ sunt*, quibus mens humana DEO conjungitur. Virtutes autem *Intellectuales sunt*, quibus Ratio ipsa perficitur. Virtutes autem *Morales sunt*, quibus vires appetitivæ perficiuntur ad obediendum rationi: inter quas *primus locus Theologicis virtutibus datur*; quia nobilitate alias præcedunt; *illarum enim est Objectum DEUS*, qui est ultimus finis. Aliæ autem virtutes sunt circa ea, quæ sunt ad finem: *Præterea*, quia non sunt humanæ, sed suprahumanæ, vel Divinæ; & conveniunt homini, prout per gratiam participat naturam Divinam? Quæ virtutes sunt nobis necessariæ ad Beatitudinem supernaturalem & æternam consequendam. Nam hæc Beatitudo est excedens humanam naturam, ad quam homo sola Divina virtute pervenire potest, ad quod ei à DEO dantur Theologicæ virtutes.

Sunt verò virtutes Theologicæ Tres. Cujus ratio est: quia Objectum ipsarum est DEUS, qui potest considerari; Vel ut est summum & primum verum; & sic attingitur per Fidem. Vel ut est summum Bonum nostrum: hoc est, à nobis Divino auxilio consequibile; & sic attingitur per Spem. Vel ut est summum Bonum in seipso, & propter se amabile amore amicitiæ; sic attingitur per Charitatē.

Dicuntur autem Theologicæ, id est, *Divinæ*; tum quia habent DEUM pro Objecto, inquantum per eas rectè ordinamur in DEUM; tum quia à solo

lo DEO nobis infunduntur: tum quia sola Divina revelatione in Sacra Scriptura hujusmodi virtutes traduntur.

2. *Inter has virtutes prior est Fides*, ordine generationis, *ut ait S. Thomas*, quo ordine praecedit Fides Spem, & Spes Charitatem secundùm actus: nam Habitus simul infunduntur, Non enim potest, inquit, *S. Thomas:* Appetitus tendere in aliquid, vel sperando, vel amando, nisi quod est apprehensum, seu cognitum sensu, aut intellectu: per Fidem autem apprehendit intellectus ea, quae sperat, & amat.

Sumitur autem Fides hîc pro Credulitate, per quam assentimur alicujus dictis, propter auctoritatē dicentis, quam Credulitatem si exhibemus dictis hominum, propter auctoritatem eorum, quia veritatem in suis dictis servant, dicitur *Fides humana:* Si verò praebemus Credulitatem dictis â DEO, propter summam DEI auctoritatem, & indubitatam veritatem, dicitur *Fides Divina:*. Hanc S. Paulus *ad Habr:* 11. sic desinit.

Est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium: acsi diceret: Fides est fundamentum eorum, quae videnda speramus in Cœlo, & persvasio eorum, quae visa non sunt. Ab aliquibus verò definitur sic:

Est Habitus, seu virtus supernaturalis â solo DEO infusa, per quam rebus Fidei assentimur, propter auctoritatem DEI revelantis. Cujus *Objectum Materiale* est id, quod â fidelibus credi-

tur. *Principale* est ipse DEUS. *Secundarium* verò illa omnia, quæ in ordine ad DEUM creduntur, per quæ adjuvamur, & ducimur ad fruitionem Divinam, seu ad vitam æternam: ut est Incarnatio, Passio, Resurrectio, Ascensio Christi. *Formale verò Objectum Fidei*, est prima veritas DEI revelantis, qui neq; falli potest, propter infinitam suam Sapientiam; nec aliquem fallere, propter infinitam Bonitatem.

Assignatur autem multiplex conditio sinè qua non datur Fides. *Prima est*, quòd res revelata non sit visa, vel evidenter cognita. *Secunda*, quòd sit proposita, per instrumentum infallibile, cujusmodi est Ecclesia; vel ejus Caput Pontifex Romanus. *Tertia* sufficientia motiva ad credendum mysteriis Fidei, ratione miraculorum & testium; ratione consensus Evangelistarum & Doctorum; & innunumerabilium Martyrum pro veritate Fidei mortuorum; & aliorum ratione quorum mysteria Fidei apparent evidenter credibilia, propter quæ, prudens homo sinè dubitatione debet illis assentiri. *Quarta est*, intrinseca motio Spiritus Sancti, quæ intellectum illuminat, & voluntatem accendit, & quæ est causa Fidei principalis. Quia Fides est donum DEI; & quia assensus Fidei est ordinis supernaturalis: Ergo à principio supernaturali produci debet.

3. *Cur* autē *credibilia* seu res quæ creduntur, & *in* 12. *articulos dividantur*, qui in symbolo à duodecim Apostolis composito continentur?

Ratio istius rei est ex S. Thoma 2.2. *q*.1.*a*.8. *in*

in C. quia illa, inquit, per ſe pertinent ad Fidem quorum viſione in vita æterna perfruemur, & per quæ ducemur ad vitam æternam. Duo autem nobis videnda proponentur: ſcilicet, Divinitas, cujus viſio nos beatos facit: & Humanitas Chriſti, per quem ad gloriam Filiorum DEI acceſſum habemus: ut dicitur *ad Rom:* 5. ſeu per quem conſequimur vitā æternā. Unde dicitur *Joan:* 17. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcat te verū DEUM, & quem miſiſti JESUM Chriſtum. Et ideò primò diſtingvuntur credibilia quæ pertinent ad Divinitatē: deinde, quæ pertinent ad Chriſti Humanitatem.

De Divinitate ſunt Articuli ſex: hoc eſt, de uno, & Trino DEO, & de operibus Divinitati propriis; videlicet, de opere Creationis, Sanctificationis & Glorificationis. *De Humanitate quoq; Chriſti ſunt articuli ſex.* Itaq; 1*mus* articulus eſt, de uno DEO, & Perſona Patris, & de opere creationis 2*dus* articulus, de Perſona Filii DEI Incarnati 3*tius* de Conceptione ejus de Spiritu Sancto, & Nativitate ex MARIA Virgine 4*tus* de Paſſione ejus, morte, & ſepultura, 5*tus* de Deſcenſu ad inferos, & Reſurrectione, 6*tus* de Aſcenſione, 7*mus* de Adventu ad judicium, 8*vus* de perſona Spiritus Sancti, 9*nus* & 10*mus* de opere ſanctificationis, 11*mus* & 12*mus* de Opere Glorificationis. Hinc patet, quòd ſicut duo ſunt, quæ ſperamus videre in cœlo: Scilicet Sanctiſſimā TRINITATEM, & Chriſti Domini Humanitatem: ita duo ſunt præcipua hæc capita Fidei noſtræ. Myſterium SS.

 TRI-

TRINITATIS, & Christi Domini Incarnationis.

Alii dant istam 12. Articulorum rationem dicentes, propter tres Personas Divinas, & tria opera Divina, duodecim articulos Fidei debere esse: qui primum articulum tribuunt Patri, ut Creatori, deinde sex sequentes Filio DEI, ut Redemptori. Jam verò reliquos quinq; Spiritui Sancto, ut Sanctificatori.

Isti verò duodecim articuli Fidei, sunt quasi duodecim partes principales Fidei, quæ partes vocantur articuli, ad similitudinem partium corporis nostri, quæ etiam dicuntur articuli. Unde sicut corpus in plures partes, seu articulos ob officia peculiaria distingvitur, ita etiã quæ fide creduntur debent in tot articulos distingui, quot sunt rationes, ob quas credibilia peculiarem habent difficultatem, propter inevidentiam eorum: unde quod habet specialem difficultatem, illud etiã specialem articulum habet.

Notandum præter Symbolum Apostolorum esse alia tria: *Nicænum*, *Constantinopolitanum*, & *S. Athanasii*; sed hæc sunt idem, quoad substantiam cum Symbolo Apostolorum, solùm differunt quoad clariorem explicationem quorundam mysteriorum, quæ ad aliquas confutandas hæreses fieri debebant.

Notandum præterea: quod Fides nostra, eorũ, qui ab orbe condito vixerunt, una fuit; ac numerũ articulorum Fidei, temporum successu non crevisse, quantùm ad substantiam, sed tantummodò quantùm ad explicationem, & expressam professionem. Nam quæ explicitè; & sub majori numero nunc à fide-

libus

libus creduntur eadem omnia ab antiquis Patribus implicitè, & sub minori numero credita fuerunt.

Duo enim *sunt communissima principia Fidei. Primum*, quòd DEUS est, *Secundum*, quòd circa hominum salutem providentiam habet: seu quòd omnium Provisor est, juxta illud *ad Hebr:* 11. Accedentem ad DEUM oportet credere: Quia est, & quòd inquirentes se Remunerator sit. In quibus principiis omnes articuli Fidei implicitè continentur. Nam hoc principium DEUS est, virtute includit in se hæc, & quæ ad unitatem Essentiæ Divinæ, & quæ ad Trinitatem Personarũ,& quæ ad Attributa Divina spectant. Hoc verò principium, quòd DEUS sit Provisor universi, continet in se virtute ea, quæ spectant ad Creationem, Conservationem, Redemptionem, Justificationem, Glorificationem. Et quoniam omnes fideles ab orbe condito crediderũt DEUM esse, & esse Provisorem, seu omnium providentiam habere: ideò saltim implicitè in illis duobus principiis ea, quæ sunt in articulis Fidei crediderunt.

4. *Dividitur* autem *Fides* in Fidem vivam & formatam: & in Fidem informem, ac mortuam, *Fides viva est*, quæ est gratiæ sanctificanti & Charitati conjuncta, qualis est in justis. *Fides mortua est*, & informis, quæ est à gratia, & charitate separata, ut est in peccatoribus. *Dicitur autem Fides* mortua ob peccatum mortale, per quod amittitur gratia & charitas: *tamen hæc Fides mortua, est vera Fides*; sicut & viva Fides; quia utraq;

est eadem secundum Entitatem & substantiam: & *utraq; est à DEO*; quia est donum DEI: & *utraq; est virtus*, licet informis, & mortua sit virtus quantùm ad Essentiam specificam, non autem quoad perfectionem virtutis, quæ consistit in hoc, quòd valeat ad consequendam vitam æternam: est tamen dispositio ad Pœnitentiam, Justificationem, & Salutem æternam.

Et quamvis in fidelibus peccatoribus sit Fides informis, *non* tamen est *in dæmonibus, & damnatis*. Quia Fides est donum DEI, quo homo ordinatur ad Beatitudinem æternam: dæmones autem, & damnati jam non ordinantur ad illam. Habent tamen dæmones aliquam Fidem acquisitam per experientiam, & per evidentiam miraculorum. *Unde S. Jacobus de illis dixit:* Dæmones credunt, & contremiscunt.

Beati quoq; in cœlo nec Fidem, nec Spem habent, quia quod nos credimus, & speramus, jam ipsi vident, & possident. Sed *Fideles in purgatorio existentes habent Fidem:* quia nondum sunt admissi ad claram visionem DEI: non sunt tamen propriè viatores; quia jam non possunt mereri: sed habent se sicut illi, qui ad portam civitatis pervenerunt, sed nondum sunt introducti.

Angeli verò & homo in primo instanti Creationis suæ habuerunt Fidem: quia Viatores erant, & in eo statu fuerant, quo ad DEUM tanquam ad Finem ultimum tendebant.

Notandum verò est, quòd ille qui aliquem articu-

ticulum Fidei non credit, quamvis alios credat, Fidem infusam, nec formatam, nec informem habet. Quia utraq; est donum DEI: & quia Veritas prima revelans æqualiter se communicat omnibus articulis Fidei.

5. *Actus Fidei est duplex: Interior*, qui est credere, seu, est internus assensus: nam credere nihil aliud est, quàm cum assensu cogitare. *Et Exterior*, qui est ipsa confessio Fidei, quæ fit ore, aut aliis signis exterioribus.

Actus internus Fidei dividitur per hoc, quod est: *Credere DEUM, Credere DEO, & Credere in DEUM*: qua de re *S. Aug: Serm:* 181. sic loquitur *Credere DEUM*, est credere, quia est (hoc est, quia est unus in essentia, & Trinus in Personis, quia est Omnipotens, summè bonus, misericors &c.) *Credere DEO*, est credere illa esse vera, quæ DEUS loquitur. *Credere in DEUM* est eum simul diligere, non quocunq; modo, sed sicut solent, qui vita & factis sunt Christiani. *Unde peccatores non credunt in DEUM*, nisi valdè imperfecto modo, inquantùm possunt in DEUM suas actiones referre, tanquam in finem imperfectè amatum, *dæmones* autẽ nullo modo credunt in DEUM, sed solùm credunt DEUM vel DEO.

Actus internus Fidei est nobis necessarius ad salutem: sed *Sciendum est* quòd quædam necesse est credere necessitate medii; quædam præcepti; quædam implicitè; quædam explicitè quædam ad salutem primam, quædam ad secundam *Illud autem*

dici-

dicitur necessarium *necessitate medii*, quo prætermisso salus non obtinetur, etiamsi inculpabiliter prætermittatur, illud verò *necessarium necessitate præcepti*, quo culpabiliter prætermisso salus non obtinetur, eo verò inculpabiliter omisso salus obtineri potest: præterea illud *creditur explicitè*, quãdo creditur aliquid in particulari, & in seipso; *implicitè verò creditur*, quando aliquid creditur non in se, sed in alio; sic qui credit, quidquid credit Sancta Mater Ecclesia, implicitè credit mysterium SS. TRINITATIS, Incarnationis &c.

Insuper *salus prima* dicitur *Justificatio*, seu gratia sanctificans, *Salus* verò *secunda* est ipsa *gloria*, *seu vita æterna*.

His suppositis, hoc tanquam certum tenendũ est, ad obtinendam salutem sive primam, quæ est, justificatio, sive secundam, quæ est vita æterna, necesse est necessitate medii, & præcepti, omnes adultos credere explicitè. *Primò* DEUM esse, & Remuneratorem esse; quia dicit Apost: *ad Hebr:* 11. Accedentem ad DEUM oportet credere, quia est, & inquirentibus se Remunerator est. Tum etiam, qui tendit in finem debet præcognoscere illum: Finis autem est visio DEI Remuneratoris, Ergo debet præcognosci existentia DEI Remuneratoris.

Secundò Mysterium SS. TRINITATIS, & Incarnationis Christi, quia Fides est de iis, quæ sunt Objectum Beatitudinis. Objectum autem Beatitudinis nostræ est, SS. TRINITAS, & Christi Humanitas. Igitur debemus credere DEUM esse unũ,

&

& trinum in personis; & Christum Humanã naturã assumpsisse; ipsumq; esse verum DEUM & Hominem; & pro nostra salute mortuum esse.

Sed ante Christi adventum, non fuit necessarium necessitate medii credere explicitè mysterium SS. TRINITATIS, & Incarnationis; nam satis erat adultis implicitè hæc credere; Christum esse nasciturum Redemptorem generis humani, & SS. TRINITATEM.

Præter illa Mysteria SS. TRINITATIS & Incarnationis, tenentur omnes necessitate præcepti explicitè credere alios articulos in Symbolo contentos: deinde tenentur explicitè credere, & nosse Sacramenta tria: Baptismũ, Pœnitentiam, & Eucharistiam: præterea Decalogi præcepta: quia tenentur illa adimplere; ergo etiam tenentur illa explicitè cognoscere.

Tenentur quoq; scire præcepta Ecclesiæ, maximè Confessionis, & Communionis annuæ. Animæ immortalitatem. Peccatum Originale. Quòd DEUS sit orandus; & ideò debent scire orationem Dominicam. Non tamen tenentur hæc scire sub mortali peccato memoriter, aut iisdem verbis quibus proponuntur; sed sufficit, quòd illa sciant quoad substantiam, & significationem, ita, ut, si de illis interrogentur, rectè respondeant, & illa debito tempore observent.

Obligatur autem, unusquisq; elicere actum Fidei internum: Primò, quando adepto usu rationis cognoscit necessitatem Fidei; nisi per invincibilem igno-

ignorantiam, aut inadvertentiam excuſetur. Ob eandem rationem tenentur infideles actū Fidei elicere, dum illis ſufficienter credendi proponuntur Articuli Fidei. *Secundò*, quando Fidem tenetur exteriùs confiteri, quam non poteſt confiteri ſinè actu interno Fidei. *Tertiò*, quando ſinè eo non poſſet vinci gravis tentatio. *Quartò*, aliquando in vita. *Quintò*, in articulo mortis: quia tunc homo tenetur ſe convertere ad DEUM per actum contritionis, qui habet adjunctum actum Fidei, & Spei implicitū: cū nullꝰ poſſit DEUM ſuper omnia diligere, & peccatum deteſtari ſuper omnia, quatenùs eſt DEI offenſa niſi in DEUM credat & ſperet.

Quantum ad actum Fidei exteriorē, qui dicitur Confeſſio Fidei, quæ fit ore, aut ſignis externis: Sciendum etiaſ̄ hunc actum neceſſarium eſſe neceſſitate præcepti ad ſalutem. Eſt autem *Præceptū duplex: Affirmativum*, quod obligat ſemper, ſed non ad ſemper; id eſt non pro quovis loco, & tempore, ſed pro certo. *Et Negativum*, quod obligat ſemper, & pro ſemper.

Eſtigitur Confeſſio Fidei de neceſſitate præcepti affirmativi; quia quando locus, & tempus exigit, ſemper eſt facienda, etiamſi periculum fortunarū, aut vitæ ſit adeundum. Dicit enim ſcriptura *ad Rom:* 10. Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.

Tunc autem locus, & tempus exigunt à nobis exteriorē Fidei confeſſionem, quando à Rege, vel præſide, aut ab aliquo, qui publica auctoritate fungi-

gitur, interrogamur an ſimus Chriſtiani? an credamus in Chriſtum? tunc enim tenemur diſertè confiteri, quòd credimus in Chriſtum, & quod Chriſtiani ſumus: quia tunc magnus honor debitus DEO ſubtraheretur, & magnâ injuriâ DEUS afficeretur.

Quòd ſi quis privata auctoritate, ſeu à privatis interrogaretur, an eſſet Chriſtianus, vel Catholicus? licitè eum poſſe reticere, aut reijcere, aut diſſimulare; quia tunc non parviſaceret honorem DEI, ſed ſolùm hominum importunorum quæſtiones eluderet, & contemneret. Sic nomen Chriſtiani uſurpatur, non ad ſignificandam Religionem, ſed nationem; ſicut apud Indos, per hoc nomen Chriſtianus, intelligitur Hiſpanus; tunc licitè interrogatus an eſſet Chriſtianus? poſſet non reſpondere ſe eſſe Chriſtianum, immò poſſet negare ſe eſſe Chriſtianum; cum non interrogaretur de Fide, ſed de natione.

Quòd ſi alioquin Fides putaretur falſa; vel ſi proximus magnum pateretur ſcandalum, dum aliquis à privatis hominibus interrogaretur de ſua Fide, tunc teneretur Fidem confiteri. Qua propter ſi vir gravis interrogaretur de Fide coram Hæreticis & Catholicis, teneretur Fidem confiteri, ad vitandum grave ſcandalum.

Verùm *negare Fidem nullo modo licet:* quia de hoc eſt præceptum Negativum, quod obligat ſemper, & pro ſemper: & ideò quod præcepto negativo prohibetur, in nullo caſu admittere licet.

Sed ſciendum eſt: *Aliud eſſe negare Fidem* verbis, factis, aut ſignis: *Aliud verò occultare*: ſigna autem

autem quibus possit occultari Fides sunt duplicia: *Alia* quæ directè & primariò sunt instituta ad Religionem falsam profitendam; ut sunt sacrificia Paganorum, thura, vestes sacrificulorum, Circumcisio, agnus Paschalis apud Judæos, cæna apud Lutheranos. *Alia* verò signa sunt politica, ad usus profanos instituta; ut vestis, qua civis à rustico, miles à mercatore, & gens una ab alia distingvitur. Igitur quamvis possit Christianus illicitè uti signis, vestibus, & actionibus, quæ sunt propria illi nationi, in qua conversatur, & illis occultare suam Fidem: quia Christianus non tenetur semper, & ubiq; locorum suam Fidem profiteri, sed pro tempore & loco: nihilominùs nunquam licet Christianis uti signis, vestibus, quæ sunt ordinata ad profitendam falsam Religionem, quia talibus signis uti, est omnino profiteri illam sectam, propter quam sunt instituta.

6. *Causa principalis efficiens Fidei vivæ* est ipse DEUS: quia Fides viva est donum DEI: & ideò *Concil: Triden: sess: 6. cant:* 3. definit: Neminè posse credere, sperare, & diligere, sicut oportet, sinè speciali auxilio gratiæ. Etiam Fides informis est à DEO, tanquam à causa principali efficiente, non inquantùm est mortua ob adjunctum peccatum mortale, cujus DEUS non est auctor; sed substantialiter in genere Entis inquantùm est Fides: proinde & Fides informis hoc modo est donum DEI, quia tam Fides viva, quàm informis quoad substantiam & entitatem est eadem: ergo sicut viva Fides, est donum DEI ita & informis.

Effe-

Effectus Fidei S. Thom: duos esse ostendit: Primus est Timor. *Alter* Puritas cordis. Quidam addunt *Tertium*, Contemptum mundi.

Imprimis *Timor* effectus Fidei, qui est duplex: *Servilis & Filialis*, *Timor servilis* est ille, quo quis timet, nè à DEO puniatur; talis timoris est causa Fides; per Fidem enim cognoscimus DEUM esse, eundemq; futurum Judicem, diem judicii tremendum, pœnarum inferni æternitatem, ex quibus apprehensis oritur servilis timor. *Timor Filialis* est ille, quo quis timet offensam DEI, & nè ab illo separetur; qualis timor procedit ex eo, quia credimus per Fidem, quòd sit DEUS quoddam Bonum immensum, infinitum, summum, à quo disjungi est infelicissimum. *Hic timor* filialis est effectus Fidei formatæ per Charitatem. Ille autem servilis est effectus Fidei informis.

Secundus Effectus Fidei est Puritas cordis: sic enim *Act*: 15. Petrus dicit de Fide: *hæc puritas est cogitationum, affectionum, sermonum, operumq; munditia*; Cujus causa est Fides; quia per illam anima ad DEUM sustollitur, & per hoc à rebus terrenis, & ab earum contagione separatur, & sic pura efficitur: tunc enim quælibet res contrahit impuritatem, quando rebus vilioribus immiscetur; ut cum aurum stanno miscetur.

Tertius effectus Fidei secundùm aliquos est *Contemptus mundi, qui nihil est aliud, quàm abrenuntiatio omnium visibilium, propter amorem DEI:* Cujus abrenuntiationis & contemptus causam assignat

gnat Apost: *ad Hæbr:* 11. Hæc sit victoria, quæ vincit mundum, fides nostra: Nam per hanc cognoscimus solum DEUM esse omne bonum, & cœlestia bona esse vera bona, jam verò terrena esse caduca & vana bona; propterea merito sunt contemnenda.

7. Quia virtuti contrariatur vitium, ideò & *Fidei opponitur vitium infidelitatis & Confessioni Fidei* opponitur *Blasphemia* est autem. *Infidelitas duplex: Quædam est purè Negativa*, ut est in eo, qui nihil audivit de Fide: nec potuit audire, & est in ipso ignorantia Fidei invincibilis, qualis infidelitas non est peccatum, sed potiùs pœna ex peccato primorum parentum orta. *Quædam infidelitas est Positiva*, ut est in eo, qui Fidei sibi annuntiatæ contradicit, nec vult illi assentiri, sed eam cōtemnit; & hæc infidelitas comparata ad illa peccata, quæ sunt contra virtutes Morales, est maximum peccatum; quia magis avertit hominem à DEO, quem nec cognoscit, nec colit, quàm alia peccata, in quibus homo cognoscit DEUM, sed non colit. Sed comparata infidelitas, ad peccata quæ sunt contra alias virtutes Theologicas, Spei, & Charitatis; est minùs peccatum: quia illa peccata supponunt infidelitatem, & ultra hanc addunt novam malitiam; igitur sunt graviora.

Non debemus tamen dicere, quod *omnis actio infidelium sit peccatum:* quia licet non possint facere opera bona meritoria, ad quod requiritur gratia Divina, quam ipsi non habeat, tamen possunt facere aliqua

aliqua opera moraliter bona: ut fecit Samaritanus infidelis, qui vulnera proximo alligavit.

Sunt autem *Infidelitatis tres species: Paganismus, Judaismus, & Hæresis.* Cum enim peccatum infidelitatis consistat in renitendo Fidei; si igitur aliquis renititur Fidei nondum susceptæ, talis infidelitas est Paganorum. Si verò quis renititur Fidei susceptæ in Figura; & sic est infidelitas Judæorum. Si autem in manifestatione veritatis, sic est infidelitas Hæreticorum, ad quos pertinent Apostatæ à Fide.

Quod si considerentur varii infidelitatis errores in diversis hominibus, tunc sicut in infinitum possunt multiplicari errores, ita & infidelitatis species. *Sic S. Thom: 22. q. 10, a. 5.*

Inter has infidelitates gravior est Judæorũ, quàm Gentilium; quia Judæi susceperunt Fidei figuram, sed eam malè interpretando corrumpunt. Hæreticorum verò infidelitas omniũ gravissima; quia suscipientes & profitentes Evangeliũ illud corrumpunt.

Prohibetur autem Christianis cum infidelibus communicatio: tũ in pœnam Hæreticorum, tũ ad cautelam fidelium simpliciorum propter periculum subversionis. *Sed hæc communicatio dupliciter accidit: Aut quoad* Religionem; & sic fidelibus non licet in illorum Synagogis, vel concionibus, vel sacris interesse, nè ea approbare videantur. *Aut in rebus civilibus*, sic fidelibus permittitur communicatio cum infidelibus.

Aliud est vitium oppositum confessioni Fidei. v.

 Blasphe

Blaſphemia, quæ propriè ſignificat quodlibet maledictum, aut convitium, quod lædat famam aut DEI, aut alicujus hominis; ſed hîc ſumitur Blaſphemia, prout importat quandam derogationem excellentiæ Divinæ bonitatis, quod fit, vel negando aliquid de DEO, quod ei convenit: vel tribuendo aliquid creaturæ, quod ſoli DEO convenit. Eſtq; *Blaſphemia peccatum mortale maximum* ad infidelitatem pertinens; quia licet blaſphemans non ſentiat id eſſe verum, quod dicit de DEO; induit tamen perſonam ſentientis ita eſſe; & ſic blaſphemia includit infidelitatem. *Eſt autem duplex Blaſphemia. Alia eſt cordis*, quæ eſt ſecundum intellectum; & hæc opponitur interno actui Fidei, qui eſt credere. *Alia eſt Blaſphemia oris*, quæ eſt ſecundum exteriorem locutionem; & ſic opponitur exteriori actui Fidei: videlicet confeſſioni. In damnatis eſt modò interior blaſphemia, quæ eſt Divinæ juſtitiæ odium, & deteſtatio ipſius DEI ? ſed poſt reſurrectionem erit forſan in eis exterior, ſeu vocalis blaſphemia; ſicut in ſanctis in cœlo, vocalis laus DEI erit.

Præter dictas blaſphemias *eſt etiam ſpecialis blaſphemia in ſpiritum Sanctum.* Dicitur autem blaſphemia ſeu peccatum in Spiritum Sanctum, non tantùm dum aliquis dicit aliquid blaſphemum contra tres Divinas Perſonas; vel contra tertiam Perſonam SS. TRINITATIS; vel qui uſq; ad mortem in mortali peccato perſeverat; ſed ſpecialiter dum aliquis peccat ex certa malitia, repellendo illa,

quæ

quæ eum à peccato retrahere possent: hoc est, cōtemnendo dona, & gratiam Spiritus Sancti, quæ homini oblata erant ad peccata impedienda, & ad salutem promovendam: & sic est peccatum in Spiritum Sanctum; quia est contemptus gratiarum Spiritus Sancti.

Cujus *blasphemiæ, seu peccati in Spiritū Sanctum sunt species sex*; Desperatio, Præsumptio, Impugnatio veritatis agnitæ, Invidentia fraternæ gratiæ, Impœnitentia, Obstinatio. Sex enim sunt gratiæ, seu remedia, quæ homini inspirantur à Spiritu S. per quæ peccata evitari possint: *Primò*, consideratio Divinæ misericordiæ ex una, & Divinæ justitiæ ex altera parte: & hoc tollitur per desperationem. *Secundò*, timor, quem immittit Spiritus S. qui oritur ex consideratione Divinæ justitiæ punientis peccata; & hoc tollitur per præsumptionē: cum quis præsumit, quòd veniam sinè pœnitentia, & gloriam sinè meritis, possit adipisci. *Tertiò*, agnitio veritatis; hæc tollitur per impugnationem, ut licentiùs vivere possimus. *Quartò*, auxilium gratiæ, quod tollitur, cum quis gratiæ relucenti in fratre, aut crescenti in mundo, invidet; & dicitur invidentia fraternæ gratiæ. *Quintò*, consideratio, quanta sit turpitudo actus peccati, exquo oriri solet pœnitentia, de commisso peccato; & hoc tollitur per impœnitentiam, quando quis habet propositum non pœnitendi. *Sextò*, cōsideratio, quanta sit parvitas & brevitas boni, quod in peccato quæritur, & hæc consideratio inducit hominem, ut ejus vo-

luntas, non firmetur in peccato; & tollitur per obstinationem; quando homo in peccato firmat suum propositum.

8. *Praxis Fidei. Primum*, quod vir Asceticus & Spiritualis circa Fidem exercere debet, *est Æstimatio Fidei*: quia est maximum donum DEI ex Gratia specialissima unicuiq; nostrum datum; teste Apost: *ad Eph:* 2. Gratia, inquit, estis salvati per Fidem, & hoc non vobis, donum enim DEI est. Per quam benedictionem DEI accipimus, ut ait Apost: *ad Gal:* 3. Igitur qui ex Fide sunt, benedicentur cum Fideli Abraham. Præterea per fidem omnes ex DEO nascimur. Omnis enim qui credit, quoniam JESUS Christus est, ex DEO natus est 1. *Joan:* 5. Per Fidem Filii DEI efficimur, ut Apost: testatur *ad Gal:* 3. Omnes, inquit, Filii DEI estis per Fidem in Christo JESU. Per Fidem reddimur hæredes vitæ æternæ, ut ipsemet Christus dixit, *Joan:* 5. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit in me, habet vitam æternam. Æstimando autem hoc donū Fidei, quoties symbolum Apostolorum aut S. Athanasii, aut Nicœnum, quo Ecclesia in sacrificio Missæ utitur, recitamus, vel actus Fidei facimus, semper hoc debita cum reverentia peragendum est; & dū hæc ore proferimus, etiam mentis assensum iisdem præbeamus. Ex eadem vera æstimatione Fidei, sacrā quoq; scripturam, sacros codices, videlicet, Biblia Sacra, quæ non nulli viri piissimi flexis genibus legere solent: præterea res omnes sacras, & benedi-

ctas,

ctas, imagines Sanctorum, & Reliquias eorum, omnes ritus & cæremonias Eccleſiæ Sanctæ, etiam Perſonas DEO dicatas in ſpeciali reverentia habere debemus.

Secundum eſt: Gaudium de hoc Fidei dono, & animæ noſtræ bono: eò qnòd inter tot millia hominum pereuntium, quibus denegatum eſt hoc à DEO donum, nobis illud contulit benigniſſimus DEUS: ex quo dono cognovimus verum DEUM, Creatorem, Redemptòrem, & Remuneratorem noſtrum; cognovimus finem ultimum noſtrum, V. Beatitudinem noſtram: cognovimus & media ad illam obtinendam, per uſum Sacramentorum, & obſervantiam DEI mandatorum. Et ideò Eunuchus ille Æthyops de quo *Act*: 8. ſcriptum eſt, poſtquam credidit dicens: Credo Filium DEI eſſe JESUM Chriſtum; & baptizatus eſt, ibat per viam ſuam gaudens, ob ejuſmodi Fidei donum. quod tunc à DEO accepit. Sic Apoſtolus Theſſalonicenſes monet 1. *Eph*: 5. Semper, inquit, gaudete ſinè intermiſſione orate in omnibus gratias agite. Cauſam hujus gaudii priùs deſignans: Omnes enim, inquit, vos Filii lucis eſtis: hoc eſt, Filii Fidei; *ut Cardinalis Hugo ait*. Eodē modo S. Mater noſtra Thereſia morti proxima impenſiſſimè lætabatur, quòd eſſet Chriſtiana, & quòd eſſet Filia Eccleſiæ, quaſi Fide progenita, quæ ſæpiùs miro pietatis ſenſu hæc verba repetebat: *Sum certè, Domine, Filia Eccleſiæ*. Et de S. Sebaſtiano M. aliqui Auctores tradunt, quòd dum in Fidei Chriſtianæ ludibrium, multis ignominiis & injuriis

 affi-

afficiebatur, ipſe pectori ſuo hanc inſcriptionem affixerit: *Chriſtianus ſum:* ut inde ſolatium ſuum, & honorem eximium ſe habere oſtenderet.

Tertium eſt: Gratitudo erga DEUM, pro tã excellenti dono gratuito nobis collato. Ad quod hortatur nos *S. Aug: Serm:* 38. de verbis Apoſtoli 1. *ad Corinth:* 4, non enim, inquit, Fides nihil eſt, ſed magnum aliquid, quaſi habes, profectò accepiſti. Quid enim habes, quod non accepiſti? Videte Chariſſimi, unde D. DEO gratias agatis, nè in aliquo dono ejus ingrati maneatis. Tunc autem grati erimus, ſi ut veri Chriſtiani vixerimus.

Quartum eſt: Rectus uſus Fidei, quem in omnibus actibus noſtris ſervare nos eſt neceſſe: quod fiet. *Primò* cum Præſentia DEI cuncta operando: ſcientes per Fidem, quia DEUS nos videt, & quia nobis præſentiſſimus eſt; ex eo quia DEUS immenſus eſt: ideò ubiq; eſt, & nobis adeſt, & quid facimus & cogitamus videt; ut omnia cum ſumma reverentia & timore DEI peragamus, & omne quod illi diſplicet, fugiamus. *Secundò*, Contemnẽdo mundum & terrena, prout ſvadet *S. Joan: Evang:* Nolite inquit, diligere mundum, neq; ea, quæ in mundo ſunt 1. *Joan:* 2. Sed quæ ſurſũ ſunt quærite: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram, ait Apoſt: *ad Colloſ:* 3. Fide credentes: quòd nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt illum 1. *Cor:* 2. *Tertiò* conſervando in nobis vivam Fidem: hoc eſt, cum charitate DEI con-

jun-

junctam: propter quod omnia peccata, per quae Charitas amittitur, vitare maximè debemus. *Quartò*, conjungendo cum Fide bona opera. Nam Fides viva per bona opera probatur. Fides enim sinè operibus mortua est, *Jacobi* 2. Sed sunt multi, qui confitentur se nosse DEUM, factis autem negant: Ut ait Apost: 1. *ad Titum*: Et tales sunt, qui non servant mandata DEI. Nam qui dicit se nosse DEUM, & mandata ejus non custodit, mendax est, 1. *Joan:* 2. Ejusmodi quoq; sunt, qui credentes in Christum non sequuntur Christum in operibus ejus. Credis in Christum? *quærit S. Bernardus:* fac opera Christi. Qui tê dicis in Christo manere, debes sicut ipse ambulavit, & tu ambulare. Quod si propriam gloriam quæris, florenti invides, absenti detrahis, reponis lædenti te. Hoc Christus non fecit. Confiteris te nosse DEUM, factis autem negas, *Sic S. Bern: Serm:* 24. *sup: Cant:* *Quintò*, Actus Fidei frequenter & fervēter exercendo. Nam Diabolus nihil magis impugnat, quàm Fidem, quæ est basis & fundamentum ædificii & vitæ spiritualis, contra quem recurrendum est ad arma Fidei, sicut nos monet Apost: *ad Ephes:* 6. In omnibus, inquit, sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi extinguere. Utamur igitur hoc scuto Fidei, manè, in meridie, vesperi, & sæpiùs; in omnibus quoq; periculis, in tentationibus, potissimùm verò in morte. *Præterea* in usu Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, audiendo missā, & in Oratione. *Immò* in quolibet actu cujuslibet

virtutis, & in quolibet bono opere, Fidem profitendo: hoc eſt proteſtando nos hæc omnia in Fidei profeſſionem exercere. *Inſuper* in omnibus actionibus noſtris Fide nos gubernando: ſeu doctrina revelata à DEO, quam veram per Fidem agnovimus: *quod fieri poteſt hoc modo.*

Reſuſcitati à ſomno, hæc verba Sacræ Scripturæ mente volvamus: Vigilate, quia neſcitis diem, neq; horam. *Matt:* 24.

Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. *ad Rom:* 13. Quærite primò Regnum DEI, & juſtitiam ejus, *Matt:* 6.

Exeundo Domô. Ambula coram me, & eſto perfectus. *Gen:* 16. id eſt, ambula ſecundùm beneplacitum meum: *ut ait Hugo Card:*

Ingrediendò Eccleſiam. Terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud, niſi Domus DEI, & porta Cœli. *Gen:* 28.

In Oratione: Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. *Matt:* 26.

Omnia quæcunq; orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis. *Marci* 11.

Ut Otium evitemus: Dum tempus habemus, operemur bonum. *ad Gal:* 6.

Cibum & potum ſumentes: Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite. 1. *ad Cor:* 10.

Sobriè & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo. *ad Tit:* 2.

Loquendo cum aliis: Sit autem ſermo veſter eſt, eſt: Non, non. *Matt:* 5.

De

De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem, *Matt:* 12.

Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum. *Jac:* 1.

Aſpiciendo minùs neceſſaria. Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te. *Matt:* 5.

Quieſcendo. Ego dormio, & cor meum vigilat. *Cant:* 5.

Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit exite obviam ei. *Matt:* 25.

In afflictionibus. Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. *Pſ:* 90.

In infirmitate. Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum: cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto. *ad Philip:* 1.

In tentationibus. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo. *Pſal:* 26.

Adjutor meus tu es: DEUS meus nè tardaveris. *Pſal:* 39.

Hæc ſunt exempli causâ allata plura ſimilia gnarus Scripturæ Sacræ in promptu habebit.

Præter hæc habentur Actus Fidei par: 2. pag: 119. quibus uti quocunq; tempore licebit.

CAPUT V.
DE SPE
Theologica Virtute.

Summarium Capitis.

I. *Spes definitur.*

II. *Objectum Spei oſtenditur.*

III. *Actus Spei describuntur*,
IV. *Vitia Spei opposita recensentur.*
V. *In quo consistit Beatitudo æterna declaratur.*
VI. *Praxis spei docetur.*

Ut melior hujus virtutis cognitio habeatur. *Sciendum est*, quòd Spes nihil est aliud, quàm expectatio alicujus boni: per quod differt à Timore; quia hic exspectatio est mali, Spes verò aliquando significat motum appetitus sensitivi ad bonum sensibile futurum, arduum, possibile, & sic Spes vocatur passio sensitiva. Aliquando significat motũ voluntatis ad bonum intelligibile futurum, arduum, possibile ad adipiscendum per vires naturales; & talis Spes potest dici Rationalis, Aliquando significat motum voluntatis ad bonum intelligibile arduum possibile per auxilium divinum: sic *Spes* dicitur Theologica, quæ *definitur sic*.

1. *Spes* est habitus à DEO infusus, per quem voluntas firmiter tendit in DEUM, ut in bonum arduum,futurũ,consequi possibile ipsius Dei auxilio.

Seu: Spes est virtus, per quam firmiter speramus Beatitudinem æternam DEI auxilio, & per bona opera ex gratia DEI facta obtinendam. Hæc *Spes redditur firma ex duobus. Primò* ex DEI promissione, qua omnibus benè operantibus pollicitus est gratiam & gloriam, atq; ut benè operentur sufficientia auxilia, nisi in pœnam alicujus peccati denegentur. *Secundò* Habet firmitatem ex nostris meritis Divinâ gratiâ factis: sed ex hac parte admittit hæsitationem & timorem; quia nullus potest esse omni-

omninò certus de ſuis meritis, & perſeverantia in illis: Majorem tamē certitudinem habent juſti, qui merita jam habent, quàm peccatores, qui illa non habent: & ideò in illis dicitur Spes viva, formata, & perfecta; in iſtis verò mortua, informis, & imperfecta.

Reſidet autem Spes in voluntate, in quantùm eſt eminenter iraſcibilis.

2. *Objectum Spei Materiale primarium.* Eſt Beatitudo noſtra æterna: *ſeu eſt* DEUS, ut eſt Beatitudo noſtra. *Secundariū eſt* omne id, quod poteſt pertinere ad Beatitudinē æternā: ut eſt, viſio Humanitatis Chriſti, Aureola, Dotes animæ & corporis: Et omne quod conducit ad Beatitudinem; ut eſt Pœnitentia, Remiſſio peccatorum: & bona opera ex gratia DEI facta; quia hæc ſunt tanquam media, & inſtrumenta, ad noſtram beatitudinē ordinata.

Formale Objectum Spei eſt auxilium DEI, ratione cujus ſperamus beatitudinem æternam noſtrā poſſibilem, & obtinendam: ſperamus quoq; & bona opera vitæ æternæ meritoria à nobis facienda.

3. *Actus Spei* eſt ſperare beatitudinē æternam, ſeu vitam æternam ex auxilio DEI, & bonis operibus gratia DEI præſtitis obtinendam. *Debemus* verò *ſperare primariò* in Gratia & Miſericordia DEI, & auxilio ac meritis Chriſti: *Secundariò* in bonis operibus noſtris ex gratia DEI factis.

Et quando iſtos actus facimus *Spero te Domine: Spero à te. Spero in te:* ſenſus iſtorū eſt: Spe-

ro

ro te Domine videndum. Spero à te ad hoc auxilium tuum Divinum, & pro bonis operibus retributionem. Spero in Misericordia DEI, & meritis JESU Christi me salvandum, & gratiam tuam te mihi daturum, ad bona opera vitæ æternæ meritoria facienda.

Oportet autem nos elicere actum Spei, ut satisfaciamus præcepto Divino affirmativo quod obligat semper, sed non ad semper. Obligat autem nos, *Primò* cum quis ad usum rationis pervenit, eiq; sufficienter proponitur DEUS, ut ejus finis ultimus, & æterna beatitudo: tunc enim debet sperare beatitudinē à DEO. *Secundò*, quando aliquis contra spē tentatur, & vehementer ad desperationē inducitur: quia tunc homo tenetur actibus Spei munire seipsum. *Tertiò*, quando vel actus Pœnitentiæ, vel orationis ex præcepto sunt exercendi. Nam quotiescunq; tenebitur aliquis pœnitere, tenebitur & sperare: Actus enim Pœnitentiæ sinè spe veniæ esse non potest. Sic quando quis orabit, statim se exaudiendum sperare debebit.

Sed sciendum est, quod præter præceptum Affirmativum, est aliud Negativum, quod obligat semper, & pro semper: id est, ad nunquam desperandū.

4. *Sunt autem duo Vitia Spei opposita. Unum est* per excessum, *Præsumptio*, qua quis vult consequi beatitudinem, vel sinè meritis, quasi debitam sibi; vel sinè DEI auxilio, quasi ad id propria natura & vires sufficiant.

Unde duplex est Præsumptio: Alia quæ innititur

tur DEO, quæ de Misericordia DEI præsumit, sed modo non debito, talis Præsumptio fuit Lutheri, & Calvini, qui de DEO præsumebant, quòd illis gratiam sinè pœnitentia, & vitam æternam sinè meritis propriis, seu sinè bonis operibus esset daturus; Quæ quidem duo paratus est DEUS conferre modo à se præscripto, & gratiam, si pœnituerimus; & vitam æternam, si bona opera habuerimus.

Alia est Præsumptio, quæ innititur propriæ virtuti; cum aliquis de suis viribus sic præsumit, ut per illas, & peccatorum veniam, & vitam æternam sit adepturus: Et hoc vitium fuit Pelagianorum: & est peccatum contra spiritum S. Nam tollit, & contemnit auxilium gratiæ Spiritus Sancti.

Oritur autem illa Præsumptio prior, quæ innititur Misericordiæ DEI, *ex superbia*, per quam homo tanti se æstimat, ut putet, quòd cum DEUS etiam peccatorem non punjet, nec à gloria excludet. *Hæc verò Præsumptio*, quæ innititur propriæ virtuti, *oritur ex vana gloria* per quam homo attentat nova, quæ admirationem pariunt; novũ autem est, id velle assequi, quod vires nostras excedit.

Alterum vitium oppositum Spei est per defectũ *Desperatio*, per quam homo vel impossibilem reputat beatitudinis consecutionem, vel non confidit, DEUM auxiliũ ad illius consecutionem sibi postulanti præbiturum.

Oritur autem Desperatio. Tum ex Luxuria, ex qua nascitur fastidium rerum spiritualiũ; & ideò luxuriosus homo, solas delectationes carnis putat

esse

esse bonū, jam verò beatitudinem æternam contemnit; & quia ad illam non aspirat, propterea de ejus consecutione desperat. *Tum ex Acedia*, ex qua homo deiicit animū, ut judicet beatitudinem sibi impossibilem.

Est autem Desperatio: Alia Mentalis, quæ solùm est in ipsa voluntate. *Alia verbalis*, quæ per verba prolata foràs prorumpit; qualis fuisse in Cain deprehenditur, qui dixit: Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear. *Alia est Realis*, quæ operibus malis & factis se prodit in apertum; qualis fuit in Juda, qui laqueo se suspendit: talis est eorū hominū, qui tradiderunt se impudicitiæ, & omni immunditiæ, & qui vitam in turpitudinibus peccatorum exigunt, & de his pœnitere nolunt.

Aliqui dividunt Desperationem respectu Objecti, & dicunt, quòd alia est Desperatio veniæ consequendæ: & talis fuit in Cain & Juda. Alia vitæ in melius mutandæ & emendandæ, & gratiæ obtinendæ. Alia est Desperatio æternæ beatitudinis cōsequendæ. Hinc definiri potest *Desperatio. Est voluntas diffidens de remissione peccatorum, de auxilio DEI ad vitæ emendationem, & ad benè agendum, & de vita æterna consequenda.*

Sunt verò sex Causæ Desperationis. Prima est, quia non vult homo attentè considerare ea, quæ illum in spem æternæ beatitudinis erigere possint: ut, quod DEUS sit bonus, misericors, & in omnibus suis promissionibus fidelis; & quòd unicuiq; quantumvis peccatori maximo sufficientia auxilia

gratiæ ſuæ dare conſuevit. *Secunda eſt* nimia ſolicitudo de rebus terrenis, & neceſſariis hujus vitæ; præſertim cum præjudicio Divinæ providentiæ, tanquam DEUS nihil omnino nobis conferat, niſi noſtro labore quæſitum fuerit. *Tertia eſt*, cum quis ab orandi ſtudio, & perſeverantia deſiſtit ideò quia non ſtatim impetrat à Domino, quod petit. *Quarta eſt*, cum quis ingrediendo per contemplationem, in multitudinem ac enormitatem ſuorum peccatorum, incipit deſperare de illorum venia. *Quinta eſt*, cum quis ob infirmitatem ſuam, & ob difficultatem vivendi ſecundum mandata DEI, deſperat de vitæ ſuæ emendatione. *Sexta eſt*, cum quis ſecum recogitat, DEUM eſſe auſterum, rigidum, ſeverũ, & ideò diffidit de adeptione æternæ beatitudinis, ita, ut omnem ſpem illius conſequendæ abiiciat.

5. Et quoniam illud *quod per Spem Theologicam ſperamus, eſt beatitudo æterna, quæ eſt ultimus finis noſter:* ideò neceſſe eſt declarare, quid ſit hæc Beatitudo, ut ſpiritualiter vivere incipientes, ſciant illam æſtimare, & ad eam obtinendam die noctuq; contendant.

Verum quidem eſt, quòd, *ſecundum S. Thomã, omnes homines naturaliter appetunt Beatitudinem*, ſecundùm communem rationem Beatitudinis, quatenùs eſt bonum perfectum, quod totaliter voluntatem explet & ſatiat: *non omnes tamen ſciũt*, quod nam ſit tale bonum, *in quo vera Beatitudo conſiſtit:* & ideò aliqui Gentiles putabant Beatitudinem conſiſtere in divitiis; aliqui in honoribus, alii

in vo-

in voluptate; alii in fama seu gloria. Eodem modo etiam nunc aliqui peccatores statuunt suam Beatitudinem in prædictis, sed falluntur: quia nullum bonum creatum reperitur ita perfectum, quod totaliter satiare, implere, & quietare possit voluntatem nostram. Nam tale bonum est, solus DEUS, qui habet omnem rationem boni, & qui solus omnem voluntatem implere & satiare potest.

Est autem *duplex Beatitudo*: videlicet, *Objectiva & Formalis seu Essentialis. Objectiva* est res illa, quæ nos beatificat, *& talis est ipse DEUS*, qui est finis ultimus noster. *Formalis est*, adeptio illius rei, & possessio finis ultimi; *& talis est visio DEI*, quæ nihil est aliud quam clara cognitio DEI, ut est in se: Et ideò Beatitudo essentialiter consistit in Actu intellectus, seu in cognitione per quam consequimur DEUM ut finem ultimũ: hoc est, habemus præsentem DEUM: Accidentaliter verò in actu voluntatis secundùm ipsam delectationem, quæ consequitur Beatitudinem. Tunc enim voluntas nostra adepto fine ultimo, seu habito Deo, conquiescit, & de eo delectatur: sicut avarus dum habet pecuniam, quam desiderabat, delectatur de ea. Itaq; constitutivum status beatifici est visio DEI; quia in hac consistit essentialis Beatitudo nostra.

Est autem possibilis nobis Visio DEI: hoc enim docet Fides Catholica; *Joan*: 3. Videbimus eum sicuti est. Non quidem viribus naturæ nec comprehensivè, sed ex gratia DEI; *alias homo nunquam*

esset

esset beatus. Et licet Essentia DEI sit infinita; tamen potest ab intellectu cognosci modo finito. Quãvis enim in ratione Entis nulla sit proportio inter Essentiam DEI infinitam, & intellectum nostrum finitum; est tamen proportio ut inter potentiam & objectum: quia intellectus noster cum sit spiritus, sicut & DEUS, ideò sufficit ut DEUS in ratione objecti possit attingi, seu cognosci ab intellectu nostro: præsertim cum DEUS, ut est quoddam Ens, claudatur intra latitudinem objecti intellectus nostri, cujus objectum est Ens Universale comprehẽdens entia universa.

Videtur verò à Beatis DEUS non per aliquam similitudinem creatam repræsentantem DEI essentiam, quæ ejusmodi dari non potest: quia deberet esse infinita: *sed per intimam unionem essentiæ DEI cum intellectu Beatorum* per lumen gloriæ elevato & disposito & corroborato, quod lumen est participatio Divini luminis: & ideò, sicut DEUS, per suum lumen increatum, videt seipsum; ita Beati, per lumen Divinum participatum & creatũ, vident DEUM; in quo similes DEO erimus in visione, per participationem luminis gloriæ, non verò per aliam similitudinem. Et quia hoc lumen gloriæ inæquale datur Beatis; secundùm majorem Charitatẽ datur unicuiq; majus lumen gloriæ, quo mediante videtur DEUS; propterea inæqualiter Beati vident DEUM, sed unus alio perfectiùs, qui habuit plus Charitatis. Non differunt quidem Beati inter se quantùm ad rem visam; quia eundem

DEUM omnes vident: sed tantùm quantùm ad modum visionis: hæc tamen inæqualitas Visionis DEI nullam parit invidiam & mærorem in Beatis: quia satietas est de intrinseca ratione Beatitudinis: & quoniam quilibet Beatus plenè satiatur DEO, juxta suam capacitatem, sive secundùm suam condignitatem meritorum & Charitatis, ideò nullus tristatur ob inæqualitatem visionis, nec eam invidet aliis.

Videntes autem DEUM in cœlo nullo modo comprehendunt eum; id est, non cognóscunt DEUM sicuti cognoscibilis est: sic enim solus DEUS seipsum cognoscit: nam ad hoc deberent habere lumen gloriæ infinitum, quale communicari non potest creaturis: & licet totus DEUS videatur à Beatis, non tamen totaliter ut est visibilis. *Dicuntur verò Beati in cœlo comprehensores*, non quod comprehendant DEUM, ita ut ipsum contineant & claudant, sed quia ipsum cognoscendo attingunt, & jam consecuti sunt: & sic dici possunt comprehendere DEUM non continendo sed attingendo & consequendo. Et quia nullus intellectus creatus simpliciter potest comprehendere DEUM: ideò videndo eum non potest videre in ipso omnia, quæ facit, aut facere potest.

Hæc verò *omnes Beati* videntes Essentiam Divinam *vident*, videlicet, *Tres personas Divinas simul, & omnia attributa Divina:* ut Potentiam, Sapientiam, Bonitatem & alia: quia & Personæ & hæc attributa sunt idem formaliter cum essentia

Divi-

Divina. *Vident etiam clarè omnia mysteria gratiæ*, quæ in hac vita obscurè per Fidem credebant. *Prætèrea vident omnia genera, & species rerum conditarum:* quia hæc sunt numero finita & certa; non per aliquas similitudines creatas, sed per solam essentiam Divinam per quam & DEUS videtur: tamen singula specierum individua, & homines cogitationes, & quæcunq; nondum facta sunt, etiamsi futura sint, & fieri possint, Beati in Deo, seu in Verbo videre non possunt: quia hæc cui vult revelat DEUS, iis, scilicet, qui cæteris clariùs videre Essentiam DEI meruerunt. Sic manifestat DEUS B. Petro quæ pertinent ad suam Ecclesiam; & Fundatoribus Ordinum, quæ spectant ad Ordines ipsorum. Simul autem, non successivè, in primo instanti suæ Beatitudinis quilibet Beatus videt in DEO omnia præterita, præsentia, & futura, quæ ad statum suæ beatitudinis pertinent. Unde etiam cogitationes hominum, & actus voluntarios tunc cognoscunt radicaliter seu causaliter, hoc est, quia ex visione Verbi oritur, ut fiant Beatis peculiares revelationes de his rebus: non autem formaliter, & distinctè, nisi à Deo revelentur, quæ revelatio fit successivè; sed istæ revelationes nonspectant ad essentiã Beatitudinis: quia sunt accidentaria, & adventitia.

Insuper Beati vident pœnas damnatorum ut Beatitudo illis magis complaceat: non tamen gaudent per se de pœnis eorum, sed per accidens, contemplando in illis justitiam Divinam.

Ad eandem Beatitudinem pertinent tres dotes

animæ: videlicet, *Visio*, quæ correspondet Fidei, *Comprehensio*, quæ correspondet Spei. *Fruitio.* quæ correspondet Charitati: quæ dotes sunt velut quædam honoraria præmia, & ornatus animæ, pro actibus trium virtutum Theologicarum in hac vita exercitarum.

Et quia corpora nostra cooperantur nunc animæ in operibus bonis! ideò post resurrectionem, eadem corpora participabunt gloriam beatitudinis cum animabus suis. Quæ *corpora habebunt etiam dotes suas:* Impassibilitatem, scilicet, Subtilitatem, Agilitatem, & Claritatem.

Et quamvis omnes Catholici speremus illam Beatitudinem æternam; nihilominùs ista spes timorem de illa consequenda nobis non aufert. Terret enim unum quemq; nostrum illud, quod dicitur. *Eccli:* 9. Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. Propterea nos commonet *Petr: Apost:* 2. *Petr:* 1. dicens: Satagite, ut per bona opera certam vestrā vocationem & electionem faciatis. *Et Paulus Apost: ad Philipp:* 2. Cum metu, inquit & tremore vestram salutem operamini. Pro solatio tamen nostro *notantur aliqua signa salutis* à spiritualibus Magistris, & Doctoribus piis.

Primum est signum salutis. Fides viva cum Charitate & bonis operibus conjuncta; qualis Fides quinq; prudentum Virginum fuit, dequibus dicitur, *Matt:* 25. Prudentes Virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus, & intraverunt cum Sponso ad nuptias: quia cum Fide bona ope-

opera & virtutes habuerunt; ut SS.Patres dicunt.

Secundum signum est. Observatio diligens & perfecta mandatorum DEI usq; ad mortem. Ita enim *ipsemet Christus Dominus dixit:* Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, *Matthæi* 19.

Tertium, Fuga & Abominatio omnium peccatorum: *quia dicitur Apoc:* 21. Non intrabit in eam, (id est, Civitatem Sanctam Jerusalem) aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens,& mendacium.

Quartum, Resignatio, seu Conformitas cum voluntate Divina in omnibus. Sic enim *Christus dixit:* Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in Regnum cœlorum. *Matt:* 7.

Quintum. Humilitas & Contemptus sui, *ipsomet teste Christo Domino, qui dixit;* Amen dicó vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. *Matt:* 18. Et rursùm: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: taliũ est enim regnũ cœlorum. *Matt:* 19.

Sextum, Charitas erga proximos, etiam inimicos: & injuriarum oblivio. In hoc cognoscent omnes, *inquit;* Christus, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinvicem, *Joan:* 13. Et: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: Et, Orate pro persequentibus & calumniantibus vos: ut sitis Filii Patris vestri, qui in cœlis

 est.

est. *Matth:* 5. Et: Dimittite, & dimittemini. *Luc:* 6.

Septimum, Vera & constans Pœnitentia, & proprii corporis castigatio. *Sic enim Christus ait:* Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnū cœlorum *Matt.* 4. *Et S. Paulus:* Castigo, *inquit*, corpus meum, & in servitutem redigo: nè fortè cū aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. 1. *Corinth:* 9.

Octavum, Frequens, pius & devotus SS. Eucharistiæ usus. Nam qui manducat hunc panem *ait Christus*, vivet in æternum. *Joan:* 6.

Nonum, Devotio erga Passionem D. nostri JESU Christi, & frequens meditatio de ea, cum pia Cōpassione interna & externa. Si enim compatimur, etiam conglorificabimur. *ad Rom:* 8.

Decimum, Tribulationes, quibus DEUS per totam vitam exercet suos, quas ipsi sustinent cum patientia. Nam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum DEI. *Act:* 14. Et: Quem diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem Filium, quem recipit. *ad Hæbr:* 12.

Undecimum, Religiosus status. Nam quod Dominus Apostolis dixit, hoc idem Religiosis competit: Vos *inquit*, qui reliquistis omnia, & secuti estis me; centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis, *Matt:* 19.

Duodecimum, Devotio singularis erga Virginem Sanctissimam: sic enim multi Sancti Patres sentiūt: ut, *S. Anselmus.* Sicut, *inquit*, ô Beatissima, omnis

à te

à te aversus, & à te despectus, necesse est ut intereat: ita omnis ad te conversus, & à te respectus, impossibile est ut pereat. *Et S. Germanus:* Nullus est, qui salvus fiat, ô Sanctissima, nisi per te. *Et S. Antonius*, Impossibile est, quòd illi, à quibus Virgo MARIA oculos Misericordiæ suæ avertit, salventur: ita necessarium, quòd hi ad quos convertit oculos suos, pro eis advocans justificentur, & glorificentur.

Verùm ultra hæc, sunt præcipua alia signa salutis, quæ ipsemet, Christus Dominus in Beatitudinibus recenset dicens. Matth: 5.

Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.

Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.

Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.

Beati Misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Beati mundo corde: quoniam ipsi DEUM videbũt.

Beati pacifici: quoniam Filii DEI vocabuntur.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

IV. Praxis Spei virtutis Theologicæ.

PRimum est quod curare debemus, ut semper habeamus Spem vivam, cum Charitate & Virtutibus conjunctam, *Qua de re sic ait S. Bernardus Serm:* 1. *in Psal:* 90. Sunt, *inquit*, qui sperant quidem in Domino, sed frustra: quia sic de mi-

ſericordia ejus ſibi ipſi blandiuntur, ut à peccatis ſuis non emendentur; vana eſt omninò Spes iſta,& hæc confundit, eò quod Charitas deſit. *Idem Serm: ſuper Salve Regina*: Spes,ait, ſinè vita virtutum, non eſt Spes, ſed Præſumptio.

Secundum eſt, ut procuremus habere ſemper cõſcientiam bonam, Quoniam, ſi cor noſtrum, *inquit B. Joannes* non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEUM, & quidquid petierimus accipiemus ab eo. Qui autem conſcientiam habere dici poſſent, ſubiicit: Quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo facimus. 1. *Joan:* 3, *Et S, Aug*: *in præfatione Pſalmi* 31. Ille, *inquit*, ſperat, qui bonam conſciéntiam gerit: quem verò pungit mala conſcientia, retrahit ſe à ſpe, & non ſibi ſperat, niſi damnationem. Ut ergo ſperet regnum, habeat bonam conſcientiam; & ut habeat bonam conſcientiam,credat & operetur: quia quod credit, Fidei eſt,quod operatur, Charitatis eſt.

Tertium eſt, ut quantumvis aliquis rectè agat, ſuis tamẽ nil meritis penitùs adſcribat, ſed ſola DEI miſericordia nitatur. Nam periculoſa, *inquit S.Bernardus*, habitatio eorum, qui in meritis ſuis ſperant; periculoſa, quia ruinoſa. Tota Spei ſalus, & omne ipſius meritum Chriſtus Crucifixus eſt.

Quartum, ut patientiam cum Spe copulemus: hoc eſt; ut ſpes noſtra patiens ſit. Sic enim nos monet Apoſtolus *ad Hæbr*: 10. Nolite, *inquit* , amittere confidentiam veſtram,(videlicet in tribulationibus & afflictionibus) quæ magnam habet remune-

munerationem. Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem DEI facientes, reportetis promissionem. *Et ad Rom:* 5. Scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò Spem.

Quintum, ut Spes nostra sit constans, etsi aliquãdo, immò sæpissimè cadamus, spes tamen nunquam deponenda est, sed quoties cadimus, toties resurgamus: si millies cadimꝰ millies resurgamus. Est enim promissum DEI certissimum: Quoniam in me speravit liberabo eum, eripiam eum, & glorificabo eum *Psal:* 90. Nam nullus speravit in Domino & confusus est. *Eccl:* 2. Bonus est enim Dominus sperantibus in eum. *Thren:* 3. Et *S. August: in Præfat: Psal:* 31. Optimus ergo ille, *inquit*, qui & vitam tenet, & benè ibi ambulat: sequentis autem Spei est, qui etsi aliquantulùm claudicat, non omninò errat, aut remanet, sed progreditur, etsi paulatim.

Sextum, ut benè agentes speremus ex auxilio DEI Beatitudinem, seu vitam æternam & omnia media ad eandem consequendam. Videlicet: Remissionem peccatorum, Mortificationem passionum, Victoriam tentationum, Adeptionem virtutum.

Septimum, ut quod speramus, idem à Domino DEO cum fiducia petamus. Si quis, *inquit S. Jacobus*, indiget sapientia (& quacunq; re) postulet à DEO: postulet autem in Fide, nihil hæsitans. *Jacobi* 1. Et *S. Joannes*. Hæc, *ait*, Fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcunq; petierimus se-

cun-

cundùm voluntatem ejus, audit nos. 1. *Joan:* 5. Et *ipse Salvator noster:* Et ego, *inquit*, dico vobis. Petite, & dabitur vobis, Omnis enim qui petit accipit. Quis autem ex vobis petit Patrem panē nunquid lapidem dabit illi? aut si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem. *Luc:* 11.

Octavum, Ut post DEUM nostrum in Sanctorum, præcipuè verò in Beatissimæ Virginis MARIÆ intercessione spem nostram collocemus, exēplo Ecclesiæ Sanctæ, à qua in Antiphona Salve Regia vocatur *spes nostra:* ut eam quoq; appellavit *B. Ephræm in Orat: de Laud: SS. DEI Matris, B Aug: Serm:* 18. *de Sanctis.* Et *S. Bernard: in serm: in Nativitate ejus.* Filioli hæc peccatorum scala, hæc mea maxima Fiducia est, hæc tota ratio Spei meæ.

Nonum, Ut quemadmodum semper ad magna & heroica aspirare debemus; ita etiam ad eadem facienda, auxilium DEI speremus: seu ut heroicam spem in DEO habeamus: & talis Spes dicitur firma & infracta Fiducia in DEO. *Qualis Spes heroica*, seu Fiducia singularis in DEO; *de S. Abraham Patriarcha ab Apostolo ad Rom:* 4. *prædicatur.* Quod contra spem in spem credidit, ut fieret Pater multarum gentium: nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam esset centum annorum, quando ei filius promittebatur à Domino, qui in remissione DEI non hæsitavit diffidentia, plenissimè sciens, quia quæcunq; promisit, potens est & facere. *Talis Spes heroica & S. Job fuit*; qui in suis tri-

tribulationibus dicere solebat: Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. *De Sancto etiam P.N. Joanne à Cruce constat*; quia immensam penè spem & Fiduciam in DEO habebat. Nam quidquid ad Majorē ejus gloriam, & proximi utilitatem aggrediebatur, non in propriis viribus, sed in Divina confidebat omnipotentia se illud perfecturum. Unde sæpiùs dicebat: O Spes cælestis, quæ tantùm obtines, quātùm speras!

Decimum, Ut frequenter per diem Actus spei exerceamus, qui habentur *Par*: 2. *pag*: 122. & 124. Et Actus Fiduciæ *pag*: 155.

Præterea secundum varias occasiones occurrentes his jaculatoriis actibus uti possumus.

Manè & Vesperi, In te Domine speravi non confundar in æternū: in justitia tua libera me, (hac die, vel nocte,) ab omni malo. *Psal*: 30. *His adjungantur & alii versus usq; ad finem Psalmi ejusdē.*

In tentationibus, Eripe me de inimicis meis DEUS meus: & ab insurgentibus in me libera me. Disperge illos in virtute tua *Psal*: 58.

Quoniam tu es, Dominus, Spes mea *Psal*:: 90. Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversùm me prælium, in te Domine sperabo. *Psal*: 26.

Mirifica misericordias tuas, Domine, qui salvos facis sperantes in te, *Ps*: 16. Et *Psalmus totus* 12.

In afflictionibus, DEUS noster refugium & virtus: adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis. *Psal*: 45.

Factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione sperent in te, qui noverunt Nomen tuũ: quoniã non dereliquisti quærentes te, Domine. *Psal: 9.*

Spes mea, tu Domine, in die afflictionis *Jer: 17.*

Qui tribulant me exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speravi. *Psal: 12.*

In periculis. Qui habitat in adjutorio altissimi, in protectione DEI cœli commorabitur Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: DEUS meus sperabo in eum. Quoniam in me speravit liberabo eum, protegam eum quoniam cognovit nomen meum. *Psal: 90.*

In te speraverunt Patres nostri, speraverunt & liberasti eos. Ad te clamaverunt & salvi facti sunt: in te speraverunt, & non sunt confusi. *Ps: 21.*

In quacunq; necessitate, Miserere mei DEUS: quoniam in te confidit anima mea. *Psal: 56.*

Dominus firmamentum meum, & refugiũ meũ, & liberator meus. DEUS meus adjutor meus, & sperabo in eum. *Psal: 17.*

Fiat misericordia tua Domine super nos, quẽadmodum speravimus in te. *Psal: 32.*

Nullus speravit in Domino, & confusus est. *Eccl: 2.*

Beatus vir cujus est nomẽ Domini Spes ejus. *Ps: 5.*

In timore aliqu:. Dominus illuminatio mea, & salus, mea, quem timebo? Dominus Protector vitæ meæ, à quo trepidabo? *Psal: 30.*

Ecce DEUS Salvator meus fiducialiter agam & non timebo: quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. *Isaiæ 12.* Vi-

Viriliter agite, & confortetur cor vestrum omnes qui speratis in Domino. *Psal:* 30.

In scrupulis, Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino. *Psal:* 4. Spera in Domino, & fac bonitatem. *Psal:* 36.

In infirmitate. Etiamsi occiderit me in hoc ego sperabo. *Job:* 13.

Veniant mihi miserationes tuæ & vivam. *Psal:* 118.

In Domino sperans non infirmabor. *Psal:* 25.

Tu es Spes mea portio mea, in terra viventium. *Psal:* 141.

Ad te, Domine, Domine, oculi mei, in te speravi non auferas animam meam. *Psal:* 140.

Eundo ad capiendam quietem. In pace in idipsū dormiam & requiescam. Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. *Psal:* 4.

Ad te Domine levavi animam meam, DEUS meus in te confido non erubescam. Custodi animā meam & erue me, non erubescam quoniam speravi in te. *Psal:* 24.

Hic habet locum Psalmus totus 30.

CAPUT VI.
DE CHARITATE.

Summarium Capitis.

I. Charitas definitur ejusq; natura describitur.
II. Subjectum ejus & augmentum declaratur.
III. De Objecto Charitatis agitur.
IV. Actus principalis illius ostenditur.
V. Effectus dilectionis recensentur.

VI.

VI. Vitia Charitati opposita enumerantur.

Quamvis in Sacra Scriptura vox Amoris Dilectionis & Charitatis pro eodem fere sumatur, nihilominùs quando de virtute agitur, usitatior Charitatis est usus, *teste S. Aug: Lib: 14. de Civit: DEI* quæ sic definitur.

1. *Charitas est virtus Divinitùs infusa, quâ homo diligit DEUM propter ipsum, & proximum propter DEUM.* Seu: *Est habitus supernaturalis inclinans voluntatem ad amandum DEUM supra omnia propter se, amore amicitiæ.* Dicitur *propter se:* hoc est, non propter bonum nostrum; quia tunc non esset amor amicitiæ, sed concupiscentiæ. Nam amare *ut ait S. Thom: ex Arist:* Est bonū alicui velle, vel sibi, vel alteri. Velle bonū sibi, est amor concupiscentiæ. Velle bonum alteri, id est, amato, est amor amicitiæ. Unde in Spe est amor cōcupiscentiæ: in Charitate autem est amor amicitiæ. Proinde *S. Thom: 2.2. q. 23. ar: 1. dicit:* quòd Charitas est quædā amicitia ad DEUM: quæ requirit benevolentiam mutuam; præterea mutuum amorem seu redamationem: requirit etiā, ut fundetur super alicujus boni communicatione: sicut hæc amicitia ad DEUM, fundatur super communicatione boni perfectissimi, quod est æterna beatitudo, quam communicat nobis DEUS: & id ô Charitas est amicitia perfectissima inter DEUM & hominem, & est supernaturalis. Nam quælibet amicitia fundatur in aliquo vinculo, quo animi amicorum vinciri possint; & hoc

ſi ſit naturale, etiam amicitia erit naturalis; ſi autem ſit ſupernaturale, etiam amicitia erit ſupernaturalis: ſed hoc vinculum, quo juſti cum DEO uniuntur, eſt merè ſupernaturale; in hac vita eſt gratia, in futura eſt beatitudo: ergo eſt ſupernaturalis.

Hæc Charitas qua DEUM & proximum diligimus, *non eſt Spiritus S.* mentem humanam inhabitans, *ſed eſt habitus creatus*, qui mentibus noſtris à Spiritu S. infunditur; ſecundùm Apoſt: *ad Rom:* 5. Charitas DEI, *inquit*, diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritū S. qui datus eſt nobis. Quæ Charitas quamvis ſit finita, producit tamen affectū infinitum, dum conjungit animam DEO, juſtificando ipſam, quod accidit ex virtute infinita agentis DEI.

Eſt autē Charitas Virtus omnium virtutū excellentiſſima, & omnium virtutum, forma & Regina: & Mater, ſinè qua nulla virtus tam infuſa quàm acquiſita eſt virtus perfecta & meritoria vitæ æternæ.

Charitas eſt virtus, quia eſt qualitas, qua benè utimur & nemo illa malè uti poteſt, & quam DEUS in nobis ſinè nobis operatur: Et quia attingit DEUM conjungendo nos DEO, qui eſt ſuprema regula actus virtutis. Nam virtus conſiſtit in attingendo regulam humanorum actuum, quæ eſt duplex: Ratio humana, & ipſe DEUS. *Præterea Charitas eſt virtus ſpecialis:* quia habet ſpeciale Objectum circa quod verſatur: videlicet bonum Divinum: ſeu DEUM, ut eſt ſummū bonum in ſe,

&

& summè amabilis propter semetipsum: per quod distingvitur à Fide, & Spe, & ab aliis virtutibus moralibus. *Præterea Charitas est virtus excellentissima*: quia attingit DEUM secundùm se ut in ipso sistat tanquam in eo, quod est summè amabile; non ut ex eo aliquid nobis proveniat: Fides autem attingit DEUM, secundùm quod provenit ex eo cognitio veri. Spes verò attingit DEUM, secundùm quod provenit ei adeptio boni, seu æternæ beatitudinis. Et ideò Charitas est excellentior Fide, & Spe, & per consequens aliis virtutibus tam Intellectualibus quàm moralibus, quæ attingunt rationem humanam, ut suam Regulam. Deinde sinè Charitate reliquæ virtutes non sunt meritoriæ vitæ æternæ: & ideò Charitas dans eis condignitatē merito, erit illis præstantior.

Præterea Charitas est omnium virtutum forma: quia per illam ordinantur actus omnium virtutum ad ultimum finem. Nam finis est ex quo virtutes sumunt suam formam. Et ideò quod dat actui ordinem ad finem, dat ei & formam; & sic Charitas, quia dat actibus ordinem ad finem, dat ipsis etiam formam; & propter hoc forma virtutum esse dicitur.

3. Est autem Charitas tantæ perfectionis, ut etiam in minimo gradu existens sit perfecta. Per hoc enim *infusæ virtutes differunt à moralibus*, quòd quævis infusa, etiam in remisso gradu, potest suos actus producere, quia inest ei vis Divina; morales autem virtutes diminutæ nequaquā possunt. Unde mini-

minima Charitas etiam hos effectus producit, quòd amat DEUM super omnia, & proximum propter DEUM, & ordinat omnes virtutes in DEUM, peccatum mortale secum non compatitur, actus meritorios vitæ æternæ operatur, & ad implenda Divina præcepta est sufficiens.

1. *Præterea, Charitas est Regina virtutum:* ipsa enim imperat actus omnium virtutum, eosque dirigit ad DEUM, ut finem ultimum *Est quoq; & Mater illarum:* quia ex ea omnes aliæ virtutes nutriuntur, & quia ex appetitu ultimi finis concipit actus aliarum virtutum imperando ipsos.

2. *Insuper absq; Charitate nulla virtus potest esse perfecta:* quia absq; illa, in ultimum ac perfectum bonum non dirigitur. *Deniq; sinè Charitate nulla virtus est meritoria vitæ æternæ.* Nam sola Charitas omniū virtutum actus ordinat in DEUM, qui est ipsamet merces nostra; in cujus visione consistit beatitudo nostra, & vita æterna.

II. Et quoniam Charitas habet pro Objecto suo bonum Divinum, quod solo intellectu cognoscitur: ideò *Charitatis subjectum non potest esse, nisi appetitus intellectivus, qui dicitur voluntas:* non autem appetitus sensitivus, cujus objectum est sensibile bonum, quod per sensus apprehenditur.

Est verò Causa Charitatis ipsemet DEUS. Nā à solo Spiritu S. nobis infunditur; quia fundatur super communicationem beatitudinis æternæ, quæ communicatio non est secundùm bona naturalia, sed secundum bona gratuita: quia ut dicitur *ad*

Rom: 6. Gratia DEI, vita æterna. Unde Charitas neq; est nobis naturalis, neq; per vires naturales acquiri potest; sed per infusionẽ Spirit9 S. qui est amor Patris & Filii, cujus participatio in nobis est ipsa Charitas participata. Infunditur autẽ unicuiq; Charitas, non secundũ capacitatẽ naturalẽ, sed secũdũ volũtatem Spiritus S. distribuentis sua dona prout vult.

Quæ Charitas, quamdiu vivimus augeri potest. Ex hoc enim in hac vita dicimur esse Viatores; quia in DEUM tendimus, qui est ultimus finis nostræ beatitudinis: in hac autem via tantò magis procedimus, quantò magis DEO appropinquamus per affectum Charitatis, per quam DEO unimur. *Augetur autem Charitas* non per additionem unius gradus Charitatis ad alterum gradum, *sed per majorem radicationem* seu inhæsionem in voluntate tanquam in subjecto. *Radicari* verò nihil aliud est, quàm firmiùs inhærere, seu magis ac[illegible]enaciùs inesse subjecto. Et licet *Charitas* augeatur intensivè, *non augetur* tamen *extensivè:* quia minima Charitas extendit se ad illa omnia, quæ sunt ex Charitate diligenda: & sicut cuilibet tentationi potest resistere, quodlibet opus virtutis poterit imperare & exercere absq; eo, quòd augeatur extensivè *Neq; hoc augmentum fit per quemlibet actum Charitatis, nisi dispositivè;* in quantùm ex quolibet actu Charitatis homo redditur promptior ad agendum secundùm Charitatẽ, & habilitate crescente homo prorumpit in actum ferventem dilectionis, quo conatur ad profectum Charitatis: & tunc Charitas

auge-

augetur in actu. *Quod augmentum Charitatis à solo DEO tanquam à causa principali effectivè producitur, ab homine verò tanquam à causa secundaria moraliter & dispositivè.* Quia ab eo augmentum Charitatis producitur effectivè à quo & ipsa Charitas : à solo autem DEO effectivè producitur Charitas; ab ipso quoq; & augmentum Charitatis producitur. Et sicut homo moraliter & dispositivè concurrit ad augmentum gratiæ, ita & ad augmentum Charitatis. *Circa quod augmentum hæc notanda sunt: Primum*, quòd per solum actū ferventiorem Charitas augeatur. *Secundum*, quòd per quemvis actum Charitatis mereamur illius augmentum. *Tertium*, quòd hoc promeritum augmētum non detur, nisi postquam homo per actum ferventiorem se disposuerit. *Quartum*, quolibet actu Charitatis nos mereri vitam æternam.

Potest verò Charitas semper augeri donec præsentem eū habeat, quē diligit, qui omne ejus desiderium tunc implebit: unde in hac vita nullus est terminus augmenti Charitatis. Est enim participatio quædam infinitæ Charitatis, quæ est Spiritus S. Et DEUS creans & augens Charitatem est infinitæ virtutis. Et in voluntate capacitas per Charitatem augetur, quia per ipsam cor dilatatur. Et quāvis Charitas ex parte Objecti, V. DEI qui est infinitè diligibilis nullius creaturæ potest esse perfecta, quia nulla creatura potest DEUM infinitè diligere: tamen ex parte diligentis tunc est Charitas perfecta, quando diligit DEUM tantùm, quantùm potest.

Quod quidem contingit tripliciter. *Uno modo sic*, ut totum cor hominis actualiter semper feratur in DEUM. Et hæc est perfectio Charitatis Patriæ. *Alio modo*, ut homo studiũ suũ deputet ad vacandũ DEO, & rebus Divinis prætermissis aliis, nisi quãtùm necessitas præsentis vitæ requirit. Et ista perfectio Charitatis est in via possibilis, quæ paucorũ hominum est. *Tertio modo ita*, ut habitualiter aliquis totum cor suum ponat in DEO, ut nihil cogitet, vel velit, quod Divinæ dilectioni contrarium sit: & hæc perfectio est communis omnibus Charitatem habentibus, quam omnes homines habere debent.

Non potest verò Charitas secundùm se, ac directè diminui, dispositiva tamen & directè diminutionem admittit, quæ diminutio nihil est aliud, quàm dispositio ad corruptionem illius, quæ fit, vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum Charitatis. *Verùm totaliter amittitur Charitas, per quodlibet peccatũ mortale* quo homo recedit à DEO, cui per Charitatem uniebatur. Nam quilibet actus peccati mortalis cõtrariatur Charitati: peccatum enim est transgressio præcepti Divini, quidquid autem contrariatur præceptis DEI manifestè contrariatur Charitati, quæ requirit ut totaliter subjiciamur DEO servando præcepta DEI. *Præterea*, quia Charitas importat unionem quandam ad DEUM. Omne autem peccatum consistit in aversione à DEO, & ideò omne peccatum mortale contrariatur Charitati. Unde patet

tet quòd *licet Fides & spes remaneant informes*, quia non excluduntur per peccatum mortale; *tamen Charitas non potest remanere informis*, quæ uno peccato mortali perpetrato amittitur: & quod sit ultima forma virtutum respiciens DEUM, ut finem ultimum.

Sunt autem tres gradus Charitatis. Primus Incipientium, qui in eo occupati sunt, ut recedãt à peccato, & pravis desideriis continuè resistant; & sic Charitatem in se nutriant, ac foveant, nè corrũpatur, ac pereat. *Secundus est Proficientium*, qui principaliter hoc intendunt, ut in bono, & in virtutum exercitatione proficiant, ut per hoc Charitas in eis augeatur, & roboretur. *Tertius est Perfectorum*, qui hoc præcipuè intendunt, ut DEO inhæreant, & fruantur: qui cupiunt dissolvi, & esse cum CHRISTO.

III. *Objectum Formale Charitatis est*, *Bonitas Divina* super omnia diligibilis. *Materiale verò* est illud, quod habet bonitatem Divinam, vel essentialiter, ut est DEUS: vel participativè ut est proximus: & ideò *DEUS est primarium Objectum Charitatis: proximus verò secundarium*. Sub quo comprehenduntur omnia, quæ sunt aliquid DEI, & ut sunt capacia æternæ beatitudinis. Hinc colligitur *quatuor diligenda esse ex Charitate: DEUS*, *Proximus*, *Corpus nostrum*, *& Nos ipsi*. Nam Charitas fundatur super communicationem æternæ beatitudinis: hæc autem quatuor pertinent ad hanc cõmunicationem: DEUS quidem, ut beatitudinis æ-

ternæ causa & principium; & ideò primo loco, & super omnia debet amari. Nos verò ipsi, ut ejusdem beatitudinis directè participes. Corpus autem, ut participans indirectè per redundantiam ex gloria animæ. Deniq; proximi tanquam socii nobiscum prædictæ participationis. *Proximi* verò *dicuntur* tam homines, quàm Angeli: tam amici, quàm inimici; tam justi, quàm peccatores, quatenùs isti cõverti possunt; Dæmones tantùm & damnati excluduntur, quia jam non sunt capaces beatitudinis æternæ.

Imprimis autem ex Charitate diligendus est DEUS, tanquam primarium Objectum Charitatis, in quantùm est bonitas increata & infinita, quæ facit DEUM super omnia propter seipsum, hoc est, amore amicitiæ amabilem; & sic ex Charitate volumus DEO omne bonum, & de illius bonis gaudemus. Diligitur autem à nobis DEUS propter ejus bonitatem, non ut est quoddam attributum Divinum ab aliis distinctum, & prout dicit quandam particularem perfectionem in communicando se: sed ut bonitas Divina dicit quandam absolutam perfectionem in omni genere excellentiæ: sic enim dicit rationem formalem Objectivam Charitatis etiam in se continens omnia attributa Divina.

Deinde ex Charitate etiam Proximus est diligendus, ad quod præcepto Divino obligamur. *Matt: 26.* Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Præterea, quia omnes sunt homines unius & ejusdem naturæ, propter quod necesse est, ut eos naturaliter dili-

diligamus. Sunt quoq; capaces gratiæ donorũ supernaturalium, & ipsius beatitudinis æternæ, in quibus omnibus cum illis communicationem habemus; & ideò oportet ut eos ex Charitate diligamus. *Non solùm autem justi sed etiam peccatores sunt ex Charitate diligendi*, non quo ad peccatũ secundùm quod sunt peccatores, propter quod sunt odibiles DEO, & sunt inimici DEI: sed quo ad naturã suã, secundùm quam sunt capaces æternæ beatitudinis, propter quod proximi nostri dicuntur.

Immò etiam Inimici sunt ex Charitate diligendi, non inquantùm sunt inimici nostri secundùm suam pravam affectionem peccati: sed ut sunt homines, & inquantum sunt capaces visionis Divinæ: quia sic sunt proximi nostri; qua de re est præceptum DEI speciale *Matth:* 5. Diligite inimicos vestros. Quod præceptum de diligendis inimicis non debet nobis videri grave; siquidem est juris naturalis: fundatur enim in hoc præcepto naturali: *Quod tibi non vis fieri, alteri nê feceris.* Sed nemo vellet odio haberi ab eo, quem injuria affecit, immò cuperet ab eo amari: ideò vice versa, si quispiam ab aliquo injuria affectus fuerit aliquando, debet omne odium ejus abolere, & in amorem convertere: *Nam quod tibi vis fieri, & tu facias alteri.*

Sciendum autem est Christum Dominum non dedisse novum præceptum de diligendis inimicis, sed antiquum malè intellectum, & à Judæis depravatũ, suæ integritati restituisse. Judæi enim ex hoc, quòd

proximus ſit diligendus, inferebant: ergo inimicus odio habendus; non animadvertentes, quòd inimici ſint proximi, quos jubemur diligere.

Eſt autem *de neceſſitate Charitatis ut ſigna & beneficia communia*, quæ aliis proximis in communi exhibemus, eadē quoq; *inimicis exhibeamus*; ſigna autem & beneficia ſingularia & ſpecialia exhibere inimicis non eſt de neceſſitate Charitatis, niſi in caſu neceſſitatis. Quia nemo tenetur magis diligere inimicum quàm ut alios proximos diligimus: ſed non tenemur omnibus proximis ſpecialia ſigna Charitatis exhibere, niſi in caſu neceſſitatis. Ergo nec inimicis. Poteſt tamen contingere aliquando quòd magis tenemur inimico ſpecialia ſigna exhibere, quàm alteri. *Primò* ob vitandum ſcandalum: nè alii deprehendant nos exercere odium, niſi in tali caſu ſpeciale ſignum amoris exhiberemus. *Secundò*, ſi videamus hoc eſſe neceſſarium, ut in nobis odium reſtringamus. *Tertiò*, ſi ad placandū inimicum, & ad ſalvandam animam ejus advertamus id eſſe neceſſarium.

Hinc neceſſarium eſt, ut *quoties inimicus nos ſalutat, eum reſalutemus*; ita ut ſi non reſalutatio eſſet contemptus notabilis perſonæ inſignis; & in præſentia perſonarum illuſtrium, unde ſcandalum oriretur, tunc non reſalutare eſſet peccatum mortale; ſi autem inimicus eſſet inferioris conditionis, ut ſervus reſpectu nobilis viri, tunc nullum peccatum eſſet. Quòd ſi *obvium inimicum* haberem, *ſalutare* ipſum verbo, aut alio ſigno *ſimpliciter non tene-*

teneor: quia ſalutatio eſt ſignum ſpeciale, quod etiam aliis proximis non teneor impendere. Quòd ſi per ſignum ſalutationis meæ poſſum lucrari inimicum; ſic ex Charitate teneor ad hoc ei præſtandum: præterea ſi inimicus ſit aut Prælatus, aut in aliqua dignitate conſtitutus, cui ab omnibus ſigna honoris exhibentur; tunc ſub mortali teneor ad ſimilem honorem illi exhibendum, præſertim ſi notabilis contemptus perſonæ hinc oriretur.

Sed ſciendum *quis modus ſervandus eſt in condonanda injuria inimicorum.* Nam tria ſunt quæ ex injuria illata naſcuntur. *Primum eſt* dolor, & animi amaritudo, ex quo odium & malevolentia oritur, ita ut ei qui nos injuria affecit malè cupiamus: & hoc odium ſtatim ab initio eſt deponendum: aut ſi fuerit admiſſum, quàm primùm abijciendum. Ita enim *præcipit Chriſtus Matth: 6.* Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis. *Secundùm quod ex injuria oritur,* ſunt ſigna doloris & amaritudinis opere externo declarata; & hæc ſalva conſcientia non ſunt licita. Si autem is, qui offendit petit veniam, tunc tenemur per exteriora ſigna declarare nos aut nullū odium concepiſſe, aut jam deponere, nec velle animum malevolum retinere. *Hoc* enim *requirit à nobis præceptum Chriſti Luc: 17.* Si peccaverit, *inquit*, in te frater tuus increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi: & ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te dicens: Pœnitet me; dimitte illi. Quòd ſi Superio-

riores ab aliis inferioribus offensi fuerint non debent statim ad priorem amorem admittere eos, à quibus injuriam acceperunt; quia hoc ad illorum cautelam, & ad exemplum aliorum est utile. *Tertium quod ex injuria oritur*, est actio in foro externo, cum à judicio requirimus injuriæ reparationem, & hoc licitè fieri potest: quia unicuiq; liberum est apud legitimum judicem jus suum persequi; præsertim si agitur de bonorum restitutione, aut de famæ læsione. Si tamen is, qui nos læsit, veniam petit, & condignam satisfactionem offert, tunc in jus vocari non debet: nam videtur jam injuria illata cessare.

Debet quoq; homo quilibet etiam seipsum diligere ex Charitate: quia hoc præcipitur *Matth:* 22. Diliges proximum, sicut te ipsum: in quo præcepto implicite unicuiq; mandatur sui dilectio quæ debet esse mensura & regula dilectionis proximi: & quia homo est aliquid DEI, in quo relucet similitudo & imago DEI: unde sicut principaliter quilibet debet diligere DEUM, ita secundariò & ea quæ sunt DEI: Et quia quilibet potest sibi velle bonum spirituale, gratiam, videlicet, & gloriam æternam. Et quamvis vituperentur *ab Apostolo 2. ad Timot:* 3. Homines amantes seipsos: tamen hoc debet intelligi de illis, qui se amant secundùm naturam sensibilem, & secundùm concupiscentiam, cui indulgent, non verò de illis, qui amant seipsos secundùm naturam rationalem, & qui sibi volunt ea bona, quæ pertinent ad perfectionem rationis.

Immò

Immò etiam corpus ſuum debet homo ex Charitate diligere: quia eſt à DEO: & quia poſſumus eo uti ad ſervitium DEI: & quia eſt inſtrumentum bonorum operum, per quod cultum DEO exhibeamus, & illius gratiam promeremur: & quia eſt capax æternæ beatitudinis per redundantiam ex gloria animæ. Et quamvis Apoſt: *ad Rom:* 7. Conquerebatur de ſuo corpore, dicens: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? nihilominùs Apoſtolus non conquerebatur de corpore ſub ratione corporis, ſed de concupiſcentia & fomite peccati, quem nomine corporis vocat. *Neq; valet dicere.* Si corpus amandum eſt: ergo jejuniis, diſciplinis, ciliciis &c. non eſt affligendum. Nã tunc maximè dilectionem corpori impendimus cùm illud per mortificationem à peccatis arcemus: & ideò Apoſt: *ad Colloſſ:* 3 nos monet Mortificate, *inquit*, membra veſtra.

Et licet homines boni & juſti verè ſeipſos diligant: non tamen peccatores: quia non amant id, quod eſt in homine præſtantiùs; non enim amant animam ſuam, nec illius ſalutem; ut dicitur *Pſal:* 10. Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Unde ſeipſos amant ſecundùm id, quod eſt in homine inferius; hoc eſt, ſecundùm cupiditatem & ſenſualitatem, in quantum bona ſenſibilia & delectabilia ſequuntur; qui ordinem naturæ invertunt, dùm rationem cupiditatibus ſubiiciunt.

Inſuper creaturæ irrationales ſecundariò tanquam media & ſubſidia nobis & noſtris proximis

ad

ad salutem conferentia possunt diligi à nobis: Et ideò bona hujus vitæ (ut honores divitiæ, sanitas, doctrina) prout conferunt ad meritum gratiæ & gloriæ, & ad serviendum DEO & proximo, & ad opera misericordiæ, ex Charitate sunt diligenda.

Talis autem ordo in Charitate servari debet, ut ille magis diligatur, qui vel est majoris perfectionis, vel magis conjunctus diligenti. Propterea ante omnia debet amari DEUS: & post DEUM Humanitas Christi, deinde Virgo Beatissima; postea plùs unusquisq; debet amare seipsum, quàm proximū: ex proximis plùs debet amare justos, quàm peccatores: plùs parentes, quàm fratres: plùs amicum, quàm inimicum.

Et imprimis principaliter, & maximè, ex Charitate diligendus est DEUS super omnia, & præ omnibus; idq; Objectivè, & appretiativè, & intensivè. Objectivè, magis diligendus est DEUS, quàm Parentes, aut quivis alius proximus: nam dicitur *Matth:* 10. Qui amat Patrem, aut Matrē plùs quàm me non est me dignus. *Appretiativè,* quia magis æstimare debemus DEUM, quàm alia, & ideò debemus esse parati omnia alia bona amittere, & quævis mala pati propter amorem DEI. *Intensivè* quoq; diligendus est DEUS; quia omni conatu voluntatis, & fervore Charitatis ad eum amandum ferri debemus.

Etiam post DEUM *Humanitas Domini Nostri JESU Christi* ex Charitate diligenda est magiquàm nosipsi, aut nostri proximi: quia est causas

meri-

meritoria nostræ salutis, atq; etiam gratiæ & Charitatis, & omnium spiritualium bonorum.

Virgo quoq; Beatissima post DEUM & Christum plùs omnibus est amanda; & *Objectivè* optando illi illam plenitudinem gratiarum, quæ illi ex privilegio singulari DEI est decreta: & *appretiativè*; quia hæc est Mater DEI, & salutis nostræ origo: *& intensivè*; quia est Mater misericordiæ, spes, & refugium peccatorum.

IV. *Est autem Actus principalis Charitatis Dilectio*, quæ differt à Benevolentia: quia hæc nihil est propriè nisi actus voluntatis, quo volumus alteri bonum, sinè ulla unione affectus ad illam: Dilectio verò est actus Charitatis quo volumus alicui bonum cum unione affectus ad amatum. *Hoc actu Dilectionis debemus amare DEUM propter seipsum*, cùm DEUS sit ipsa essentia bonitatis per se, & ultimus finis omnium: quanquā *dispositivè propter aliud* à nobis diligi possit, quo inducimur ad ipsum amandum: puta propter beneficia ab eo suscepta, vel propter præmia sperata, vel propter pœnas, quas per ipsum vitare intendimus: per quæ disponimur & inducimur ad DEUM diligendū. Unde *licitè possumus diligere DEUM propter mercedem æternam*, ordinando ipsum actum dilectionis in DEUM, qui est ultimus Finis & ipsa merces æterna. Unde *Concil: Trid: Sess: 6. c.11. definit:* Si quis dixerit justum peccare, cum intuitu vitæ æternæ mercedis bene operatur, anathema sit. *Licitè quoq; potest diligi DEUS propter bona*

tem-

temporalia, dummodo in his finem ultimum non constituamus. Nam & Ecclesia petit à DEO sanitatem, pluviam, agrorum fertilitatem &c. Et in Oratione Dominica petimus panem, & sub nomine panis bona temporalia: quia hæc sunt instrumenta virtutum, & subsidia ad serviendum DEO.

Neq; putet aliquis à nobis diligi DEUM amore mercenario, qui amor est malus, & Charitati contrarius, dum diligitur propter mercedem: quia tunc amor mercenarius est malus cùm quis diligit DEUM propter solam mercedem, non referendo eam cum suo amore ad DEUM tanquam ad finem, qui eam confert mercedem: sed si quis diligat DEUM sperando ab illo mercedem, ita ut eundem diligeret seclusa mercede, tunc talis amor est bonus.

Neq; etiam aliquis putet in hac dilectione esse ordinem inversum, dùm petimus à DEO res temporales, eò quod tunc Oratio res spiritualis ordinatur ad res temporales: quia nos preces nostras primariò in honorem DEI referimus; secūdariò ad bona temporalia obtinenda.

Deinde debemus diligere DEUM Totaliter sumendo hoc Nomē totaliter, tam *Objective ex parte rei amatæ* ita ut totum, quod est in DEO, diligamus, cum DEUS totus sit amabilis. Quàm *Subjectivè ex parte rei amantis*, ita, ut nihil sit in amante, quod non tendat in amorem rei amatæ. Sed si hoc nomen Totaliter sumatur ratione modi ita, ut tantùm DEUM diligamus, quantùm est amabilis, sic nullo modo possumus nec obligamur diligere

DE-

DEUM; quia DEUS est infinitè bonus & infinitè amabilis, ergo est infinitè diligendus; quod nulla creatura præstare potest, cum ipsius dilectio sit finita.

Præterea diligendus est DEUS sinè modo, seu sinè ulla mensura: quia DEUS est finis ultimus; finis autem intantùm est appetibilis, & amabilis; in quantùm est bonus: DEUS autem est infinitè bonus; itaq; in infinitum erit appetibilis & amabilis & ideò sinè ulla mensura, sinè modo & Objective, & appretiativè, & intensivè est diligendus: proinde in illius dilectione semper est proficiendum. *Per accidens tamen ex parte subjecti aliqua mensura & modus propter nostram infirmitatem est servandus,* nè succumbamus. Nam aliqui plùs nimium jejunando &c. ex amore DEI, debilitantur. In actionib9 quoq; externis cùm sint media ad finē, mensura est adhibenda; unde regulari debent prudentiâ, ut fiant quando oportet, & nè una operatio aliam impediat, præsertim cùm ex præcepto sit exercenda.

Obligamur autem diligere DEUM & proximum ex DEI mandato de quo Matth: 22. Diliges D. DEUM tuum ex toto corde tuo &c. Et proximum tuum sicut teipsum. *Et quamvis Charitas, qua diligimus DEUM & Proximum sit una virtus,* propter unam rationem formalem diligendi, quæ est bonitas Divina per se summè amabilis, propter quam diligimus DEUM propter se, & proximum propter DEUM: *nihilominus duo sunt præcepta à DEO data de dilectione DEI & Proxi-*

mi

mi: Unũ quidẽ quo inducimur ad diligendum DEUM, ficut finem: & aliud quo inducimur ad diligẽdũ proximũ propter DEUM, ficut propter finẽ. Unde *dilectio DEI & Proximi duo funt actus Charitatis propter quos data funt præcepta duo.* Verum quidem, eft quod in dilectione DEI includitur dilectio proximi; & è converfo: nihilominùs debebãt dari duo præcepta de hac utraq; dilectione, propter homines minùs capaces qui non confiderant unum horũ præceptorum in alio contineri: quæ præcepta includuntur in omnibus præceptis Decalogi, & hæc ordinantur ad dilectionem DEI & proximi.

Præcepit autẽ DEUS *Deut: 6.* ut eũ diligamus ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine: & in Evangeliis additur, ex tota mente, ex tota Virtute & ex omnibus viribus (fed hæc nomina, fortitudo, virtus & vires pro eodem fumuntur) *quod fic explicat S. Thom: 2.2. q.44.4.5.in c.* Præcipitur, inquit nobis, ut tota noftra intentio feratur in DEUM, quod eft diligere eum ex toto corde: & quòd intellectus nofter fubdatur DEO, quod eft ex tota mente: & quòd appetitus nofter reguletur fecundùm DEUM, quod eft ex tota anima: & exterior actus nofter obediat DEO, quod eft ex tota fortitudine, vel virtute, vel Viribus DEUM diligere. Quod præceptũ de dilectione DEI in hac vita non poteft perfectè adimpleri, ad quod requiritur, ut homo totaliter uniatur DEO, ficut fiet in Patria, feu in Cœlo, ubi hoc præceptum plenè & perfectè implebitur. In hac vita verò imperfectè impletur, ubi unus aliô

tantò

tantò perfectiùs implet illud, quantò magis accedit per quandam similitudinem ad patriæ perfectionem.

Et quoniam *hoc præceptum est Affirmativum*, quòd obligat semper sed non pro semper: in quo includitur Negativū, quod obligat semper & ad semper, id est, ut nunquam odio habeamus DEUM: ideò *secundùm illud* præceptum affirmativum, *unusquisq; obligatur elicere actum dilectionis. Primò* quando venit ad usū rationis, & cognoscit DEUM esse suum Creatorem, & summū Benefactorem. *Secundò* cùm quis odio DEI tentatur. *Tertiò* quoties vult elicere actum contritionis, qui est dolor de peccatis ob amorem DEI, vel propter DEUM summè dilectum. *Quartò* in articulo mortis, & in evidenti vel probabili periculo. Sed secundū consilium Magistrorum spiritualium, optimum est, quàm frequentissimè actus dilectionis DEI exercere, propter summam & infinitam bonitatem DEI, & ob innumera beneficia ejus.

Et quia præter DEI dilectionem præceptum datùm est homini ut proximum diligeret sicut se ipsū: ideò hunc *Modum dilectionis, proximi quilibet servare debet, ut eum diligat sicut seipsum, id est, sanctè, justè & veraciter.* Quod non est intelligendum: *ut ait S. Thomas citatus*, quòd aliquis proximum sibi æqualiter diligat, sed similiter sibi. *Primò* quidem ex parte finis, ut scilicet, aliquis diligat proximum propter DEUM, sicut seipsum propter DEUM debet diligere: ut sic sit dilectio proximi sancta. *Secundò* ex parte regulæ dilectionis;

ut ſcilicet aliquis non condeſcendat proximo in aliquo malo, ſed ſolùm in bonis: ſicut & ſuæ voluntati ſatisfacere debet homo ſolûm in bonis, ut ſic ſit dilectio proximi juſta, *Tertiò* ex parte rationis dilectionis: ut, ſcilicet, non diligat aliquis proximũ propter propriam utilitatem, vel delectationem, ſed ea ratione, quòd velit proximo bonum, ſicut vult bonum ſibi ipſi, ut ſic dilectio proximi ſit vera. Nam cùm quis diligit proximum propter ſuã utilitatem vel delectationem, non verè diligit proximũ, ſed ſeipſum.

V. *Sunt verò effectus Charitatis duplices:* Interiores: Videlicet. *Gaudium*, *Pax*, *Miſericordia*. Et Exteriores: Vid: *Beneficentia*, *Eleemoſyna*, *Correctio fraterna*.

Primus effectus Charitatis eſt Gaudium, quod etiam Delectatio dicitur. Sed in hoc differunt, quod Delectatio ſit communis, tam ratione præditis, quàm carentibus: propriè tamen Delectatio tribuitur brutis, Gaudium verò Hominibus. *Eſt autẽ Gaudium, affectio ſeu hilaritas quædam animi interior, ex amati deſideratiq; boni poſſeſſione concepta.* Seu, *Eſt delectatio de præſentia rei amatæ conſequens dilectionem.* Eſtq; erga DEUM *duplex Gaudium: Aliud* puræ amicitiæ, quo gaudemus de præſentia boni Divini ad ipſum DEUM: ut quia poſſidet infinitam perfectionem, infinitam beatitudinem &c. *Aliud* declinans ad amorem concupiſcentiæ: ut cùm gaudemus quia DEUS eſt bonis præſens per gratiam, & erit per gloriam. *Ad amorem proximi*

ximi consequitur gaudium de ejus bono, quod nõ est bonum concupiscentiæ, sed amicitiæ.

Pax verò est quædam pacatio motuum, & quò ad alterum & quò ad nos. Seu *Est unio tum appetituum in nobis, tùm unio appetitûs proprii cũ appetitu alterius*, tam quò ad corda, quâm quò ad verba, aut opera. Et hæc vocatur *Concordia*: acproinde Concordia includitur in pace. Utramq; unionem efficit Charitas. Nam secundùm quod DEUS diligitur ex toto corde, omnes appetitus nostri in unum, qui est ipse DEUS, feruntur. In quantùm autem diligimus proximos sicut nosipsos, volumus implere eorum voluntatem, sicut & nostram: & sic omnium corda in unũ *Velle* pacificè junguntur.

Misericordia secundùm S. Aug: Est alienæ miseriæ in corde nostro compassio. Quod intelligendũ est in ordine *ad sublevationem talis miseriæ*. Propriè autem Compassio dicitur quædam tristitia, & dolor animi de malo alterius. Seu, *Misericordia est affectus voluntatis, quo secundũ rationem movemur ad sublevandam proximi miseriam.* Estq; distincta virtus à Charitate, cujus pars Potentialis potest dici: quatenùs per se oritur ex Charitate, & adjungitur illi in ordine ad quandam partem Objecti secundarii, nempe ad sublevandum malum proximi. Ex eo enim quod Charitas gaudet de bono proximi tanquam de proprio, sequitur non modò ut tristetur de ejus malo, sed ut ad illum sublevandum conetur, qui est proprius affectus misericordiæ. Ideò autem dicitur distincta virtus à Charitate, quia habet quã-

dam ſpecialem, & diſtinctam difficultatem à Charitate, vel quia verſatur circa paſſiones moderãdas, quæ in nobis oriuntur ex conſpectu miſeriæ proximi; aut enim plùs nimio commovemur ad levandũ malum proximi; aut plùs nimiò retardamur, & indureſcimus, nè miſereamur; aut quia æſtimamus afflictum juſtè pati: ergo ut tales paſſiones ad mediũ rationis reducantur, aliquis habitus in mediocritate conſiſtens requiritur.

Actus virtutis miſericordiæ. Eſt ſublevatio miſeriæ alienæ ſive temporalis, ſive ſpiritualis & vocatur *Eleemoſyna.* Numeranturq; communiter 14. *Septem corporales* ſcilicet *paſcere eſurientem, potare ſitientem, veſtire nudum, colligere hoſpitem, viſitare infirmũ, redimere captivum, & ſepelire mortuum:* quæ in hoc verſu continentur.

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo. *Septem* aliæ ſunt *ſpirituales:*, nempe *docere ignorantem, conſulere dubitanti, conſolari triſtem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare oneroſos, orare pro proximis:* quæ etiam continentur hoc verſu:

Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora. Ita ut ſub primo verbo intelligatur Cõſiliũ & Doctrina.

Beneficentia eſt actus Charitatis, quo alicui bonum ipſo facto, & re ipſâ exteriùs exhibemus. Hæc Beneficentia ut ſit meritoria, illius actus, quo proximo ſubvenimus, per Charitatem referendus eſt in DEUM.

Eleemoſyna eſt opus, quod datur indigenti ex com-

compassione propter DEUM. Est verò Eleemosyna actus Charitatis, non solùm ideò, quia actus omniū aliarum virtutum dirigit in DEUM, ut in finē ultimum, sed etiam ideò quia est actus à Charitate imperatus mediante misericordia productus. Ut verò Eleemosyna sit meritoria vitæ æternæ, debet esse impensa ex Charitate in DEUM, ita ut proximo indigenti, quem propter DEUM amamus, Eleemosynam largiamur. *Et licet corporalis Eleemosyna secundùm suam substantiam considerata, non habeat effectum spiritualem*: nihilominùs *ex parte suæ causæ*, hoc est, in quantùm ex Charitate & misericordia procedit, quia propter DEUM exercetur, *Sic habet effectum spiritualem*. *Primò*, quòd sit meritoria vitæ æternæ. *Secundò*, quòd satisfaciat pro pœnis, quæ post dimissa peccata remanent. In quo sensu Daniel loquitur ad Nabuchodonosor Regem, *Redime peccata tua Eleemosynis:* hoc est, priùs pœnitentiam fac de peccatis, demùm illorum pœnas Eleemosynis redime. *Tertiò*, quòd quando Eleemosyna fit ex motione Spiritus S. nondum quidem inhabitantis sed excitantis, videtur jam hominē ad justitiam disponere & præparare. *Quartò*, Quia proximum, cui exhibetur Eleemosyna, monet ad orandum pro benefactore.

Sciendum autem est, quod *Eleemosyna sola sinè pœnitentia non dimittit peccata.* Nam dicitur. *Luc:* 13. Nisi pœnitentiam egeritis, simul omnes peribitis. *Neq; item dimittit peccata ut Sacramentum:* quia solùm hoc habent Sacramenta ex

Christi institutione. *Neq; etiam dimittit peccata ut certo & infallibiliter disponens ad recipiendam gratiã.* Sed tantũmodò remittit peccata quo ad pœnas illarũ præsupposita pœnitentia. *Obligamur verò ad faciendam Eleemosynam præcepto affirmativo*, quod non pro omni, sed pro certò tempore obligat: ut quando proximus est in necessitate, quã ego benè novi; & habeo tantas facultates, ut illi subvenire possim; & sinè magno incommodo rerũ mearum; præsertim cum nesciam certò; aut saltem probabiliter, an aliquis eum in hac necessitate juvabit.

Correctio est actus adhortationis, quem impendimus proximo nostro ad emendationem ejus. Est autem actus Charitatis, à misericordia elicitus, per quem intendimus à spirituali miseria proximũ eripere: Est actus Charitatis; quia ad Charitatẽ spectat bonum proximi procurare, hoc est emendationem vitæ, quod fit per correctionem. Est quoq; actus à misericordia elicitus, quia misericordiæ est proprium commoveri super miseria proximi, hoc est, super peccato, quod est spiritualis miseria hominis gravissima.

Correctio appellatur alio nomine *Correptio*, sed cũ hoc discrimine, quod *Correptio* sit quædã Reprehensio, sive Monitio, quam non semper emendatio proximi sequitur: *Correctio* verò est adhortatio, quæ emendationem sortitur. His tamen nominibus Doctores promiscuè utuntur, ad significandum actum, quo proximi mediante monitione in meli-

us

us vitam commutare cupimus. *Obligamur autem ad faciendam fraternam correctionem præcepto Divino, quod habetur. Matt:* 18. Si peccaverit in te frater tuus corripe eum. *Quod præceptũ quia est affirmativũ*, ideò non semper, sed pro certo, loco, tempore & aliis circumstantiis occurrentibus sub peccato obligat: præsertim si scio peccasse proximũ; & si in peccato perseverat: si prævideo emendationem: si ob correctionem vitia dimittet: si scio, quòd non habeat, qui illum corripere possit; & si adsit opportunitas coarguendi; deniq; si peccatum mortale commisit: *in his casibus si correctio omissa fuerit erit peccatum mortale*: quia tunc est tempus necessitatis proximum corrigendi; præcepta autem affirmativa obligant pro tempore necessitatis.

Correctionis modum ipsemet Christus D. descripsit. Matth: 18. Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium, stet omne verbũ: quòd si non audiverit eos, dic Ecclesiæ: si autẽ nõ audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. In quibus verbis *triplex modus Correctionis. Primus*, secreta Correctio inter te & illũ solum. *Secundus*, ut fiat Correctio in præsentia unius vel duorum. *Tertius*, ut fiat publica Correctio, hoc est, in facie Ecclesiæ, seu Congregationis. *Sed quando peccatum proximi est publicum, tunc non est necesse ut præcedat Correctio secreta;*

ta; quia cessat causa privatæ correctionis, videlicet, nè proximus infametur, qui publico crimine cōmisso jam se ipsum infamavit. Quòd *si secretum* fuerit peccatum proximi, *sed in magnum detrimentū multorum, & boni publici vergit* tunc sinè præmissa secreta correptione, *statim palam ad denūtiationē procedendū:* illud verò est peccatum publicum, de quo aliquis in judicio est convictus; aut quod in aliqua vicinia circumfertur, aut in communitate, aut in Collegio, aut quando est publica infamia. *Si verū* fuerit *peccatum secretum, & non cedat in malum aliorum*, sed solū in ejus qui peccavit, & in illius, in quem peccavit; *tunc secreta admonitio debet præcedere, publicam denuntiationem:* quia ex Charitate obligamur, ut proximo quantùm possumus cum minimo detrimento ejus subveniamus. Quando verò ex certa & justa causa, colligimus nostram secretam correptionem nullum fructum allaturam: tunc omissa privata correptione statim ad publicam transire possumus. Sic Joseph Patriarcha fecit, qui omissa privata correptione, fratres suos apud patrem accusavit: quia illius monitionem non suscepissent, ex eo quòd ipsū oderint.

VI. *Vitia autem opposita Charitati, hæc sunt, quorum aliud opponitur.*

Actui Charitatis, qui est dilectio: *ut Odium.*

Gaudio Charitatis	(	Divino, ut *Acedia*
de bono	(	Proximi, ut *Invidia*

Paci, quod commit- (Corde, ut *Discordia*,
titur. (Ore, ut *Contentio*.
((*Schisma*,
(Opere, (*Bellum*.
(ut (*Rixa*,
((*Seditio*.

Misericordiæ ut *Cordis duritia*

Beneficentiæ & Correctioni fraternæ, ut *Scandalum*.

Odium Dei est Aversio á Deo, seu displicentia. Possunt autem homines impii *duplex* habere odiũ contra DEUM & *Abominationis* per quam odio habent legem peccata prohibentem, & ipsum Legislatorem DEUM. Et *Odium Inimicitiæ* propter pœnas, quas eis infligit pro peccatis: quia vellent non esse justitiã DEI, & per consequẽs ipsũ DEUM; & tale odium est in damnatis. *Unde nullo modo potest odio haberi DEUS, inquantùm est Auctor horum effectuum, V. Esse, vivere, Intelligere:* Quia hæc Voluntati humanæ nullo modo displicere possunt. Et tantũmodò *potest DEUS odio haberi, inquantùm* est Auctor eorum effectuum, qui perversæ voluntati humanæ displicent, ut, quòd *peccata prohibeat & quòd* pro eis *pœnas infligat.* Est autem odium DEI maximum peccatum. Nã peccati ratio cõsistit in voluntaria aversione à Deo, quæ aversio per se inest in odio DEI, in aliis verò peccatis est solùm per participationem. Et quia odium opponitur maximo bono, nempe dilectioni DEI, qui est sumũ bonum: ergo odium erit summũ malum.

Odi-

Odium Proximi est Aversio ab eo. Itaq; *odisse fratrem secundùm* id, quod habet à DEO, v. naturam & gratiam, *est peccatum: odisse verò* id quod est & ab homine & à suggestione diaboli v. *peccatum*, tale odium *est meritorium:* quia zelatur super iniquitatem impiorum, & vult eam annihilatam esse, tanquam id, quod iram DEI concitat.

Acedia est tristitia generans tædium & fastidiũ de rebus Divinis.

Invidia est tristitia de bono proximi, quatenùs excedit proprium bonum, illudq; diminuit.

Discordia est quædam dissensio voluntatum & judiciorum, per quam unus judicat aliquid esse bonum vel verum: alius judicat esse malum aut falsum; & per quam unus à voluntate alterius dissentit.

Contentio est quædam pugna, seu altercatio verborum, quæ dicit quandam contrarietatem, & discrepantiam adversùs proximum; quæ *Contentio contingit dupliciter: Primò* contra veritatem, quæ est impugnatio veritatis: & sic est peccatum mortale, quando eo animo veritas ad Fidem pertinens, aut ad bonos mores, impugnatur: si autem exercitii causa, aut tentationis fiat, aut ex probabili ignorantia, tunc à mortali excusatur. *Secundò* fit Contentio contra falsitatem, quæ est impugnatio falsitatis: & hæc non est peccatum: nisi fiat excessus; aut in vocis intensione; aut in gestibus incompositis; maximè si fiat non ad instructionem audientiũ, sed ad inanem ostentationem; & sic non carebit pecca-

peccato: quod non erit contra Charitatem, ſed contra modeſtiam. *Si* autem *Contentio fiat in defenſionem Veritatis, & in oppugnationem falſitatis* cavendo nè fiat aliquis exceſſus; tunc *non* tam *Contentio, quam defenſio virtutis dicenda.* Oritur verò tam diſcordia, quàm Contentio ex inani gloria. Nam ſicut illi dicuntur diſcordes, qui ſtant in ſuo ſenſu & judicio, & unus alteri non acquieſcit; Ita Contendentes ſunt, quorum unuſquiſq; id verborũ contentione defendit, cui animo adhæret, per quod in utroq; inanis gloria relucet. Et ideò utrumq; ex inani gloria naſcitur.

Schiſma eſt græca dictio, quæ in latino ſciſſionẽ ſignificat, v. eam ſeparationem, quæ eſt partis à toto: ut cùm quis ſeparat ſe, & disjungit ab unitate Eccleſiæ, quæ eſt corpus myſticum, conſtans ex varia conditione fidelium, tanquam membris inter ſe connexis ſub uno Capite Chriſti Vicario Summo Pontifice. Unde *Schiſma nihil eſt aliud, quàm receſſus ſeu ſeparatio ab unitate Eccleſiæ & ab illius capite Summo Pontifice, cui renuit ſubeſſe.*

Bellum eſt armorum conflictus ad hoc inſtitutũ; ut vi & armis parti adverſæ noceatur, & injuria vindicetur. *Eſtq; duplex Defenſivum,* quo nos, & Remp: & bona illius contra invaſores defendimus. *Et Offenſivum,* quo hoſtem Reip: armis aggredimur, ad hoc ut ex hoſte vindictam ſumamus. *Utrumq; bellum eſt licitum,* & primò *Defenſivum;* quia ſui defenſio eſt juris naturalis, deinde *Offenſivũ* bellum eſt licitum, quando non eſt alia ratio vindican-

dicandi injurias, & repetendi damna Reipublicæ illata.

Rixa est contradictio in factis: quæ differt à Contentione, quia hæc est in verbis. Unde Rixa est quoddam bellum privatum inter personas privatas, quæ se invicem ex ira percutiunt. *Estq; Rixa ex parte Invasoris peccatum mortale:* quia injustè invadit, & opere manuali infert proximo nocumentum. *Ex parte* verò *se defendentis*, si fit cũ moderamine inculpatæ tutelæ *nullum est peccatum:* si autem aliquantum hoc moderamen excedat, erit veniale: si autem ex ira, & odio magis se vindicare, quàm defendere intendat, etiã erit morale. Hinc *ad Rixã Duellũ spectare videtur:* quia hoc inde dictum, quod sit duorum bellum. Sunt autem Duella illicita, etq; jure naturali, ac Ecclesiastico, & Civili prohibita: unde *Duella facientes gravissimè peccant*; similiter & hi qui illis auxilio, consilio cooperãtur: Spectatores verò sunt excommunicati.

Scandalum Civium dissensio, per quam una multitudo contra aliam tumultuatur. *Unde Seditio est* dictum aut factum minùs rectum, præbens alteri occasionem ruinæ, seu peccandi. *Estq; duplex: Activum & Passivum. Activum est* cùm quis suo dicto, aut facto minus recto, intendit alium ad peccandum inducere: aut licet hoc non intendat, tamen tale dictum, aut factum committit, quod ob speciem mali in se inclusam ad peccandum inducit. *Passivum est,* cùm quis ex dicto aut facto aleterius, quod est præter intentionem operantis, & præter

ter conditionem dicti, aut operis, disponitur ad peccandum: & sic ex malitia sua accipit occasionem ruinæ. Unde dicitur tale scandalum merè Passivũ.

Praxis Charitatis.

PRimum est, quod à nobis exigit vera dilectio DEI; ut DEUM diligamus super omnia *Objectivè Appretiativè, & intensivè:* ut dictum est pag: 396.

Secundum est, Ut dilectio DEI non tantùm sit *Afficiens*, hoc est affectu amoris animam justi hominis inflammans; sed etiam immò magis *efficiens*, id est, ad opera bona hominem movens. *Per afficientem* dilectionem homo cupit, & vult DEO bona sua Divina: de ejus bonis & perfectionibus gaudet: ut omnes serviant & obediant DEO desiderat. *Per efficientem* verò *omne malum*, quod est abominabile DEO *fugit* & abominatur propter ipsũ DEUM, juxta illud *Psal:* 96. qui diligitis DEUM, odite malum. *Deinde operatur bonum* propter DEUM, secundùm ejus præceptum & consilium: sic enim dicit Christus *D. Joan:* 14. Si quis diligit me sermonem meum servabit. *Insuper omnia adversa æquo sustinet animo.* Nam Charitas patiens est: Charitas omnia suffert 1. *ad Corinth:* 13. Ideò Propheta David de se dicit *Psal:* 16. Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras. Ubi igitur est amor afficiens, ibi simul debet esse efficiens: nunquam enim DEI amor est otiosus; sed operatur magna ubi est; si verò renuit operari, amor non est, ut *ait S. Greg:*

Ter-

Tertium est, ut DEUM amemus totalitater totalitate Objecti, *& totalitate subjecti*; ad quod pertinet illud Divinum mandatum, ut DEUM diligamus ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex totis viribus juxta doctrinam superiùs allatam.

Quartum est, ut nihil magis desideremus tota vita, quàm *pati & contemni propter DEUM*; sicut ipsemet Christus D. fecit pro nobis: Qui passus est pro nobis, *inquit S. Petr:* vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus 1. *Petr:* 2. Nam ubi amor ibi dolor. Et ideò *S. M. N. Theresia* quia verè amore DEI flagrabat semper; ideò semper pati pro eo desiderabat. dicens: Quomodo possum erga DEUM ostendere meum amorem, nisi per dolorem, & nisi patiar aliquid pro ipso. Unde sæpiùs in hæc verba prorumpebat: *Domine aut pati, aut mori.* Eodem modo *S.P.N. Joannes à Cruce* fervens amator DEI fuit, qui nihil aliud in vita, quàm *pati & contemni* pro Christo D. dilecto suo voluit.

Quintum ut fugiamus mundum, & omnia, quæ sunt mundi: Nam qui vult hujus mundi esse amicus, inimicus DEI constituitur ut *asserit S. Bern: Serm:* 85. *in Cantic:* Et *S. Joan: Evang:* Nolite, *inquit*, diligere mundum, neq; ea, quæ in mundo sunt; quia si quis diligit mundum, non est Charitas Patris in eo 1. *Joan:* 2.

Sextum ut simus semper unum cum DEO, quem amamus, uniendo voluntatem nostram in omni

mnibus cum Divina volũtate: in hac enim adeò ſtri-
ctâ unione, conſiſtit vera dilectio DEI, per quam
parati ſumus omnia de manu DEI tã proſpera, quàm
adverſa: tam vitam, quàm mortem prompto, & læ-
to animo recipere. Nam amantium eſt, idem vel-
le & nolle.

Septimum ut omnia quæcunq; agimus ex amo-
re DEI, ſeu ex motivo Charitatis: cùm amore, ſeu
cum magno Charitatis fervore: & ob amorem DEI:
& in Charitate agamus. Nam ejuſmodi cuncta o-
pera etiam viliſſima valde dilecto DEO placent, &
illum glorificant, quod maximè intendere debet pu-
rus amor. *Modus iſtius exercitii oſtenditur p. 2.
386.*

Octavum ut conemur ſemper purum amorem
habere ergà DEUM: *purus verò amor requirit,*
ut excludatur à corde omnis imperfectio adverten-
ter commiſſa, vel ex craſſa negligentia, quæ ſemper
diſplicet dilecto DEO: *Deinde requirit purus a-
mor*, ut nulla conſolatio creata admittatur, & mul-
to minùs quæratur, niſi vel volita à dilecto; vel in
ordine ad DEUM actualiter, vel ſaltem virtualiter.
Præterea non admittit amicitiam, vel affectum, ad
aliquam creaturam; ſed ſolùm ad dilectum, vel in
ordine ad eum. *Inſuper purus amor* nihil aliud in-
tendit in omnibus ſuis operibus, verbis, cogitatio-
nibus, & omiſſionibus, niſi dilecto placere DEO,
& iſtis, quæ ipſi placere ſcit, toto conatu vacare.
Deniq; non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ dilecti
DEI: ac proinde ſolùm gloriam & honorem ejus,
in omnibus quærit. No-

Nonum ut assiduè, seu saltem frequenter cogitemus de DEO, eumq; per cogitationes nostras præsentem nobis semper faciamus. *Nam sicut dicit S. M. N in itin: perfect: c. 28.* Etiam magni amici, & consangvinei in amicitia tepescunt, si non conversantur frequenter: quomodo ergo inter DEUM & animam stabit verus amor, si anima adeò obliviscetur DEI, neq; de eo sæpiùs cogitabit. Sed hæc cogitatio, seu Præsentia DEI amati non debet esse otiosa, sed varios exercens affectus erga DEUM: ut Amoris, Gaudii, Desiderii, Laudis, &c. *juxta modos varios præscriptos, tum in hac par: 1. pag: 76. tum par: 2. p. 153. 183. & sequent: 241. 375. 386. & sequen:*

Possum9 quoq; his Jaculatoriis uti.

DIligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. DEUS meus, adjutor meus, & sperabo in eum: Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus, *Psal: 17.*

Nonne DEO subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Nam & ipse DEUS meus, & salutaris meus: Susceptor meus. *Psal: 61.*

Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea & cor meũ: DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum. Mihi autem adhærere DEO bonum est, ponere in DEO spem meam. *Psal: 72.*

Quam bonus, & quam svavis est, Domine, Spiritus tuus! *Sap: 17.*

Quis

Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an gladius? Certus ſum enim quia neq; mors, neq; vita, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate DEI, quæ eſt in Chriſto JESU, Domino noſtro *ad Rom:* 8.

Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram *Pſal:* 26.

Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te DEUS. Sitivit anima mea ad te DEUM fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini? *Pſal:* 41.

Nomen tuum Domine, & memoriale tuum in deſiderio animæ. Anima mea deſideravit te in nocte: ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de manè vigilabo ad te *Iſaiæ* 26.

Venite adoremus Dominum: procidamus ante DEUM. *Pſal:* 94.

Omnis terra adoret te, & pſallat tibi *Pſal:* 65.

Sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum: Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. *Matth:* 6.

Benedictio, & claritas, & Sapientia, & gratiarū actio, honor, virtus, & fortitudo DEO noſtro in ſæcula ſæculorum Amen. *Apoc:* 7.

CAPUT VII.

De Virtutibus Intellectualibus.

TRactare de Virtutibus Intellectualibus propriè pertinet ad Philoſophos: ſed quia in diviſione Virtutis mentio facta eſt virtutis Intellectualis; ideò breviſſimè hic proponitur notitia

illius. *Virtus Intellectualis vocatur*, quia residet in intellectu, eumq; perficit ad attingendum verũ: quæ sic definitur: *Est habitus attingens infallibiliter verum:* quod sic declaratur: quia Virtus cùm sit perfectio potentiæ, debet illam perficere ad attingendum proprium objectum modo perfecto: *Intellectus autem est Objectum verum:* ideò Virtus Intellectualis debet perficere intellectum ad attingendum infallibiliter verum. Et propterea Opinio, Suspicio, Fides humana inter Virtutes Intellectuales non numerantur; quia non perficiunt Intellectũ ad attingendam veritatem infallibiliter; sæpè enim falluntur.

Dividitur autem Virtus Intellectualis in eã quæ versatur circa universalia: seu in eam quæ attingit verùm circa universalia. Et in eam quæ versatur circa singularia: seu in eam, quæ attingit verum circa singularia.

Virtus Intellectualis quæ versatur circa universalia, *Subdividitur in Intellectum, seu Habitum principiorum, Sapientiam & Scientiam.*

Habitus primorum principiorum sic definitur: *Est Habitus quo principia de se manifesta cognoscuntur:* quæ *principia* quia sunt *duplicia:* Alia sunt *Speculativa* & alia *Practica:* ideò *Intellectus* seu Habitus primorum principiorum *dividitur in Intelligentiam*, quæ est de primis principiis speculativis. *Et Synderesim*, quæ est de primis principiis practicis. *Sapientia est cognitio rei per altissimam causam.* Et talis est *Theologia*, cujus obje-

objectum est altissima causa, scilicet, DEUS, ut cognoscibilis per revelationem mediatam: omnes enim Theologicæ conclusiones procedunt ex principiis revelatis per Fidem cognitis, subsumendo etiã alia principia naturaliter cognita. *Est eminenter Practica & Speculativa* propter eminentiam Objecti, quod simul est in se scibile, & ipsa Regula operandi.

Scientia est cognitio rei per causam inferiorẽ seu est *Habitus acquisitus per demonstrationem: Et hæc dividitur in Speculativam*, quæ in veri cognitione sistit. *Et in Practicam*, quæ cognitionem veri ordinat ad opus. Unde *Speculativæ finis veritas; Practicæ opus.*

Practica Scientia est duplex: nempe *Medicina*, quæ circa corpus ut sanabile versatur. Et *Philosophia Moralis*, quæ circa actus humanos Morales & per rationem regulabiles occupatur: & ideò Philosophus Moralis cognoscit verum. ut benè vivat & operetur. Et hæc *Philosophia Moralis dividitur in Ethicam*, quæ tractat de vitiis,& virtutibus secundùm quod ad determinatam personam spectant, & *in Politicam*, quæ tractat de his quæ pertinent ad regimen multitudinis, & *Oeconomicã* quæ agit de pertinentibus ad regimem domesticum.

Scientia Speculativa est triplex: Alia quæ abstrahit à materia intelligibili, quæ dividitur *in Metaphysicam:* cujus Objectum est Ens reale naturaliter cognoscibile in toto suo ambitu. Et *in Dialecticam, sive Logicam*, quæ vocatur Scientia

rationalis: quæ habet pro Objecto Ens rationis; sive secundam intentionem veritatis ostensivam.

Alia est Scientia, quæ abstrahit à materia sensibili, quæ considerat quantitatem: quæ dividitur in *Arithmeticam*; cujus Objectū est quantitas discreta, vel numerus: sub hac continetur *Musice*. Et in *Geometriam*; cujus Objectum est quantitas continua: sub hac continetur *Astrologia*, *Cosmographia*, *Geographia*, *Topographia*, *Hydrographia*, *Optica*, & *Machinativa*.

Alia est. quæ abstrahit à Materia singulari, ut est Physica, seu Scientia Naturalis; cujus Objectum est Ens Mobile: seu Ens constans naturâ, quæ est Principium motus & quietis. Sub qua continetur *Philosophia Moralis* & *Medicina*

Vocatur autem materia singularis, quidquid pertinet ad singularitatem rerum sensibilium. *Sensibilis verò Materia*, sunt omnes qualitates & motus, quæ externis sensibus percipiuntur. *Intelligibilis* autem Materia est ipsa Substantia corporea, & Materia prima, quæ solo intellectu capiuntur.

Virtus Intellectualis, quæ versatur circa Particularia, subdividitur *in Prudentiam* & *Artē*. *Prudentia est recta ratio agibilium*; de qua sequenti capite cum Virtutibus moralibus agetur. *Ars est recta ratio factibilium*: Id est Habitus rectificans Intellectum circa factibilia, ut circa fabricam domûs, vestis &c. *Differunt autem factibilia ab agibilibus*: quia *Agibilia* sunt actus ipsius voluntatis, ut amare, odisse, gaudere, tristari &c.

Factibilia verò sunt actus versantes circa materiā externam artificiosè disponendam, ut circa ferrum, lignum &c. *Ars dividitur in Liberalem & Servilem sive Mechanicam.*

Artis Liberalis Species septem, quæ in hoc versu continentur. *Lingva, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astra.*

Lingva, designat Grammaticam. *Tropus*, Rhetoricam. *Ratio*, Dialecticam. *Numerus*, Arithmeticam. *Tonus*, Musicam. *Angulus*, Geometriā. *Astra* Astrologiam.

Artis Mechanicæ sunt etiam Species septem: *Rus, Nemus, Arma, Rates, Vulnera, Lana, Faber.*

Rus significat agriculturam, *Nemus* artem venatoriam & piscatoriam, *Arma* militarem, & armifactricem. *Rates* navalem & mercatoriam. *Vulnera* Chirurgicam, & Pharmacopoleam. *Luna* textrinam, sartoriam, coriariam, sutoriam, plumariam seu acupictoriam. *Faber* artem fabrilem, in auro, argento, ære, ferro, ligno, lapide &c. Sub his speciebus innumeræ aliæ comprehenduntur, ut Pictoria, Coquinaria, Pistoria, Cytharistica, &c.

Artium autem tam Liberalium quàm Mechanicarum *quædam sunt propter necessitatem* ut Fabrilis, Pistoria, Coquinaria &c. *Quædam propter vitæ commoditatem*, ut Navigatoria, Mercatoria &c. *Quædam ad vitam poliendam & defendendā*, ut Grammatica, Rhetorica & Militaris. *Quædam ad solas delicias* ut Pictoria, Cytharistica, Organica &c.

Praxis Virtutum Intellectualium.

PRimum *est*, quod scientiis rerum Divinarum aut humanarum dediti præ oculis habere debent: *Recta Intentio* in acquirendis scientiis & in usu illarum, ut nihil intendant nisi Voluntatem DEI, ipsius honorem, gloriam, & majorem cognitionem illius, ut hinc eum diligant, ipsi serviant, & mandata ejus custodiant. Tunc enim utilis est Scientia *Laurent: Justin: ait:* cùm rectè viuendi mores instruit, cùm ad cœlestia contemplanda animum attollit, cùm ad DEUM diligendum erudit, cùm ad illum quærendum & possidendum omnia cordis interiora inflammat. *Lib: de casto connub: cap:* 14. *Præterea salutem propriam & proximorum.* Nã sunt, *ait S. Bernardus*, qui scire volunt, ut ædificent proximos, & prosint eorum saluti & hæc Charitas est: item sunt, qui scire volunt, ut ædificentur, ut suæ saluti consulant; & hæc Prudentia est. *Deniq; cognitionē sui*, videlicet, ut cognoscãt suos inordinatos affectus, eosq; moderari sciant: pravos habitus, & vitia, illaq; exstirpare conentur, ut sciant declinare à malo, & facere bonum. *Qua de re sic ait Thomas à Kemp:* Humilis sui cognitio certior via est ad DEUM, quàm profunda Scientiæ inquisitio. O si tantam homines adhiberent diligentiam ad exstirpanda vitia, & virtutes inserẽdas, sicuti ad movendas quæstiones! non fierent tanta mala & scandala in populo, nec tanta in cœnobiis dissolutio! Certè adveniente die judicii nõ quæretur à nobis, quid legimus, sed quid fecimus: nec quàm

quàm benè diximus, sed quàm religiosè viximus. Verè benè doctus est, qui DEI voluntatem facit, & suam voluntatem relinquit. *Sic ille lib:* 1. *cap:* 3. *de Imit: Christi.*

Secundum est, ut cum Scientia Virtutem conjungant, præcipuè Humilitatem, quam ab æterna Sapientia discant, quæ dixit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Ubi enim est Humilitas, ibi est Sapientia: *Prov:* 11. Et Scientia sinè usu Virtutum *teste S. Greg*: Ethnicorum est, non Christianorum, quanto minùs Religiosorum? Et sinè Humilitatis sapore nihil magnum aut gloriosum efficiet. Humilitas est, quæ Scientiam jam adeptam perficit, atq; cōservat. Longè ergo à Scientiæ veritate discedit, qui de cognitione intumescit, & ex dono DEI, unde se humiliare debuerat, inde superbit. *Hæc S. Gregor: Lib.* 23. *Moral: cap:*

Tertium, ut fugiant Scientiam mundanam & solam cælestem inquirant. *Mundana Scientia illa est*, quæ ut *ait S. Jacob:* Non est desursùm descendens, sed terrena, animalis, diabolica. *Terrena est*, cui non placent cælestia; frequens & diuturna oratio; librorum sacrorum & spiritualium lectio; de rebus salutaribus sermo; solitudo, & à conversatione familiari cum hominibus elongatio. *Animalis est*, quæ fugit mortificationem, sensuum oblectamenta sectatur, quærit commoditatem. *Diabolica est*, quæ habet finem præcipuum propriam excellentiam, quæ est ambitiosa, & quæ ad primas sedes & ad prælationes aspirat. *Sapientia cælestis est*

desursum descendens ut *inquit idem Jacob: Apost:* Primùm quidem pudica, deinde pacifica, modesta, svadibilis, bonis consentiens, plena misericordiæ & fructibus bonis, non judicans, sinè simulatione, *Jacobi*, 3.

Quartum est, ut cum studio literarum studium Orationis amplectantur, ut cuncta ab oratione incipiant, Oratione studium sæpiùs interrumpant, & in oratione desinant. Nam omnis Sapientia à Domino DEO est, & cum illo fuit semper, & est ante ævum ipse enim creavit illam in Spiritu S. & præbuit eam diligentibus se. *Eccl:* 1. Unde *B. Jac: Apost:* Si quis vestrum, *inquit*, indiget Sapientia, postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter. *Et Lactant:* Verum scire, ait; Divinæ est Sapientiæ: homo autem per seipsum ad hanc Scientiam pervenire non potest, nisi doceatur à DEO. Hinc *S. Bernard: ut in ejus vita habetur:* quidquid in Sanctis Scripturis valuit, orando se id accepisse confitebatur. Idem & *S. Thom: Aquinas Angelicus Doctor:* dicere solebat, quidquid sciret, non tam studio, aut labore suo peperisse, quàm Divinitùs traditum per orationem obtinuisse.

JACULATORIÆ

Pro usu hominum Literis vacantium.

DA mihi, Domine, Scientiam Sanctorum, *Sap:* 10. quæ justis, ac Sanctis convenit. Bonitatem, & disciplinam, & Scientiam doce me.

Viam justificationum tuarũ instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. *Ps:* 118. Bea-

Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. *Psal:* 93.

Veniat, quæso, in me Spiritus Sapientiæ tuæ Domine. *Sap:* 7.

Bonus es tu, & in bonitate tua doce me justificationes tuas.

Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.

Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam. *Psal:* 118.

Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es DEUS Salvator meus. *Psal:* 24.

Domine ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam; quia DEUS meus es tu. *Psal:* 143.

Da mihi, Domine sedium tuarum assistricem Sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis: mitte illam de cœlis Sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. *Sap:* 9.

CAPUT VIII.

De Virtutibus Moralibus in communi.

MOrales *Virtutes* dicuntur illæ quæ *perficiunt vim appetitivam* (hoc est, appetitũ rationalem, seu Voluntatem; & appetitũ Sensitivum) ad producendos actus humanos Legi Divinæ & Rationi conformes. Vocantur autem *Actus humani*, qui ex deliberata voluntate procedũt; qui actus dicuntur *liberi* & tales sunt *proprii hominis*, per quos distingvuntur à brutis in operando. Qui verò *actus* sunt *indeliberati*, seu qui

non

non procedunt ex deliberata voluntate, non dicuntur Actus humani, sed *Actus hominis*, in quantum procedunt à persona hominis. Et quoniam *secundùm S. Thom:* iidem sunt Actus Morales, & Actus humani: ideò sicut Actus humanus debet esse liber, ita & Moralis.

Libertas *formaliter* est *in Voluntate*; sed *radicaliter* est *in Intellectu.* Nam *causa* & radix *Libertatis* est indifferentia judicii Intellectus. Voluntas enim est potentia cæca, quæ semper sequi debet ductum Intellectûs. Unde ille si fuerit in judicando indifferens ad utrumlibet, hoc est, si judicaverit hoc bonum posse appeti, quia est conveniens; & posse non appeti, quia est inconveniens, & cum tali indifferentia illud bonum voluntati proposuerit, tunc Voluntas erit quoq; indifferens & libera, ad illud bonum prosequendum, vel non prosequendũ; atq; *tunc Voluntas* dicitur esse *libera in Actu primo.* Quod si Intellectus judicaverit, sive verè, sive falsò hîc & nunc ita sibi expedire, vel ob honestatem vel ob utilitatem, vel ob aliquam delectationem potiùs conveniens hoc amplecti, quàm repudiare: tunc etiam voluntas sequetur tale judicium intellectûs eligendo hoc potiùs, quàm illud; eò quod Intellectus suo ultimo judicio ita decernit, quod judicium constituit Voluntatem sub actuali exercitio libertatis, per quod exercitium fit electio unius dũtaxat præ alio, retento posse & facultate ad aliud: *& per hoc fit Voluntas nostra libera in Actu secundo.*

Ne-

Necessitas istarum *Virtutum Moralium est*; quia sicut homo per Virtutes Theologicas perficitur ad attingendum finem ultimum, qui est DEUS, hoc est, ad cognoscendum, appetendum, & amandum eum: ita per Virtutes Morales, perficitur homo respectu finis intermedii, seu respectu mediorum ad finem ultimum.

Sunt autem quatuor, Virtutes Morales *Prudentia*, *Justitia*, *Fortitudo*, & *Temperantia*.

PRudentia quidem quæ residet in Intellectu secundùm Essentiam est Intellectualis Virtus: tamen inter Morales connumeratur, quia est moderatrix & directrix aliarũ Virtutum Moraliũ: & quia non solum dat facultatem rectè operandi, quod omnis Intellectualis Virtus præstat, sed etiam dat rectum usum, quod munus est Moralium Virtutum, quæ faciunt ut rectè utamur illis.

Eædem quatuor *Virtutes Morales* dicuntur *Cardinles* seu *Principales*: quia sicut ostium in cardine vertitur, & fundatur, ita in his quatuor Virtutibus vita Moralis vertitur & fundatur. Dicuntur *Principales*, quia in iis principaliùs humana vita versatur, & super eas aliæ virtutes fundantur: & quia primatum tenent in aliqua ratione Virtutis singulari: sicut *Temperantia* in moderatione: *Fortitudo*, in firmitate: *Justitia* in rectitudine, sive æqualitate.

Præcipuè tamen sunt *tres Virtutes Morales*, quæ resident in appetitu subjectæ per se regulis Prudentiæ. *Dicuntur* enim *Morales*, à *more*, quod

nomen

nomen significat inclinationem ad aliquid: & quia inclinari proprium est potentiæ appetitivæ (cognoscitiva enim potiùs trahit ad se illa, quæ cognoscit, quàm inclinetur ad ipsa) ideò illæ Virtutes propriè debent dici Morales, quæ appetitum perficiunt: videlicet, *Justitia* quæ perficit appetitum rationalem, seu voluntatem. *Fortitudo*, quæ perficit appetitum irascibilem. *Temperantia* appetitum concupiscibilem: ad quas tres Virtutes Morales, tanquàm Principales omnes aliæ Virtutes reducuntur velut partes integrales, seu integrantes: vel ut subjectivæ: vel ut potentiales. *Partes integrates* sunt quædam conditiones requisitæ ad hoc, ut opus Virtutis sit perfectum. *Partes subjectivæ* sunt Species Virtutis Principalis de quib9 illa essētialiter prædicatur. *Partes Potētiales sunt* illæ Virtutes, quæ non perfectè participant rationem Virtutis Principalis: habent tamen cum illa connexionem; vel quia ordinantur ad actus minùs principales in eadem materia; vel quia in modo procedendi, & moderandi passiones, & actus appetitûs, assimilatur modo proprio Virtutis Cardinalis seu Principalis.

Ex his Virtutibus Moralibus, quæ respiciunt bonum alienum, videlicet pertinens ad DEUM, vel Proximum, resident in voluntate, ut, *Justitia* cū aliis Virtutibus, quas continet sub se, quæ serviūt ad benè agendum & conversandum cū proximis: & quæ versantur circa operationes seu actus voluntatis. Unde *respectu boni proprii nulla Virtus in voluntate datur*: quia respectu boni proprii voluntas

tas nostra nullam difficultatem patitur. Quæ verò virtutes respiciunt bonum proprium, resident in appetitu irascibili, & concupiscibili ut *Fortitudo*, & *Temperantia* cum virtutibus, quas sub se continent, quæ circa passiones versantur.

Praxis Virtutum Moralium habetur suprà pag: 323.

Cui *Jaculatoriæ* adduntur.

DOmine DEUS Virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe DEUS Jacob: Etenim benedictionem dabis ô Legislator, ibo de Virtute in Virtutem: ut videam te DEUM Deorum in Sion. *Psal.* 83.

Dixisti, Domine, arcta est via, quæ ducit ad vitam: Virtus est ista via arcta, quæ ducit ad vitam, *ait S. Hieronymus*, & pauci sunt, qui ingrediuntur per eam: fac me quoq;, Domine, cum paucis ingredi per eam *Hieron: l. 10. c. 39. in Ezech.*

Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Curram viam mandatorum tuorum, cùm dilatabis cor meum. *Psal:* 118.

Dominus Virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace, quod & ego à te peto, & spero. *Psal:* 28.

Beatus vir Domine, cujus est auxilium abs te, ascensiones (*per Virtutes*) in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit. *Ps:* 83.

Domine deduc me in Justitia tua: propter inimicos meos dirige in cõspectu tuo viam meam. *Ps:* 5.

DEUS Virtutum convertere: respice de cœlo, & vide,

vide, & visita vineam istam, & perfice eam, quam plantavit dextera tua. *Psal:* 79

CAPUT IX.

De Prudentia.

PRudentia definitur sic: *Est recta ratio agibilium*: seu *Est Habitus rectificans intellectū circa agibilia:* v. ad rectam electionem agibilium secundûm Regulas morum. (sunt autem Regulæ morum: Dictamen Rationis, & Lex Divina, atq; humana) *Objectum Prudentiæ est* omne agibile: seu omne, quod cadit sub electione, & libero arbitrio: Agibile enim idem est atq; Eligibile, & Arbitrabile.

Partes Integrantes seu Integrales Prudentiæ, communiter assignantur *octo:* nempe, *Memoria*, *Intellectus seu Intelligentia. Docilitas, Solertia sive Eustochia, Ratio, Providentia. Circumspectio & Cautio.* Ex quibus quinq; priores spectant ad Prudentiam, secundûm quod est cognoscitiva, considerando per Eubuliam; judicando per Synesim vel Gnome: nam omnes illæ deserviunt perfecto consilio & judicio. Tres verò posteriores pertinent ad Prudentiam, secundùm principalem ejus actū, qui est *præcipere & applicare ad opus.*

Memoria est recordatio eorum quæ legimus, audivimus, vidimus, aut aliter experti sumus: ex quibus facilè colligimus, quid in præsenti negotio expediat. *Intellectus sive Intelligentia* est præsentium notitia; seu est recta cognitio finis particularis. *Docilitas est* promptitudo ad discendum. *Solertia*

est

est habitus qui provenit ex repentino, inveniens quod congruit. Sumitur autem pro *Eustochia* cujus est pars: nam *Eustochia* est benè conjecturativa de quibuscunque: *Solertia* autē est facilis & prompta conjecturatio circa inventionem medii. Ad Solertiam reducitur *Sagacitas* per quam callidè & acutè aliquid dignoscim9, & in præsenti scim9: inde *Præsagire & præsagium* dicitur de futurorum cognitione, quasi illa antequàm eveniant, sentire. *Ratio* dicit aptitudinem ratiocinandi, & unum ex alio rectè inferendi seu colligendi: unde non sumitur pro ipsa potentia ratiocinativa, sed magis pro bona ejus dispositione & usu. *Providentia*, dicit prospectū futurorum; nam *prudens* idem est ac *procul videns*. *Circumspectio* dicit attentionem ad omnia, quæ occurrunt, & conferentiam illius, quod in finem ordinatur cum his quæ circumstant, nè quid ex necessariis in opere desit. *Cautio* deniq; dicit attentionem ad præcavenda mala, quæ possunt bonis admisceri.

Partes Subjectivæ sive *Species Prudentiæ* sunt *Monastica & Gubernatrix*, *Monastica* sive solitaria Prudentia, est, qua unusquisq; regit seipsum, suosq; actus, intendens bonum proprii suppositi in ordine ad finem humanæ vitæ. *Gubernatrix Prudentia est*, qua unusquisq; dirigit aliquam multitudinem intendens commune bonum ipsius multitudinis: quæ *dividitur* in quatuor Species in *Regnativam* (*sub qua* continetur *Monarchica*, *Aristocratica*, *Domocratica*) in *Politicā*, *Oeconomicā* & *Militarem*.

Regna-

Regnativa est quæ gubernat regnum aut remp: *Monarchica est*, per quam unus totam gubernat multitudinem, qui vocatur Monarcha; & est Imperator, vel Rex, vel Princeps absolutus, *Aristocratica est*, per quam pauci & optimi Remp: gubernant. *Democratica* dicitur, quâ in Rep: imperat populus. *Politica est* quâ subditi seipsos rectè disponunt in ordine ad bonum commune Reip: *Oeconomica est*, qua quis regit domum seu familiam. *Militaris est* per quam Dux in bello gubernat exercitum.

Partes Potentiales Prudentiæ sunt illæ Virtutes, quæ ordinantur ad actus minùs principales deservientes principalissimo: & tales Virtutes sunt tres v. *Eubulia*, *Sinesis* & *Gnome*. Nam in Intellectu practico in ordine ad agibilia præter universalia judicia circa finem, quæ rectificat *Synderesis*, tantùm sunt tres actus versantes circa media, nempe *Consilium*, *Judicium*, & *Imperium*: ex quibus actib9 magis proprius est Prudentiæ *Imperium*, ad quod tam Judicium quàm Consilium ordinantur. Itaq; pro rectificando cōsilio ponitur *Eubulia* seu *benè Consiliativa*. Ad rectificandum autem Judiciū ponuntur duæ Virtutes: v. *Synesis*, *quæ latinè sonat bonam sensationem*: & *Gnome*; quæ significat quandam perspicacitatem judicii, quæ Virtutes duæ per hoc differunt inter se: quia *Synesis* judicat secundùm communes leges: *Gnome* verò judicat secūdùm rationem naturalem in his, in quibus deficit Lex communis, à qua dirigitur *Epykeja*.

Omnes

Omnes Species Prudentiæ, & omnes partes Potentiales residunt in Intellectu practico, eò quòd in ipso est *Consilium, Judicium practicum, & Imperium.*

Est autem Prudentiæ munus proprium, proposito fine Virtutis per Synderesim, media ad illum consequendum per consultationem inquirere, & per judicium invenire, & per imperium executioni mandare. Unde dum Synderesis seu Ratio practica hunc finem Temperantiæ proponit. v. *temperatè seu cum mediocritate comedere* tunc Prudentia debet media invenire & præscribere, quibus ad hanc mediocritatem perveniatur: videlicet, tantùm talî horâ, toties per diem, comedere. Itaq; ad omnes Virtutes Morales per Synderesis directionem pertinet, bonum finem respicere, eumq́; Prudentiæ præscribere; ad Prudentiam autem spectat,ad hunc finem consequendum media dictare: propterea nullus potest esse prudens *secundùm Aristotelem* 6. *Ethic: cap:* 12. qui non sit Vir bonus, id est virtuosus per Virtutes Morales, quæ virtutes finem Prudentiæ præstituunt, de quo fine, ut aliquis habeat rectam existimationem & judicium, requiritur ut habeat Virtutes Morales: quia ut *Philosophus dicit* 3. *Ethic:* Qualis unusquisq; est, talis & finis videtur ei; & ideò sicut Virtutes Morales esse non possunt absq; Prudentia; ita nec Prudentia potest esse sinè Virtutibus Moralibus, *ut docet S. Thom: q.* 5. *de Virt: a.* 2.

Quandoquidem Prudentia residet in Intellectu

practico, eumq; perficit, & actus ejus rectificat: & quia ipsa attendendo ad Legem, dirigit actus Voluntatis, seu actus humanos & liberos, qui sunt ipsa agibilia: ideò expedit habere notitiā istorum actuum tam Intellectus practici quam Voluntatis.

Sciendum quòd licet *Intellectus* sit potentia una, tamē *propter diversos fines* appellatur *Intellectus Speculativus & Practicus.* Nam *Intellectus Speculativus* dicitur, qui solam cognitionem veritatis intendit: *Practicus verò* qui cognitionem veritatis ordinat ad opus. *Actus Intellectus Speculativi sunt tres:* I. *Simplex Apprehensio*, quā res simpliciter cognoscimus. II. *Judicium*, quo unum de altero affirmamus, vel negamus: componendo aliquid cum subjecto, vel ab illo dividendo. III. *Discursus*, per quem aliquid minùs notum, per aliud notiùs manifestatur, & concluditur.

Actus Intellectus Practici sunt Alii *versantes circa finem*, qui actus non habent aliud nomen nisi *Judicium Practicum* Alii *versantes circa media* sunt tres. I. *Consilium*, per quod media ipsa quæruntur & inveniuntur. II. *Sententia* dijudicans inter plura media reperta, & dictans in particulari, quod sit hic & nunc determinatè eligendū: qui actus propriè vocatur *Judicium practicum.* Quod si per Consilium unum tantum medium reperiatur, non erit opus alio judicio, præter id quod in consilio clauditur, III. *Imperium* quo dirigitur Voluntas ad usum, & executionem operis: *& hic est ultimus & perfectissimus actus rationis pra-*

practicæ, ad quē *Consilium* & *Judicium* ordinātur.

Actus Voluntatis circa finem sunt tres. I. *Volitio*, quæ est simplex complacentia in bono per intellectum præsentato: quæ est duplex: *Prima* & *Secunda*, *Secunda Volitio est*, quam ex alia priore movemur. *Prima est*, ad quam ab ipso Auctore DEO applicatur Voluntas nostra. Quia Voluntas movet se, & applicat mediante consilio: primam autē volitionē nullū potest præcedere consiliū, cùm illa sit radix, & origo totius consultationis; igitur ad primam Volitionem voluntas non se applicat, sed ab alio applicatur, & movetur, à suo scilicet Auctore DEO. Talis volitio est illa, quam puer rationis compos effectus habet: vel illa Volitio, quæ est post interruptionem omnis actus, qualis est illa, quam evigilantes primo formamus: vel ut est illa Volitio, quæ nobis alia agentibus, primò incidit circa novum negotium: vid: dùm cui venationem exercenti subito incidit & cogitatio, & volitio deserendi sæculum, & religiosæ vitæ amplectendæ. II. *Intentio*, per quam voluntas tendit in finem ut consequendum per media. III. *Fruitio*, quæ est delectatio, seu quies in finē adepto: vel secundùm rem, & sic est fruitio perfecta: vel in apprehensione & spe, & sic est imperfecta. Quod si finis fuerit absolutè ultimus, tunc fruitio talis simpliciter vocabitur: si verò non fuerit ultimus, sed intermedius, tunc erit fruitio secundùm quid.

Actus Voluntatis circa media sunt itidem tres. I. *Consensus* per quem voluntas approbat ea media,

quæ per rationem & consilium ad consequendum finem fuerint inventa, unde consentire, est idem cum intellectu sentire, & quasi in sententiam ejus ire. II. *Electio*, quæ est unius medii præ aliis acceptatio. III. *Usus*, quo voluntas applicat cæteras potentias ad operis executionem: qui dividitur in *Activum & Passivum*. *Usus Activus*, est ipse act9 elicitus à Voluntate. *Passivus* verò, qui elicitur ab aliis potentiis ex Voluntatis applicatione.

Inter hos Actus Intellectus & Voluntatis fit ordo ejusmodi, ut semper actum voluntatis præcedat aliquis actus intellectûs dirigens ac regulans; vicissimq; omnem actum Intellectûs (excepto primo qui est ab ipso Auctore naturæ DEO) præcedat aliquis actus Voluntatis applicans, & ad exercitium movens. Sicut enim ad intellectum pertinet ordo & directio actuum Voluntatis: sic rursùs ad Voluntatem spectat applicatio & exercitium aliarū potentiarum, etiam ipsius Intellectus.

Primus igitur in humanis negotiis, *est actus Intellectus*, qui dicitur *Judicium* sive simplex propositio bonitatis finis: quæ propositio est ab Auctore naturæ. *Secundus est actus Voluntatis* v. *simplex Volitio* seu complacentia in bono præsentato, quæ si fortis sit, excitat & applicat Intellectum ad examinandum, num illud bonum sit consequibile & possibile. *Tertius in Intellectu* sequitur, qui est *Judicium*, quo Intellectus bonum proponit Voluntati ut consequibile per media, & possibile. *Quartus est in Voluntate* qui est *Intentio* boni per media assequendi.

Post

Poſt hos quatuor actus qui ſunt circa finem, ſuccedunt actus circa media: nam in vi Intentionis applicatur Intellectus ad inveſtiganda media, ad conſequendum finem opportuna; unde *ſequitur in Intellectu Actus quintus* qui *Conſilium ſeu Conſultatio* dicitur. Hunc Actum ſequitur *Sextus actus Voluntatis* nempe. *Conſenſus*, quo voluntas approbat, ſeu potius appetit utilitatem illorum mediorū: in vi cujus Conſenſus ſeu approbationis voluntatis movetur Intellectus ad media illa examinanda & diſcernenda, diſcutiendo quæ ſint aptiora & commodiora: ſicq; fit *Septimus actus Intellectus*, ſcilicet *Judicium diſcretivum* mediorum; quem ſequitur. *Octavus actus Voluntatis Electio dictus*, per quam Electionem Voluntas unum medium præ alio acceptat.

Hi quatuor Actus ſunt circa media in finem ordinanda, poſt quos inſequitur ordo executionis: Nam in vi & efficacia Electionis movetur Intellectus ad intimandam executionem mediorum Electorum; ſicq; fit *Novus Actus Intellectus* ſcilicet *Imperium* ſeu intimatio executionis operis: cui ſuccedit *Decimus Actus Voluntatis Uſus activus*, quo Voluntas applicat potentias executivas ad aſſumenda media & exequenda. *Undecimus actus eſt uſus paſſivus* qui eſt ipſa mediorum executio per potentias Voluntati ſubditas. Deniq; ſequitur *Fruitio ultimus actus Voluntatis*, per quam Voluntas quieſcit in fine ſecundum rem adepto.

Hinc patet Intellectus ac voluntatis mutua depen-

pendentia, ac ordo, qui in humanis negotiis servari solet: præsertim dum prudenter, ac ratione matura, & non præcipiti festinatione aut sola imaginatione procurantur. Sunt enim pleriq; homines, qui passionibus, & imaginatione abrepti, vix ullū legitimi ordinis vestigium tenent, nullo consilio, nulla rerum faciendarum ponderatione, discussione, ac electione sese regentes: Verum etiam in hominibus prudentissimis hi omnes actus ita subitò fiunt, ac sinè mora sibi succedunt, atq; miscentur, ut eorum ordo, ac distinctio vix agnosci, etiam ab ipso operante, possit.

Vitia Prudentiæ opposita primò per defectum sunt hæc: Imprudentia, Præcipitatio seu Temeritas, Inconsideratio, Inconstantia, & Negligentia.

Imprudentia est triplex: nempe *Negativa*, & hæc est in pueris, & amentibus. *Privativa*, & hæc est in illis, qui possunt, & debent habere Prudentiā sed eam negligunt. Et *Contraria*, quæ est in illis, qui spernunt prudens consilium, & contra rectum judicium temerè & præcipitanter agūt. *Prima* non est peccatum, sed pœna peccati originalis, *Secunda* est peccatum pro ratione negligentiæ. *Tertia* est peccatum mortale; secundùm materiæ gravitatem.

Præcipitatio est vitium contra Prudentiam, quod tunc contingit, quando ex imperio Voluntatis, aut vehementis passionis aliquid agit contra ordinem Prudentiæ.

Inconsideratio tunc contingit, quando quis cō-
temnit,

temnit, aut negligit ea, ex quibus rectum paratur judicium in operationibus.

Inconstantia est recessus à bono proposito.

Negligentia est omissio debitæ solicitudinis *Alia Vitia opposita Prudentiæ per excessum sunt hæc:* Prudentia carnis, Astutia, Dolus, Fraus, Sollicitudo rerum temporalium, & sollicitudo futurorum.

Prudentia carnis tunc est, quando quis constituit suum ultimum finem in delectationibus hujus vitæ & inimica est DEO. *Rom:* 8.

Astutia est vitium, quo quis falsis, ac simulatis studiis, ac dictis utitur ad aliquid etiam bonum obtinendum; quia bona benè quærenda sunt, non mediis simulatis & falsis.

Dolus est executio astutiæ per verba, aut facta simulata.

Fraus est executio astutiæ per facta tantùm, & sic minùs patet, quàm Astutia.

Sollicitudo temporalium est vitium, quo temporalia nimis sollicitè quæruntur.

Sollicitudo futurorum est nimia anxietas eorũ, contra illud Christi D. *Nolite solliciti esse* &c.

Praxis Prudentiæ.

PRimum *est*, quod requirit Prudentia, ut ille, qui vult esse prudens, sit vir bonus, & virtutibus omnibus præditus: quia sicut Virtutes Morales esse non possunt absq; Prudentia; ita nec Prudentia esse potest sinè Virtutibus Moralibus. *Secundum* ut fugiat Prudentiam carnis: Prudentiam autem spiritùs teneat. Nam Prudentia carnis mors est

est *ut ait Apost:* Prudentia autem Spiritus vita & Pax quoniam Sapientia carnis inimica est DEO, Legi enim DEI non est subjecta. *ad Rom:* 8. *De hac utraq; Prudentia S.Basili: Hom:* 17. *in Proverb: sic loquitur:* Una, *inquit*, est Prudentia proprii commodi custos, & alieni doli observatrix-qualem serpens habet: ille, si quid periculi imminere viderit, caput super omnia custodit. Ea videtur versutia illa (*quæ versutia est prudentia carnis*) quæ prona est ad proprium commodum, & simpliciores defraudandos, quali prudentia fuit ille sæculi prudens injustitiæ œconomus apud Evangelium. *Vera autem prudentia* est cognitio eorum, quæ agenda sunt & non agenda, quam si quis rectè sectatus fuerit nunquam ab officio virtuteq; discedet. *Tertium* ut cùm Prudentiæ munus sit virtutum fines intueri: præcipuè finem totius vitæ humanæ intueatur, qui est placere DEO, & beatitudinē æternam consequi. *Quartum est* ut media ad illū finem vitæ nostræ obtinendum, v. observationem mandatorum & consiliorum, exercitium bonorum operum, modum vivendi juxta statum Vocationis suæ adhibeat, *Quintum* ut quid sibi faciendum, quidvè vitandum sit, & omnes circumstantias cujuslibet operis prævideat: Prudens enim dicitur, quasi procul videns *secundum S. Isidor:* Unde *S. Bernardus Lib:* 5. *de Conside cap:* 4. Quemdam monet: Diligenter, *inquit*, omne quod faciendum erit, tracta apud te, & cum his qui te diligunt. Tracta ante factum, quia post factum sera retractatio est.

eſt Sapientis conſilium eſt: omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis. *Sextum* ut cum Prudentia ſimplicitatem conjungat, ſicut vult *Chriſtus D. noſter:* Eſtote, *inquit*, Prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut Columbæ. *Matth:* 10. Benè adjungit Prudentiæ ſimplicitatem, *ait Remigius:* quia ſimplicitas abſq; Prudentia facilè decipi poteſt: & Prudentia periculoſa eſt ad decipiendum, niſi ſimplicitate temperetur. *Et S. Hieron:* Prudentia, *inquit*, abſq; bonitate malitia eſt, & ſimplicitas abſq; ratione ſtultitia nominatur. *Et S. Chriſoſt:* Eſtote, *ait*, prudentes ſicut ſerpentes ad intelligendas fraudes: eſtote ſimplices ſicut columbæ ad ignoſcendas injurias. Præterea, eſtote prudentes ſicut ſerpentes, ut omne malum intelligatis & caveatis: eſtote ſimplices ſicut columbæ, ut non faciatis ullum malum: quia intelligere malum laudabile eſt; facere autem vituperabile. *Septimum* ut cum Prudentia ſimul diſcretionem habeat, ad quam pertinet; ordinare cogitationes, nè extra DEUM vagentur: affectus mentis, nè nimis in creaturis occupentur: voluntates, nè à DEO avertantur; intentiones, nè illis malæ miſceantur, ſuſpiciones & judicia, ut in meliorem partem convertantur: Omnia verba ac facta ut in bonum dirigantur. Præterea *ſecundùm Richardum Victorinum ad Pſal:* 143. Ad Diſcretionem pertinent I. *Judicatio*, quæ cuncta in judicium adducit & ſegregans bona à malis, per illicita nos effluere non permittit. 2. *Deliberatio*, quæ cuncta ordinatè operatur, & nihil

con-

confuſum relinquit. 4. *Diſpenſatio*, quæ ſuperve-nienti occaſioni cedit, & humanæ infirmitati con-deſcendit. 5. *Moderatio*, quæ modum cuſtodit in omnibus, & menſuram non excedit.

Actus Prudentiæ habentur pag: 2. pag: 84.

His Jaculatoriæ adduntur.

DEdi cor meum ut ſcirem Prudentiam atq; doctrinam *Eccl:* 1.

Viam Prudentiæ oſtende mihi Domine, *Iſaiæ* 41.

Domine, qui dixiſti per Prophetam: Audi Iſraël mandata vitæ, auribus percipe ut ſcias Prudentiam *Baruch* 3. Hanc Prudentiam, quæſo, doce me.

Ecce, Domine, prudentem me feciſti mandato tuo: quia in æternum mihi eſt. *Pſal:* 118.

Nè ſis Sapiens apud temetipſum: nè innitaris Prudentiæ tuæ: Si dilexeris audire, Sapiens eris. *Prov:* 3.

CAPUT X.

De Juſtitia.

JUſtitia *aliquando* ſumitur pro collectione omniũ Virtutum: ſive perfectione qua Viri Sancti dicũtur Juſti. *Aliquando* ſumitur pro determinata Virtute, quæ eſt de numero Moralium Virtutum, de qua *ſic ait Ariſtot: 5. Ethic: cap:* 1. Præclariſſima Virtutum, *inquit*, eſt Juſtitia, & neq; Heſperus neq; Lucifer ita admirabilis; quæ ſic definitur: *Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas, jus ſuum unicuiq; tribuens.*

Objectum Juſtitiæ *eſt Jus, ſive Juſtum.* Hæc Virtus reſidet in Voluntate; & eſt ſpecialiter ad alte-

rum:

rum; cujus actus est ponere æqualitatem, ad quam requiritur medium rei, & non tantùm medium rationis constitutum per Prudentiam, sicut fit in aliis Virtutibus: quia in materia Justitiæ non aliter constituit medium, quàm per æqualitatem secundùm rē, ut tantùm reddatur, quantùm re ipsa debetur.

Partes Integrales Justitiæ sunt duæ: v. *facere bonum: & declinare à malo.* Quod potest sumi dupliciter: vel *universaliter*, & sic pertinet ad quālibet Virtutem, accedere ad bonum, & à malo recedere; nam quælibet exercendo suum actum bonum, & accedendo ad illum, ab opposito malo declinat. Vel *Specialiter* pro eo quod est facere bonum debitum alteri, seu restituere: & vitare malū, quod sit proximo nocivum, videlicet, non furari, hoc modo sunt partes Integrales Justitiæ: quia sinè illis non potest esse perfectum opus Justitiæ.

Partes Subjectivæ Justitiæ sunt tres scilicet *Commutativa*, *Distributiva* & *Legalis*. Justitia *Commutativa* est partis ad partem, & reperitur in venditionibus, & emptionibus & omnibus contractibus inter particulares homines. Justitia *Distributiva est* totius ad partes, & reperitur in distributione præmiorum, bonorum communium, ac dignitatum Reip: ad ipsos Cives. Justitia *Legalis* est partium ad suum totum, quæ consistit in hoc, quòd quilibet tribuat communitati quod ei debet, procurando bonum commune ipsius, maximè in Observantia Legum, quam principaliter respicit Justitia Legalis: & hæc *Alia est purè Legalis*, quæ atten-

attendit ad verba Legis secundùm literam: *Alia* quæ attendit *ad mentem Legislatoris* & vocatur *Epykeia.*

Vitia opposita his partibus Justitiæ v. *Legali* est *Legalis Injustitia*, sive *Legũ relaxatio*, Vitiũ oppositum *Epykeiæ*, hoc est Justitiæ Legali specificè sumptæ, est *Iniquitas:* quia Epykeia dicitur Æquitas. Vitium oppositum *Justitiæ Distributivæ*, est *Acceptio personarum*: quando distribuens bona communia non distribuit secundùm merita personarum, sed secundùm affectũ erga personas. Justitiæ *Commutativæ* contrariantur illa vitia, quæ inferunt proximo nocumentum, sive in vita, sive in honore, sive in bonis externis. Hujusmodi sunt *Homicidium*, *Furtum*, quod est *acceptio rei alienæ invito Domino. Rapinæ* quæ addit supra furtum, violentiam, & injuriam personæ, dum res in præsentia, aut è manibus eripitur. *Injustitia Judicis in judicando: Actoris in accusando. Rei in se defendendo: & quæ fit ex parte Advocatorũ.* Præterea *Fraus*, quæ committitur in emptionibus, venditionibus, & aliis Contractibus commutativis. Et *Usura*, per quam lucrum ex mutuo accipitur. Similiter & *Vitia*, quæ inferunt proximo nocumentum *Verbis*, scilicet, *Contumelia*, qer quam læditur honor alicujus, obijciendo illi, aut coram eo propalando suos defectus Morales: ut quòd sit *latro &c. Convitium*, per quod obijciuntur alicui defectus naturales, vel pænales, ut quod sit *Cæcus &c. Improperium*, quo obijciuntur alicui defectus Fortunæ.

tunæ, ut quod servierit &c. *Detractio*, quæ est alienæ famæ denigratio, fitq; in absentia, sicut læsio honoris in præsentia. *Susurratio*, quæ profert aliquid, sive malum sit, sive non ut amicitiam separet. *Derisio*, per quam dicuntur verba causantia alicui pudorem, & erubescentiam. Et *Maledictio*, quæ est alicujus mali proximo imprecatio.

Partes Potentiales Justitiæ sunt: *Religio*, *Pœnitentia*, *Pietas*, *Observantia*, *Gratitudo*, *Vindicativa*, *Veritas*, *Amicitia & liberalitas*. Partes Potentiales Justitiæ dicuntur; quia in aliquo conveniunt cum justitia v. in hoc, quòd sint ad alterū; tamen non participant plenè Justitiæ rationem, vel quia deficiunt à ratione æqualis: vel quia deficiunt à ratione debiti.

Religio quæ etiam *Latria* vocatur, est *Virtus*, *quæ cultum debitum, DEO tribuit tanquam primo omnium principio*: Seu est protestatio Divinæ excellentiæ, quæ fieri debet cum nostri submissione, protestando nostram dependentiam ab illo. *Objectum Religionis* est *Divinus cultus*, non autem DEUS ipse, nam per hoc Religio distingvitur à Virtutibus Theologicis, quia istarum Objectum est DEUS: Religionis verò Objectum est cultus creatus, qui DEO offertur, ut termino & fini *Cui*. Divina autem excellentia est ratio ob quam talis cultus DEO debetur. Sub quo cultu continentur *Sacrificia, Oblationes, Laudes, Adorationes, Vota, Juramenta, Imagines, Ritus, Cæremoniæ sacræ* &c. quibus Divinitas honoratur: simul & nosipsi, nostriq;

actus

actus honesti, & universae res creatae, quae in signū & testificationē Divinae excellentiae possunt DEO offerri.

Actus Religionis sunt: *Devotio*, *Oratio*, *Sacrificium*, *Oblatio*, *Votum*, *Juramentum*, *Adjuratio Divini Nominis*, *ejusq; per Laudem Assumptio*, *Devotio* est in Voluntate, quae est actus Religionis elicitus & primarius, *estq; nihil aliud, quam prompta voluntas ad ea quae sunt DEI cultus & famulatus*. Nascitur ex contemplatione Divinae eminentiae, & nostrorum defectuum cognitione. *Devotionis effectus* est cordis laetitia, quae tollit omne contristans & retardans.

Oratio est petitio decentium à DEO: & est in Intellectu: quia orare, est nostrum conceptum ad DEUM ordinare; ipsi exprimere, intimare, ac notum facere. *Fructus Orationis* praecipui sunt tres: *Satisfactio*, *Impetratio* & *Meritum*. Est infallibilis, quando orans postulat pro se piè, perseveranter & conducentia ad salutem.

Adoratio est honor externo corporis gestu exhibitus DEO. Fit per quemcunq; actum externum, per quem significatur interna reverentia, & veneratio; ut per genuflexionem, inclinationem, prostrationem, capitis discooperationem &c.

Sacrificium & Oblatio includunt omnes actus, quibus res externas DEO offerimus. Et quamvis *Oblatio* si largiùs sumatur comprehendat *Sacrificium*; nam & hoc quaedam Oblatio est; propriè tamen accepta differunt. Nam *Sacrificium* dicitur de

de re, quæ offertur cum sui immutatione: *Oblatio* verò cum offertur integra & immutata. *Dividebatur* olim *Sacrificium* ratione materiæ, *in Victimam, Immolationem & Libamen.* Materia Victimæ erat animal, quod occidebatur: Materia Immolationis erat aliquid inanime & solidum; ut panis, thus, spicarum manipulus &c. Materia libaminis erant res fluidæ: ut aqua vinum, &c. quæ effundebantur. *Rursus dividebatur* Sacrificiũ ratione Formæ vel Finis, in *Holocaustum, Hostiam pacificam, & Sacrificium pro peccato, Holocaustum* est, in quo tota res comburebatur, ut in fumũ resoluta ad DEUM ascenderet. Eratq; perfectissimum sacrificium: quia in illo expressiùs significatur omnia ipsius DEI esse. In aliis duobus sacrificiis partim cremabatur, partim Sacerdotibus aut offerentibus reservabatur: offerebatur verò *Hostia pacifica* pro beneficiis acceptis, vel accipiendis. *Sacrificiũ* autem *pro peccato* in expiationem peccati. Verûm hæc omnia sacrificia in Lege Gratiæ cessârunt: quia habetur nunc perfectissima Hostia & Sacrificium Corporis & Sangvinis Christi D. Nostri; quod per illa Sacrificia legalia figurabatur: atq; ita debent cessare figuræ existente veritate.

Oblatio est Actus, quo res externas DEO offerimus, sinè mutatione illarum facta in ipsa oblatione, pro usibus Divino cultui convenientibus: uti est Ministrorum sustentatio, Ecclesiarũ constructio & reparatio, utensilium Sacrorum præparatio &c. *Dicitur sinè mutatione* rerum facta in ipsa oblati-

one,

one, ad distinctionem Sacrificii, in quo *ea quæ Sacrificantur* in ipso Sacrificio *immutari debent*: vel *mactatione* vel *combustione* vel *fractione &c.* quod fiebat ad significandum Sacrificium offerri DEO ut primo principio totius Entis, qui potest suo supremo dominio res creatas destruere, annihilare & immutare. *Oblatio dividitur in Oblationem primitiarum*, qua quis in recognitionem beneficii à DEO accepti offert primitias fructuum ad protestandũ omnẽ terræ fructum DEI esse beneficium. *Et in Oblationem decimarum*, quæ specialiter est ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ.

Votum est promissio DEO facta: quod dividitur in *Solemne & Simplex. Solemne votum* est, in qua fit perfecta voventis traditio, habetq; annexam susceptionem status. *Simplex votum* est quod prædictam traditionem non includit. Hoc *Votum simplex* subdividitur in *Absolutum*, quod seipsum statim obligat: & in *Conditionale*, quod fit dependenter à conditione futura contingenti, neq; obligat priusquam talis conditio purificetur. Rursus *Votum* Conditionale: Aliud est *pœnale*, aliud non Pœnale. Præterea dividitur Votum in *Tacitum & Expressum*: in *Perpetuum & Temporale*, quæ ex terminis constant, *Ultimo dividitur Votum* in *Personale*, quo promittitur aliqua personalis actio: ut Peregrinatio, jejunium &c. Et *in Reale*, quo promittitur aliqua res externa: ut Eleemosyna. Et *in Mixtum*, quo simul promittitur res externa, & actio personalis: ut peregrinatio cum obligatione Eleemosynæ.

Jura-

Juramentum est attestatio, seu invocatio Divini Nominis ad fidem faciendam, promissionemvè firmandam. Et est actus intellectus spectans ad Religionem: quia hujusmodi invocatione profitemur Divinam Excellentiam. Dividitur primò in purè *Contestatorium.* quo DEUS præcisè vocatur in testem ut cùm dico: *Testor DEUM. Juro per DEUM. Vivit Dñus:* Et in *Execratoriũ*, quo DEUS vocatur in Vindicem, ut cùm dico: *Testem invoco DEUM in animam meam:* Ita *me DEUS adjuvet:* Ita *sit mihi propitius: Hæc faciat mihi DEUS, & hæc addat* &c. Rursùs Juramentum aliud fit immediatè per Deũ: Aliud per ejus Creaturas, non ut creaturæ præcisè secundùm se considerantur, sed ut sunt aliquid DEI, in quo Divinitas ejus splendet: & hoc pacto est Juramentum *Contestatorium:* ut cum juramus per cœlum, per Angelos, per rem sacram; intelligimus quippe in his ipsum DEUM eorum Conditorẽ. Quod non debet fieri per res viles, ob speciem indecentiæ, Vel consideramus creaturas ut sunt aliquid ad nos pertinens, quod obligamus DEO: & hoc modo est *Execratorium*, ut cum juramus per vitam, animam, aut salutem nostram, vel Patris, vel Filii, vel Regis &c. *Tertiò* dividitur Juramẽtũ in *Solemne*, cui adhibetur aliqua notabilis circũstantia exterior; ut quòd fiat in tribunali coram testibus &c. Et *in Simplex* quod caret prædicta Solemnitate. Deniq; dividitur Juramentum in *Assertorium*, quod adhibetur tantũ ut credatur aliquid, quod aliâ viâ sufficienter pro-

bare non possumus. In *Promissorium* quod fit ad confirmandam aliquam promissionem, quâ volumus nos alteri obligare. Quod si talis *promissio* DEO fiat, est *votum juratum* seu *juramentum cũ voto:* ac proinde ejus transgressio est duplex peccatum contra Religionem. Si verò fiat Creaturis, est simpliciter promissorium juramentum. Et in *Comminatorium*, quô minamur alteri pœnam, ut constricti Juramenti reverentiâ non valeamus condonare eam. Est verò inter prædicta Juramenta hoc discrimen: quòd in primo sufficit una veritas ejus nimirũ quod ita esse testamur, in aliis autem duplex requiritur. Alia Præsens, ut verè habeamus animũ exequendi quod minamur, vel promittimus: & alia Futura, quæ verificet executionem. Prima est omnino Indispensabilis.

Adjuratio Divini Nominis est Juramento affinis, quæ fit quando DEUM, vel rem sacram advocamus, ut ejus timore, vel reverentia alterum moveamus ad aliquid faciendum, vel omittendum *Fit* autem *Adjuratio* duobus modis: vel *Deprecãdo*, ut cùm pauper petit Eleemosynam propter DEI amorem. Vel *Præcipiendo*, ut cum Prælati adjurant sibi subditos, *in Virtute Spiritus S*. Et cum Ecclesia inobedientes anathematizat, Atq; hoc secundo modo licet dæmones adjurare, ut ab obsessis corporibus recedant, hominibusque, aut animalibus, aut terræ fructibus non noceant.

Ultimus Religionis Actus est *Invocatio sivè Assumptio Divini Nominis* per Laudem; quando scilicet

ſcilicet laudamus ejus Miſericordiam, Pietatem, Amorem &c.

Vitia Religioni oppoſita ſunt *Irreligioſitas* per defectum, & *ſuperſtitio* per exceſſum. *Superſtitio* alia eſt *cultus indebitus* quo verus DEUS colitur, ſed indebito modo. Alia Superſtitio *ratione rei cultæ*, quâ cultus ſoli DEO debitus tribuitur creaturis, & dæmonum ſimulacris. Prima partitur in *cultum falſum* ut ſi quis DEO nunc offerret cultum Judæorum; aut ſi falſis miraculis & teſtimoniis aliquid confirmare vellet. Et in *cultum ſuperfluum*: ut dum præter Eccleſiæ morem ponitur cultus in aliquibus circumſtantiis, quæ ad rem non pertinent: ut in colore, vel ſitu candelarum, in numero Miſſarum, vel Orationum, ut ſint tot, & non plures. Secũda *Superſtitio* quæ eſt *ratione rei cultæ* dividitur in *Idololatriam*, *Divinationem*, *Superſtitionem Obſervantiarum*, & *Magiam*. Aut enim diabolus colitur præcisè ut honoretur tanquam Numen: & hæc eſt *Idololatria*. Vel colitur ut aliquid occultum revelet: & hæc vocatur *Divinatio* quaſi Divina actio. Quia proprium Divinitatis eſt futura & omnino occulta cognoſcere. Vel ut juvet & dirigat in operando: & ſic eſt *Superſtitio vanarum Obſervantiarum*. Vel deniq; ut ejus opera mira & inſolita ab hominibus fiant, & iſta appellatur *Magia*.

Alterum Vitium oppoſitum Religioni *per defectum* dicitur *Irreligioſitas* quæ continet hæc vitia, nempe: *Sacrilegium*, quo vis aliqua, & injuria in-

infertur rebus, aut personis DEO, ejusq; cultui cōsecratis. *Tentationem DEI*, quæ tunc fit quando quis absq; justa causa aliquid facit, vel dicit ad capiendum experimentum Divinæ Potentiæ, Sapientiæ, Justitiæ, Misericordiæ &c. *Perjurium*, quod est transgressio Juramenti. *Simoniam* per quā res Sacræ indignè tractantur, cōmutando illas rebus temporalibus. *Infidelitatem*, quæ frangit fidē DEO in Voto promissam. Et *Blasphemiam*, per quam derogatur D. Excellentiæ & Sanctitati.

Secunda Virtus quæ est Pars Potentialis Justitiæ, est *Pœnitentia* quæ sic definitur: *Est Virtus offerens DEO debitam satisfactionem & dolorem pro peccatis.*

Tertia Virtus est *Pietas*, qua quis exhibet officium & cultum debitum Parentibus, Patriæ, & consangvineis: decet enim ut ex Pietate omne obsequium, & reverentia, & beneficium subventionis præstetur prædictis necessitatem patientibus.

Quarta Virtus est *Observantia*, per quam homines aliqua dignitate antecellentes cultu quodam & honore dignamur. Hac Virtute coluntur omnes aliqua dignitate, virtute, sapientia, & Sanctitate præcellētēs, ut sunt *Superiores*, *Doctores*, *Magistri*, *Sācti* &c. Unde *Observantiæ* assignantur aliquæ *Species* v *Observantia specialis*, seu *Urbanitas* quâ honoramus Magistros. *Dulia* quâ colimus Sanctos, & DEO consecratos. *Hyperdulia* quâ honoramus sanctos speciali nexu Divinitati cōjunctos: uti est Beatissima Virgo, quæ relatione Maternitatis De-

um attingit: & *Humanitas Christi* D. secundùm se considerata & *Obedientia* per quam Superiorum DEI personam gerentium jussis obtemperamus. Unde Virtus Obedientiæ respicit præceptum Superioris, ut præceptum est. *Cujus Virtutis Materia* sunt omnes Virtutum actus, quocunquè modo à Superioribus injuncti. *Forma est* illa ratio ut fiant illi actus, quia præcepti sunt. Quod Religiosi debēt notare, ut veri & formales Obedientiæ sint Observatores, non alias ad obediendum rationes conquirendo, quàm quia jussa à Superioribus injuncta sunt: in quo *necesse est ut voluntatem nostram subijciamus voluntati Superiorum*, quod minùs perfectorū est: sed ut *Subijciamus quoq; Intellectum*, quod perfectiorum est. Sunt autem *duo genera Obedientiæ: Aliud* est facere *cum Obedientia*, ut cum aliquis petit aliquid à suo Superiore. *Aliud ex Obedientia* aliquid præstare: ut cum proprio motu Superior alicui quidpiam injungit. Illud primum aliquando non caret culpa, si petatur aliquid sinè ulla necessitate. In secundo genere actus Obedientiæ semper est bonus: nisi aliquando ex vitio Obedientis corrumpatur: v. si aliquis ideò rem à Superiore injunctā libenter amplectitur, quia sibi placet, & proprio naturæ genio est consona.

Ut verò Obedientia opus sit perfectum has circumstantias, *Secundum S. Bernardū* habere debet: v. ut fiat *Velociter*; sinè mora & dilatione. *Libenter*; hoc est prompta voluntate, voluntatem nostrā voluntati superioris subijciendo. *Simpliciter*; cœco in-

intellectu, imperatum non discutiendo, & judiciū nostrum judicio Prælati submittendo. *Hilariter*; absq; tristitia, tædio & querela. *Fortiter*; excelso animo in rebus arduis & difficilibus; etiam Superioribus parùm affectis, & malevolis. *Humiliter*; absq; vanæ gloriæ & laudis appetitu, vel complacentia; rudibus quoq; Prælatis, & imperitis. *Perseveranter*; usq; ad perfectam mandati Superiorum impletionem; & usq; ad finem vitæ nostræ.

Gradus Obedientiæ Heroicæ sunt isti. Primus est, Promptitudo Obediendi: hæc patuit in tribus Magis, & S. Abraham. Nam fidelis Obediens nescit moras, *ait S. Bernardus*, fugit crastinum, ignorat tarditatem. *Secundus*, Conformitas totalis subditi cum Superioris Voluntate. Nam Obedientia est sepulchrum propriæ Voluntatis *ut asserit S. Climacus*, *Tertius*, Conformitas totalis cum Superioris Intellectu sive Judicio, ita ut dicat obediens: quod Superior rite præcipit, vel prohibet vel saltim de Superioris mandato non judicet, sed obediat clausis, ut dicitur, oculis: propterea *S. Bernardus ait:* Profecto Obedientia est indiscreta, hoc est; non discernens quid, & quale præcipiatur. *Quartus*, nihil omnino facere inconsulto Superiore, quamvis bonum esset opus, *unde S. Basilius:* Quidquid insciente Superiore facis, id furtum est, & Sacrilegium, tibiq; exitium non utilitatem apportat, esto tu id bonum judices. *Quintus*, obedire cuilibet Superiori etiam imprudenti, & indiscreto: quia tam prudens, quàm imprudens Superior est Christi

Christi Vicarius. *Sextus*, obedire Superiori parum affecto vel malevolo: quia confidendum est tunc Domino, quòd omnia talis Superioris præcepta dirigat in bonum obedientis. *Septimus*, obedire seu acquiescere voluntati æqualium; immò & inferiorum; exemplo Christi, qui cum esset DEUS, voluit hominibus obtemperare. *Octavus*, Superiori præcipienti non replicare: seu non se excusare: sic Christus D. jam defessus Crucem sibi impositam portare non recusavit. *Nonus*, adversus affectus nostros & inclinationes obtemperare. *Decimus*, etiamsi Superior nihil jubeat, ejus voluntati se accomodare, & indicia suæ voluntatis exequi. *Undecimus*, indifferentem se ad omnia præbere, & quantum est ex se nihil de se ordinare, nihilq; nisi quod Superior voluerit concupiscere. *Duodecimus*, cum majore aviditate difficiliora, viliora; ignobiliora & naturæ repugnantia ex Obedientia injuncta facere, quàm illa, quæ sunt faciliora, nobiliora, & naturæ nostræ consona.

Obedientiæ per defectum contrariatur Inobedientia, prout procedit ex intentione agendi contra præceptum, atq adeò ex contemptu & vilipendentia illius.

Et istæ sunt virtutes quatuor supra numeratæ, videlicet Religio, pœnitentia, Pietas, observantia, partes Potentiales Justitiæ dictæ, quæ à ratione perfectæ Justitiæ deficiũt, propter inæqualitatem ejus, quod redditur: sequuntur aliæ virtutes, quæ deficiunt propter imperfectionem debiti; quia non reddunt

dũt ex debito legali & rigoroso. Ex his est in ordine.

Quinta Virtus pars Potentialis Justitiæ, nempe *Gratitudo*, quæ respicit debitum ortum ex beneficio: utq; illi satisfaciat rependit aliquid benefactori; ut *Gratiarum actionem*, *obsequium*, *cultum*, *vel aliud beneficium*; sumitur autem *Gratitudo* dupliciter. *Primò*, ut generatim extendit se ad omnes, à quibus beneficia accepimus, v. ad DEUM, parentes, Superiores &c. quo pacto non est una specialis virtus, sed actus diversarum virtutum. Ut enim DEO gratias reddit, coincidit cum Religione: ut parentibus, cum Pietate: ut superioribus, cum Observantia &c. *Secundò* sumitur, ut specialiter respicit beneficium acceptum ab illo in quo solùm attenditur ratio benefactoris: & hoc modo est virtus specialis distincta ab aliis, quæ licet non inducat debitum rigorosum recompensandi beneficium, benè tamen debitum decentiæ & honestatis. *Sunt autẽ quinq; Officia Gratitudinis.* 1. *Est accepti beneficii æstimatio*: ut ostendamus nos illud æstimare, si non ex rei magnitudine, saltem ex affectu, & animo donantis. 2. Est *benigna acceptatio* per quam benefactorem honoramus, & affectui ejus quodammodo satisfacimus: qua de re *Seneca Lib: 2. de Benef. cap.* 35. sic ait: *Qui grate beneficium accipit, primam ejus pensionem solvit.* 3. Est *gratiarum actio*, quæ est benevola gratiæ acceptæ protestatio, per quam benefactor honore afficitur: estq; proinde beneficii quædam compensatio. 4. Est *grata commemoratio*, partim ut apud nos simus memo-

memores beneficii accepti, partim, ut oblata occasione corã aliis libenter illud referamus; quod pertinet ad laudem & honorem benefactoris 5. *Est redditio* seu *repensio*, quando vicissim re, vel obsequio redditur beneficium. Quod si nõ suppetat, quod rependas, saltim reddenda est bona imprecatio: ut *DEUS remuneret, in centuplum compenset* vel piæ ad DEUM preces, pro salute benefactoris offerendæ. Hæc quinq; Gratitudinis munera ad tria reduxit. *S. Thom: art:* 2. quæ sunt: *Beneficium agnoscere, pro eo gratias agere. retribuere loco & tempore pro facultate recipientis. Vitium Gratitudini contrarium* per excessum non est nominatum: *per defectum* verò *est Ingratitudo.* 1. *Beneficium non retribuere.* 2. *dissimulare non agendo gratias* 3, *Oblivisci & nolle agnoscere.* 4. *Retribuere mala pro bonis* 5. *Vituperare beneficium,* 6. *Beneficium pro maleficio reputare.*

Sexta Virtus est Vindicatio, quæ ex Græco, idem est, quod *injuriæ ultio:* seu est *delicti punitio*, cujus potest esse multiplex finis. 1. *Bonum ipsius peccantis*, ut quod resipiscat, & emendetur: sicut pater punit delicta filii & Magister Discipuli, & tunc est actus Misericordiæ, Pietatis aut Charitatis. 2. *Propria defensio*, pro qua unicuiq; licitum est quemcunq; injustum invasorem invadere; & vim repellere cum moderamine tutelœ: qualis defensio solet fieri pro vita, pro honore, pro pudicitia, & hujusmodi: 3. *Est Honestas*, quæ resplendet in punitione malefactoris, cui debetur pœna: & tunc est

Virtus

Virtus specialis pertinens ad Justitiam. Et licet hæc Virtus, sit in personis privatis ad expetendam modestè vindictam, non tamen ad exequendam: quia hæc executio solùm debet fieri à judice, qui habet auctoritatem puniendi malefactores. Nec licet cuilibet seipsum vindicare, sicut licet se defendere: longè tamen laudabiliùs est injurias condonare, & ultionem non quærere exemplo Christi D.N. *Huic Virtuti per excessum opponitur Crudelitas* seu *Sævitia* quæ excedit mensuram honestæ vindicationis: *per defectum* verò opponitur *Remissio*.

Septima Virtus est Veritas seu *Veracitas*. Estq; habitus existens in voluntate, qui nos facit dicere verum, rectè utendo verbis & signis, quæ nobis data sunt ad manifestandum alteri internos conceptꝰ & judicia, ita ut his exteriora signa conformentur. Et hæc fidelis manifestatio valdè est necessaria ad humanam societatem, atq; multoties debita his quibus convivimus, debito honestatis *Ad hanc Virtutem tria spectant*. 1. *Amare Veritatem*, in dictis & factis. 2. *Cavere nè contra judicium mentis aliquid dicatur:* pro quo est præceptum negativũ obligans ad semper. 3. *Patefacere judiciũ mentis* per verba, aut alia signa: hoc tamen non præcipit pro semper; quia multoties expedit ea, quæ in mente sunt, occultare: & si loqui opus sit, licebit justa ex causa æquivocatione uti; ita tamen, ut intentio loquentis interno conceptui semper conformetur; neq; intendat audientem decipere, sed tantùm secretum suum celare. *Ad Veritatem revoca-*

vocatur Fides seu *Fidelitas* quæ servat proximo fidem in promissis, Unde notandū est quod promissio facta animo se obligandi, & acceptata, juxta valdè probabilem sententiam, obligat sub mortali. *Fidelitati opponitur Infidelitas in promisso*, vel *Fidei datæ violatio. Veritati* autem *opponitur vitium mentiendi.* Mentiri verò dicitur, quasi contra mentem ire; cum aliud in mente sentimus, & aliud extrà significamus. *Dividitur autem Mendacium Primò in Jactantiam*, quâ aliquis majora de se prædicat, quàm habeat, & *Ironiam*, quâ, aliquis minora, quàm insint affirmat; vel laudabilia, quæ insunt, negat. Hæc opponitur Veritati per defectū. *Secundò dividitur Mendacium in Jocosum*, quod dicitur causa propriæ, vel alienæ voluptatis: *Officiosū*, quod dicitur causa propriæ, vel alienæ utilitatis: & *Perniciosum*, quod alicui nocet injustè, licet alteri prosit. *Tertiò dividitur Mendacium ratione signi*, in illud, quod consistit in verbis, & hoc propriè vocatur *Mendacium*. Et in illud, quod consistit in factis, & actionibus: ut dū habens in corde lætitiam, tristitiam contra veritatem ostendit: appellaturq; *Simulatio:* sub qua comprehenditur *Hypocrisis*, per quam re vera peccator justus se simulat.

Octava Virtus est Amicitia quæ non est mutua benevolentia in aliqua communicatione fundata; sed *est Virtus, quæ facit ut conversatio nostra cū proximi, sit grata*, & talis, qualem decet esse, spectata nostra conditione, personarum, quibuscum agimus, negotiorum &c. ut neq; nimis blandè neq; nimis

mis

mis asperè in colloquiis & congressibus ad illos nos habeamus, sed ut decet æqualiter amicos & socios, propter generalem communicationem naturæ rationalis. *Hæc Virtus* propriè *vocatur: Affabilitas:* cui *per excessum* opponitur *Adulatio:* quia adulatores student nimis blandè in convictu se habere, qui omnia probant, omnia laudant, & in omnibus se accommodant voluntati eorum, quibus blandiuntur. Et si hoc faciunt suæ utilitatis causâ, dicuntur simpliciter *adulari:* si verò solùm, ut placeant, & delectent, dicuntur *blandiri. Per defectum* opponitur *Litigium*, quod perturbat vitam socialem, & contentiones atq; pugnas parit.

Ultima Virtus est Liberalitas, quæ versatur circa pecunias, ut decet, illas expendendo ubi sub pecuniis intelliguntur omnes divitiæ externæ, quarum pretium & æstimatio pecuniâ metitur. Est autem *Liberalitas duplex: Alia*, quæ primariò moderatur passionem appetitus concupiscibilis, & quæ solum disponit ad congruam elargitionem: & hæc potiùs est pars Temperantiæ, quàm Justitiæ, quæ residet in prædicto appetitu. *Alia est*, quæ respicit primariò exteriorẽ elargitionẽ, ut fiat, quibus, & quomodo oportet: & hæc cùm sit ad alterum spectat ad Justitiam, ut pars potentialis, quæ residet in voluntate. *Ad Liberalitatem* reducitur *Magnificentia*, quæ est circa magnos sumptus in ordine ad alterũ, quæ ponitur in voluntate: nam *Magnificentia* est quædam egregia Liberalitas. *Liberalitati per defectum opponitur Avaritia:* seu

nimia

nimia cupiditas divitiarum, quæ est, juxta *Apostolū Paul:* 1. *ad Tim:* 6. Radix omnium malorum: cujus filias enumerat *Gregor: Lib:* 31. *Moral: proditionem, fraudem, fallaciam, perjuria, inquietudinem, violentiam & obdurationem contra Misericordiam. Per excessum* verò oponitur *Prodigalitas*, quæ plùs dat, quâm oportet, aut his quibus non oportet.

Praxis Justitiæ

Hæc expressa est in actibus Justitiæ p. 2. p. 87. quibus adduntur.

Jaculatoriæ.

Fac me Domine virum justum, qualem describit Propheta David.

Qui ingreditur sinè macula & operatur justitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingva sua.

Nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximum suum.

Qui jurat proximo suo & non decipit. *Ps:* 14.

Sacrificabo sacrificium Justitiæ & sperabo in Domino. *Psal:* 4.

Confitebor Domino secundùm Justitiam ejus, & psallam nomini Domini Altissimi. *Ps:* 7.

Domine deduc me in Justitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meā. *Ps:* 5.

Exaudi me Domine in tua Justitia; & non intres in judicium cum servo tuo. *Psal:* 148.

CAPUT XI.

De Fortitudine.

Tri-

TRipliciter sumitur Fortitudo: *Primò*, ut dicit firmitatem animi in quolibet virtuoso opere: & sic non est Virtus specialis, sed generalis conditio omnium virtutum: nam de ratione cujuslibet virtutis est firmiter inclinare ad suum actum. *Secundò*, ut dicit firmitatem animi in sustinendis vel superandis temporalibus periculis, quae reddunt objectum difficile & arduũ, quorum victoria pertinet ad appetitũ irascibilem; sed neq; hoc modo Fortitudo sumpta est virtus specialis: quia comprehendit omnes suas partes potentiales, quae non attingunt perfectè rationem fortitudinis: ut Magnanimitatem, Magnificentiam &c. *Tertiò* sumitur prout dicit firmitatem animi in illa materia ubi difficillimũ est firmitatem habere, ut sunt mortis pericula; contra quae firmat animum, nè illorũ timore bonũ rationis deserat: vel detinet, nè nimium audax in ea incidat. Et hoc modo Fortitudo est Virtus specialis importans specialẽ honestatẽ, quae sic à D. Thom: definitur: *Fortitudo est virtus existens in irascibili coërcitiva timoris & audaciae moderativa instantibus periculis.* Unde *munus ejus est* duplex 1. *Coërcere timorem*, & non omnino tollere: nam etiam est timor cadens in constantem virum. 2. *Moderare audaciam*, nè declinet in temeritatem. *Pericula* verò, quae *sunt materia circa quam hujus virtutis*, debent esse ex honestò fine: debent esse maxima: & ex aliqua impugnatione occurrentia: v. quando oppugnatur bonum rationis; quod fit vel in bello communi, quod est contra

Justi-

Justitiam: vel in bello particulari, quod est contra Fidem, Castitatem &c. *Sunt autem duo actus Fortitudinis*, nempè *Aggredi, & Sustinere*; inter quos principalior est *Sustinere*. id est, immobiliter sistere in periculis: quia qui sustinet, sentit pericula imminentia; qui aggreditur, sentit ea ut futura: & Hinc *Martyrium* quod *est actus principalissimus Fortitudinis*, non in aggrediendo, sed in sustinēdo consistit.

Partes Integrales Fortitudinis sunt Quatuor; Duæ ex parte aggressionis, scilicet, *Magnanimitas*, ad securè aggrediendum; & *Magnificentia*, ad perficiendum inchoata, Duæ ex parte Sustinentiæ: scilicet, *Patientia* nê decidat animus ex tristitia mali præsentis, & *Perseverantia*, nè fatigetur & frangatur ex diuturnitate illius. Quæ debent fieri circa pericula mortis, quæ sunt materia Fortitudinis: nam si fierent circa alias materias minùs difficiles, potiùs essent partes potentiales Fortitudinis, quàm integrales.

Partes Potentiales Fortitudinis sunt Quatuor, secundùm S. Thomam v. *Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, & Perseverantia.* Dicuntur autem istæ Virtutes partes potentiales Fortitudinis propter affinitatem cum ipsa vel in materia, vel in modo perficiendi, qui est firmare animum nè à bono rationis recedat.

Magnanimitas est *Virtus inclinans ad opera magna, & heroica, in omni genere virtutum.* Ex eo enim dicitur animus magnus, quia ad magna aspirat:

aſpirat: ſcilicet, ad magnam & profundam Humilitatem, magnam Patientiam, magnam abſtinentiam, magnam vitæ Auſteritatem &c. Et quia Magnanimitas eſt *primariò*, circa magnitudinem virtutis: ideò *ſecundariò* eſt circa magnitudinem honoris qui virtutem magnam conſequitur. *Materia* intrinſeca *magnanimitatis ſunt paſſiones*, vel actus *appetitûs iraſcibilis:* ſcilicet, *Spes & Deſperatio.* Magnanimitas enim *ſpem erigit*, & ſtimulat ad magna ſibi proportionata, firmatquè ut uſq; ad conſecutionem non deficiat; & etiam detinet, nè ad improportionata aſcēdat: *Deſperationem* verò *comprimit*, nè propter rei difficultatem à virtutis proſecutione deterreat. *Sub Magnanimitate* continetur *Fiducia*, quæ dicit Spē conſequendi magna. Et *Securitas animi* ex ablatione timoris. *Vitia magnanimitati oppoſita* ſunt ex parte Objecti primarii *Præſumptio*, quæ tendit in magna improportionata. Ex parte Objecti ſecundarii, ſcilicet, honoris eſt *Ambitio*, quæ eſt appetitus inordinatus honoris. Ex parte gloriæ, quæ eſt honoris effectus, eſt *Vana gloria.*

Secunda pars potentialis Fortitudinis eſt *Magnificentia*, quæ eſt Virtus magnorum operum factiva, in ordine ab bonum ipſius magnifici. Nam ſi prædicta opera in ordine ad alienum bonum fiant, erit alia Magnificentia, quæ eſt pars potentialis Juſtitiæ. *Differt autē* hæc Virtus *à Magnanimitate*, quia hæc intendit *magnū* in actibus virtutū internis & immanentibus, ubi bonitas moralis primariò

consistit: sed *Magnificentia* intendit magnitudinē in operibus externis seu artefactis: quæ versatur circa magnos sumptus, & circa pecunias, quibus præparantur. *Materia* istius Virtutis *intrinseca sunt istæ passiones* appetitûs irascibilis, scilicet: *Spes Desperatio & Timor*: sed principalior est *Spes*. Est enim præcipuū munus hujus Virtutis rectificare & confortare passionem Spei, nè obruatur à magnitudine sumptuū & difficultate: vel si opus sit, detinere illam, ut non aggrediatur, quæ non oportet. Comprimit etiam Desperationem & Timorem, nè à magnis sumptibus inordinatè retrahant. Ad *Magnificentiam* reducitur *Strenuitas*: nam pertinet ad Magnificum, ut ea, quæ aggreditur strenuè & sollicitè exequatur. *Vitia illi opposita* per defectū est *Parvifacientia*: per excessum est *Consumptio*.

Tertia pars potentialis Fortitudinis est Patientia: quæ firmat animum contra tristitias ex rebus adversis, & hujus vitæ malis natas. Seu, *Est Virtus quæ moderatur tristitias ut omnia adversa & hujus vitæ mala æquo animo tolerentur*. Sunt autem hæc mala: ut mors Parentum, Consangvineorum, dolores, morbi, injuriæ, contumeliæ, detractiones, infamiæ, irrisiones, probra, etiam ipsa mors, quæ homo verè patiens sinè nimia tristitia sustinere debet. Hæc Virtus licet resideat in appetitu concupiscibili; quia versatur circa tristitiam, quæ est passio istius appetitus; tamen adjungitur Fortitudini ut pars potentialis: quia Patientia servat formam & modum Fortitudinis, firmando animum in bono

contra malum. Hinc patet, quòd Tristitiæ sunt materia intrinseca Patientiæ, *cujus vitium oppositū est Impatientia.* Ad *Patientiam* reducitur *Longanimitas*, per quam sustinemus æquo animo diuturnam dilationem boni desiderati: & quia hæc dilatio excitat in nobis afflictiones & tristitias: sustinere autem hæc; munus est Patientiæ, ideò meritò Longanimitas ad Patientiam reduci debet. Etiam *Tolerantia* pertinet ad *Patientiam:* quia utraq; firmat in rebus adversis.

Ultima pars potentialis Fortitudinis est *perseverantia*, non illa, quā homo durat in gratia usq; ad finem vitæ hæc enim non est Virtus, sed specialissimum donum proprium prædestinatorum: quod licet impetrare possimus, non tamen propriè mereri: neq; illa, quæ est in Voluntate ad firmandam illam in bono contra passiones Spei, Desperationis. Timoris &c. quas passiones illa non moderatur. Sed *illa Perseverantia est Virtus*, quæ est in appetitu irascibili, ad firmandum illum & moderandas passiones ejus, nè propter difficultatem, quæ sentitur ex continuatione & diuturnitate virtuosorum actuū recedat à bono rationis. *Et hæc Perseverantia est pars potentialis Fortitudinis.* Convenit enim cum illa, tum in subjecto, & materia: quia utraq; est in irascibili. Tum etiam in modo perficiendi, qui est firmando & roborando ad sustinendum: Fortitudo quidem sustinet difficultatem provenientem ex periculis mortis, quæ est omnium maxima: Perseverantia verò sustinet difficultatem provenientem

ex operis continuatione & diuturnitate, Vel ex ejus repetitione: unde sic definiri potest: *Perseverantia est virtus, quâ sustinemus difficultates ex operis continuatione & diuturnitate provenientes.* Hæc virtus moderatur *Timorem qui est materia intrinseca Perseverantiæ. Ad Perseverantiam* reducitur *Constantia*, per quam adversus difficultates, vel impedimenta occurrentia in bono constanter persistimus. Differt autem à Perseverantia; quia hæc non desistit à bono propter diuturnitatē: Constantia autem non desistit propter quæcunq; alia exteriora impedimenta.

Vitium oppositum Perseverantiæ per defectum dicitur *Mollities:* non illa, quæ est Luxuriæ species: sed illa per quam facilè quis recedit à bono inchoato propter timorem deficiendi, vel propter tristitiam provenientem ex defectu delectationis. Dicitur verò Mollities quia cedit debili moventi, v. Timori aut Tristitiæ. *Per excessum* opponitur *Pertinacia*, quâ quis nimiùm propriæ sententiæ adhærens non desistit ab incepto cùm oportet. Unde pertinaces dicuntur, qui permanent in propria sententia plùs quàm oportet.

Praxis Fortitudinis.

HÆc sunt, quæ ad praxim veri cultores Fortitudinis deducere debent *Primum est,* nè pericula mortis nimiùm audaces temerè aggrediantur: qua de re sic nos monet *S. Ambr: Lib: 1. cap: 37. de offic:* In omnibus non solùm, quid honestum, sed etiam quid possibile sit quæramus, nè

fortè aggrediamur aliquid, quod non possimus exequi. Unde nos tempore persecutionis de civitate in civitatem cōscendere, immò (*ut ipsius verbô utar*) fugere vult Dominus, nè temere aliquis, dùm Martyrii desiderat gloriam, offerat se periculis, quæ fortasse caro infirmior, aut remissior animus ferre ac tolerare non queat. *Secundum est*, ut nulla pericula, nullos labores, nulla adversa nimiùm formident, etiam ipsam mortem, & si eveniant, magnô animô ferant, & in omnibus adversis mentis tranquillitatē conservent. Nam Fortitudinis proprium est, ait *M. Tullius:* Nihil extimescere, omnia humana despicere, nihil quod homini accidere possit, intolerandum putare. *Tertium est*, ut sæpiùs legant Historias Sanctorum Martyrum, & animo perspiciant quanta passi sunt tormenta pro DEO, pro Fide orthodoxa, pro virtute, pro sua & aliorum salute; ut eorum exemplo ad similia perferenda excitentur; prout de Sancta M.N. Theresia in ejus vita legimus; quæ cum SS. Martyrum acta perlegeret, adeò in ejus meditatione Sancti Spiritûs ignis exarsit, ut domô aufugiens in Africam traijceret, ubi vitam pro gloria JESU Christi, & animarum salute profunderet. *Quartum est*, ut actus amoris DEI frequentissimè exerceant: nam Charitas expellit omnē periculorū, laborum, & difficultatum timorem. Nihil enim est, *ait S. August: lib:* 1. *cap:* 28. *de moribus Ecclesiæ Catholicæ*, tam durum atq; ferreum, quod non amoris igne vincatur. *Et S. Paulus ad Rom:* 8. Quis, *inquit*, nos separabit à Charitate Christi? tribula-

bulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? *Quintum*, ut pro acquirenda virtute quæcunq; ardua & difficilia aggredi non vereantur, magnam fiduciam habentes in auxilio DEI: *ut S. Paulus ad Philip: 4. de se ipso dicebat*: Omnia possum in eo, qui me confortat. *Sextum*, ut ad exercendos heroicos actus virtutum semper contendant, quod nobis magnoperè S. M. Nostra commendat. *Septimum*, ut vincere seipsos, pravos affectus subjugare, & dominium passionum acquirere conentur. Revera, *inquit*, *S. Ambrosius lib*: 1. *cap*: 36. *de Offic*: Jure ea fortitudo vocatur quando unusquisq; seipsum vincit, irã continet, nullis illecebris emollitur atq; inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis. Quid autem excelsiùs & magnificentiùs, quàm exercere mentem, afficere carnem, & servitutem redigere, ut obediat imperio, consiliis obtemperet?

Hæc Praxis continetur in actibus Virtutis Fortitudinis par: 2. *p*. 96. *Quibus adduntur*.

Jaculatoriæ.

Diligam te, Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & liberator meus.

DEUS meus adjutor meus, & sperabo in eum.

Quoniam in te eripiar à tentatione & in DEO meo transgrediar murum. *Psal*: 17.

Fortitudo & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. *Psal*: 117.

Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo?

Dominus Protector vitæ meæ, à quo trepidabo? *Psal: 26.*

Cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo manè misericordiam tuam. *Psal: 58.*

CAPUT XII.

De Temperantia.

EX eo dicitur *Temperantia* quia ad temperiē debitam reducit vim nimiam passionum nostrarum & affectuum. *Est autem Temperantia virtus refrænans appetitum sensitivum in concupiscentiis & delectationibus corporalibus quæ maximam vim habent abducendi à bono rationis.* Hæc virtus primariò est instituta ad moderandas delectationes, *gustus & tactus*, quorum sensuū delectationes, & earum concupiscentiæ vehementissimæ sunt, ut potè, quia versantur circa operationes maximè connaturales. Cæteræ delectationes aliorum sensuum exteriorum, ut visus, odoratus, gustus: & passiones concupiscibiles, quæ facilius moderantur, vel erunt Materia secundaria Temperantiæ: vel moderabūtur per alias virtutes, quæ dicūtur partes potentiales Temperantiæ. *Partes integrales Temperantiæ sunt duæ*, quæ ad opus temperantiæ concurrunt & illud quasi integrant: nempe, *Verecundia & Honestas. Prima dicitur Pars Temperantiæ*, quia jacit Temperantiæ fundamenta, & ad illam disponit, quæ *nihil aliud est, quam laudabilis passio timoris, quo quis horret committere turpia*

propter

propter confuſionem & vituperationem: cui adjungitur *Erubeſcentia,* per quam aliquis fugit vitioſa agere, propter timorem vituperii; ſed *Verecundia* propriè dicitur per quam aliquis propter eundem timorem turpia faciens, vitat publicos conſpectus. *Honeſtas eſt quædam Moralis pulchritudo atq; decor;* & quia Temperantia excludit turpe, ideò Honeſtas turpitudini contraria pertinet ad Temperantiam, & cum illa maximè identificatur. *Temperantiæ* opponitur *Intemperantia. Partes ſubjectivæ,* ſeu ſpecies Temperantiæ ſunt quatuor *Abſtinentia, Sobrietas, Caſtitas & Pudicitia.*

Abſtinentia eſt virtus, quâ moderamur ciborū delectationes & in uſu illorū debitam moderationē ſervamus. Sunt autem duo cavenda in uſu ciborū. *Primò* nè propter ſe appetantur, vel ſumantur ſeu propter delectationem eorū; ſed propter corporis ſuſtentationem vitæq; neceſſitatem. *Secundò* ut in ea quantitate ſumantur, quæ ſaluti eſt neceſſaria, & ut corpus officiis animæ, mentiſq; functionibus aptè inſerviat. Principalis *actus Abſtinentiæ eſt Jejuniū:* quo ex alimento etiā non immoderato aliquid ſubtrahitur corpori: tū ad concupiſcentias carnis reprimendas tum etiam ut mens elevetur ad ſublimia contemplanda, liberiusq; DEO adhæreat: tū præterea ut per voluntariam corporis caſtigationē peccata purgentur: tum propter alios honeſtos fines. Eſt verò *duplex Jejunium: Naturale,* quod dicit præcisè Negationem ſumptionis cibi: & *Morale,* quod

quod importat mentis propositum abstinendi à multiplici comestione: & ab esu carniū, & similium, propter Pœnitentiam & mortificationem. *Vitium oppositum.* Abstinentiæ est *Gula, cujus* numerantur *quinq; Species*, quæ hoc versiculo continentur.

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Præproperè, dicit inordinationem comestionis ex parte temporis, cum nimis prævenitur tempus. *Lautè*, dicit inordinationem ex parte substantiæ ciborum quia sunt nimis pretiosi, aut delicati. *Nimis*, dicit indebitam quantitatem, cùm plùs sumitur cibus, quàm oportet. *Ardenter*, dicit inordinationē ex parte modi comedendi, quando nimio affectu & nimis intentè vescimur. *Studiosè*, dicit excessū ex parte qualitatis cibi, ut quòd sit nimis accuratè præparatus. Præter has Species Gulæ assignantur ejus quinq; Filiæ, quæ ex illa oriuntur: *de quibus par: 2. pag: 60.*

Secunda species Temperantiæ est Sobrietas. Quod nomen sumptum est ab observatione mensuræ: quod enim Latini *mensuram*, hoc Græci *briam* vocant: unde *Sobrius* idem est quòd *servans mensuram.* Est autem *Sobrietas* virtus, *quæ affectum & usum potûs inebriare valentis debitè moderatur.* Vitium oppositum *Sobrietati* dicitur *Ebrietas*, quasi extra *briam* seu *mensuram.*

Tertia Species est Castitas, à castigando dicta, quia per ipsam concupiscentia carnalis castigatur & coërcetur. Estq; duplex: *Alia* quæ abstinet à delectationibus illicitis, quæ dividitur in Castitatem

Con-

Conjugalem & Vidualem & Juvenilem. Alia quæ abstinet perpetuò ab omnibus delectationibus etiam licitis, quæ vocatur *Virginitas* quæ est duplex: *Una Naturalis*, quæ præcisè dicit carnis integritatem: *alia Moralis*, quæ addit electionem & animum servandi illam; & hæc est propriè virtus.

Quarta species Temperantiæ dicitur *Pudicitia* à pudore dicta, quæ est propriè circa illa, de quibus homines maximè verecũdantur: nec distingvitur propriè à Castitate, ad quam ordinatur, sicut exprimens Castitatis circumstantiam quandam.

Partes Potentiales Tẽperantiæ sunt *Continentia, Mansvetudo, Clementia, Modestia.*

NOmen *Continentiæ* tripliciter sumitur *Primò Largè*, pro qualibet abstinentia & retractione ab eo in quod appetitus fertur. *Secundò magis propriè* pro virtute refrænante passiones, quæ sunt circa delectationes carnis: quo pacto *est idem quod Castitas:* specialiterq; *Continentiæ nomen tribuitur Castitati Viduali, & etiam Iuvenili*, ipsaq; *Virginitas* dicitur *perfectissima Continentia.* Sed neutro modo Continentia sumpta est, pars Potentialis Temperantiæ- Igitur *Tertiò sumitur Continentia* pro habitu quodã, per quem Voluntas resistit passionibus cõcupiscibilis, & ab eo firmatur & detinetur, ut passionum impetum non sequatur. Et quia hic habitus non compescit passiones sed immoderatas in appetitu relinquit, ex eo quod non perficit appetitum concupiscibilem, sed solùm detinet voluntatem, nẽ sequa-

tur

tur ipſius paſſiones; ideò *Continentia* non eſt ſimpliciter virtus quamvis ad genus Virtutis reducatur, ut aliquid imperfectum.

Manſvetudo quæ *Mititas* etiam dicitur, *eſt virtus irarum moderatrix.* Et quamvis exiſtat in appetitu iraſcibili, tamen adiungitur Temperātiæ, ut ejus pars potentialis, propter modum perficiendi qui eſt refrænando iram, quam Manſvetudo ita componit & moderatur, ut non exurgat, niſi cùm oportet: & in ea menſura, in qua fuerit neceſſaria. Aliquando moderatè iraſci, debitum & honeſtū eſt, & ad ſerviendum Juſtitiæ, & pro juvanda fortitudine, quæ utitur ira in ſuo actu aggreſſionis nunquam tamen ita iræ dandus locus, ut judicium rationis perturbet. *Manſvetudini opponitur duplex Vitium: Aliud* per defectum, quod dicitur *Iracundia vel Ira*, cujus ſunt tres ſpecies, de quibus *ſuprà pag:* 315. *Aliud* per exceſſum, quod dicitur *Lentitudo:* quia per illud nimis lentè homo ſe habet circa malum irritans, nec debitam iram aſſumit ad illud repellendum, vel ſuperandum, aut ulciſcendum.

Clementia eſt virtus moderatrix pænæ & vindictæ, mitigando externam punitionem, quantùm Juſtitia & communis boni ratio permittit, quæ virtus eſt propria Superiorum & Judicum. *Vitium oppoſitum Clementiæ* per exceſſum, eſt *Crudelitas*, quæ majorem pœnam inſtituit, quàm culpa meretur: quòd ſi aliquando, culpa non ſuppoſita vel nō attenta, pœna irrogatur, tunc *Feritas* dicitur. *Vi-*

tium

tium verò *Clementiæ* oppositum *per defectum* est nimia *Lenitas*: per quod judex pœnam, quam infligi oportet, imprudenter remittit, vel mitigat plùs quàm oportet. Qua in re quomodo nos gerere debemus, *docet S. Gregor: lib:* 20. *Moral: cap:* 8. Sit, *inquit*, amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non plùs quàm expediat parcens.

Modestia est virtus exteriorum & interiorū hominis actionum moderatrix. Sic dicta à *modo* quasi modum sciens vel statuens, qui in humanis affectionibus & actionibus servari debet. *Sub Modestia* reliquæ partes potentiales Temperantiæ *continentur* quæ etiam Species modestiæ dicuntur v. *Humilitas*, *Philotimia*, *Studiositas*, *Modestia morum*, *Eutrapelia*, & *Modestia cultus*. Cujus ratio est; quia præter Passiones & affectus, quæ sunt materia aliarum virtutum, adhuc quinq; sunt à virtute moderanda, videlicet, Affectus Spei tendentis in excelsa; & hunc moderatur *Humilitas*. Cōcupiscentia mediocris honoris; quam moderatur *Philotimia* Studium sive appetitus cognoscendi; & hunc moderatur *Studiositas*. Motus & gestus corporales pertinentes ad exteriorē conversationem, tàm in factis, quàm in dictis; pro quibus moderandis in rebus seriis ponitur *Modestia morum*; in ludicris autem *Eutrapelia*. Deniq; exterior apparatus vestium, utensilium, & divitiarum, & hujusmodi aliorum; quorum Moderatio spectat ad *Modestiam cultus*.

Humilitas dicitur *ab humo:* quia per illam ad ima, & veluti ad humum usq; aliquis deprimitur. Unde secundùm Isidorum. *Humilis* homo dicitur *quasi humi acclinis*, qui ex consideratione proprii defectus spontè se deprimit.

Est autem Humilitas *Virtus, quâ coërcetur animus nè se ad altiora feratur:* id est, *nè inordinatè extollatur:* Seu, secundum Sanctum Bernardum. *Est virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit:* Seu secundum S. Thom: *Est virtus, quâ quis considerans suum defectum, tenet se in infimis secundum modum suum.*

Hinc patet *fundamentum Humilitatis, esse veram cognitionem sui*, quâ quis defectus suos considerans, reputat se indignum æstimatione & honore, dignumq; abjectione & despectu, quam considerationem & intellectus judicium voluntas nostra sequens, talem abjectionem tanquam sibi condignã amplectitur. *Tunc* verò *cognitio sui vera habetur*, dum homo se ipsum sinè dissimulatione inspicit & sinè palpatione dijudicat: considerans attentè qualis sit tum animo, tum corpore: quàm ignorans, quàm ad malum pronus; ad bonum, quàm difficilis & infirmus, quantis peccatis obnoxius, quantis miseriis subjectus, quàm in DEUM ingratus &c. Præcipuè verò considerare debet, quomodo ex se ipso nihil est, nihil potest, nihil habet, nisi miseriam, vanitatem, defectum: quidquid autem bonitatis, virtutis, scientiæ, & cujuslibet perfectionis in eo est, aut esse potest, omninò gratis sibi à DEO donari,

ab ipsiusquè voluntate in esse, fieri, & conservari prorsus dependere: ita ut suspendente illo suo concursu, in nihilum omnia redigantur

Hujus considerarionis *cognitionis sui* est multiplex *Utilitas. Prima est*, quia qui se ita cognoscit, se ipsum vilipendit & contemnit; dum videt se esse ad omnia insufficientem & inutilem, atq; ipsis DEI muneribus esse indignum. *Secunda*, quia hujusmodi homo vult ab aliis talis judicari, æstimari, & haberi, qualem se in DEI oculis esse recognoscit, & qualem ipse se judicat & æstimat: proinde nequè honorari ab aliquo, nequè laudari cupit, sed contemni & vilipendi. *Tertia*, quia talis humilis dum se aliis comparat, censet se omnibus deteriorem & viliorem neq; ulli præferre se audet; sed potiùs in ordine ad DEUM, & propter dona quæ ab ipso alii habent, omnibus se subjicit.

Sed sciendum est *duplicem esse Humilitatem* secundum S. Bernardum. *Alia est imperfecta*, quã *Humilitatem judicii vocat:* qua quis agnoscens suam vilitarem se apud se demittit; non tamen vult ab aliis contemni, aut vilis haberi, sed potiùs æstimari & honorari. *Alia est perfecta*, quâ quis etiam ab aliis talis haberi cupit, qualem se coram DEO cognoscit; *quam Humilitatē affectus vocat.*

Sunt quoq; *duo habitus Humilitatis*, quorum duplex est Subjectum. *Alius* qui refrænat passionē Spei circa propriam excellentiam absolutè sumptã, sinè respectu ad alterum: & hujus Subjectum est appetitus sensitivus irascibilis, in quo residet passio Spei.

Alius

Alius habitus est, qui moderatur affectum Voluntatis circa propriam excellentiam primario respectu DEI, & ex subjectione ad DEUM, tanquam ad supremum Excellentem: & secundariò ex subjectione ad alios secundū id, quod ex DEO habent; cujus Humilitatis est Subjectum voluntas, prout est eminenter irascibilis, sicut & cæterarum virtutum, quæ sunt ad alterum.

Objectum quoq; *Humilitatis* est id, quidquid nobis advenire potest, vile, probrosum, & abjectū. *Materia* verò *Intrinseca Humilitatis* est internus nimi motus & affectus, quem refrænat, nè tendat in sui celsitudinem, supra id, quod oportet.

Hæc virtus Humilitatis maximè est necessaria viris spiritualibus atq; Christianis. *Primò*, quia per ipsam efficimur discipuli Christi, qui dicit *Matth:* 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. *Secundo*, quia hæc una virtus præ cæteris virtutibus Moralibus magis DEO placet: Qui humilia respicit in Cœlo & in terra. *Psal:* 112. Sic & Beatissima Virgo ait: Quia respexit Humilitatem ancillæ suæ. Unde & humiles facilè DEUS exaudit, de quo sic *Propheta David testatur*: Respexit in Orationem humilium, & non sprevit precem eorū. *Psal:* 121. *Et Ecclesiasticus:* Oratio, *ait*, humiliātis se penetrabit nubes. *Eccl:* 35. *Tertiò*, quia Humilitas propriè meretur vitam æternam, ut patet ex verbis Prophetæ: Tu inquit, Domine, populum humilem salvum facies & oculos superborum humiliabis. *Psal:* 17. Hoc idem *ipsemet Christus* *dicit.*

dicit. Amen dico vobis nisi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum *Matthæi* 18. *Quartò*, quia DEUS ſuperbis reſiſtit humilibus autem dat gratiam; ut loquitur *S. Petrus* 1. *Pet:* 5. *Quintò*, quia humilitas Spiritum Sanctum ad ſe quodãmodo trahit:ſic enim *Iſaiæ ult:habetur:* Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum. *Sextò*, quia Humilitas exaltat. Sic enim Dominus *ait:* Qui ſe humiliat: exaltabitur, *Luc:* 14. Proinde *Petrus Apoſtolus*, qui ex humilitate Domino dixit: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum; factus eſt *teſte D. Chriſoſt:* Princeps Paſtorum, fundamentum Eccleſiæ, & Claviger Regni Cælorum. *Septimò* quia per hanc virtutem citò veniam peccatorum noſtrorũ obtinemus, ſicut expertus eſt Publicanus *Lucæ* 18. *Octavò*, quia ſola hæc virtus facilè dæmonem, ejuſq; tentationes vincit. Unde *S. Antonius Eremita teſte S. Athanaſio* dicere ſolebat: Dæmonem nihil pejùs odiſſe, quàm humilem, & DEI amantem. Idemquè Sanctus cum per viſum mundũ laqueis plenum ſpectaſſet, Dominumq; rogaſſet, quomodò aliquis illos laqueos evadere poſſet; reſponſum accepit: *Per humilitatem. Nonò*, quia ſinè humilitate aliæ virtutes ſubſiſtere non poſſunt, ſecundum opinionem SS. Patrum. Unde *S. Gregorius ſic ait:* Qui ſinè humilitate virtutes congregat, quaſi in ventum pulverem portat. *Et iterum lib:* 23. *Moral: cap:* 13 *dicit:* Humilitas eſt Mater & Magiſtra virtutum. *Cui S. Thomas de Villa nova*

Conc:

Conc: 1. *de S. Martino subscribit dum ait*: Hæc Virtus plurimarum virtutum Mater est, & origo: ex hoc enim fonte innumeræ aliæ virtutes scaturiunt; inde Obedientia, timor, reverentia, patientia, modestia, mansvetudo, amicitia, pax. *Et S. Bern*: *Serm*: 1. *de Nati*: Humilitas, *inquit*, est fundamentum, custosq; virtutum. *Decimo*, quia Humilitas hominem à multis tam culpæ, quàm pænæ malis præservat, *secundùm S. Bonaventurã*. Qui commemorando verba Prophetæ David dicentis: Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam. *Psal*: 30. De necessitatibus, *inquit Seraphicus Doctor*, Culpæ moralis, pænæ gehennalis, miseriæ temporalis, *Undecimo*, quia per Humilitatẽ acquiritur amissorum meritorum recuperatio. *Sic enim Hugo de S. Victore hæc de re sentit*: Vovisti DEO Virginitatem tuam, & post votum perdidisti? Virginitas autem semel amissa reparari, aut recuperari nunquam potest. Quid ergo reddes DEO pro eo, quod vovisti & irrecuperabiliter perdidisti? Audi, redde pænitentiam tuam, redde contritionem, redde humilitatem: pro Virginitate carnis, redde humilitatẽ cordis; humilitatem cordis per se debueras, etiamsi Virginitatem habueras, & tamen si Virginitatẽ reddere non potes, redde pro illa humilitatem, quæ satisfaciet tam pro se, quàm pro illa. *Sic ille Tom*: 2. *Instit*: *Monast*: *serm*: 53. Et *S. Thomas de Villa nova docet*, quòd Humilitas omnes alias virtutes supplet. Neq; *inquit*, solum omnem gra-

tiam

tiam & virtutem custodit Humilitas, sed etiam supplet: quidquid enim tibi obedientiæ, castitatis, patientiæ, sanctitatis deest, humilitate suppletur. *Duodecimò*, quia sinè humilitate nec acquiritur, neq; conservatur Christiana perfectio: sicut *S. Basilius Filium Spiritualem instruit dicens:* Fili, præ omnibus humilitati stude, quod est omni virtute sublimius, ut ad perfectionis fastigium possis conscendere. Et *S. Dorotheus Serm: 2. de Cordis Humil:* Brevi, *inquit*, compendio, vel sola cordis humilitas ad perfectionis viā introducere nos poterit.

Ponuntur autem á SS. Patribus varia indicia Humilitatis, ex quibus quantùm quisq; in humilitate proficit, facilè cognoscet *S. Gregor: lib: 20. Moral: cap: 22. tria designat* indicia humilitatis. *Primum*, Si quis bona sibi data aut non agnoscat, aut certè aliena esse sciat, & eorum divulgationem metuat. *Secundum*, si libenter obediat, & aliorū imperio se submittat. *Tertium*, Si corrigentem patienter audiat, & grato animo correptionem subeat. *Trithemius Abbas lib: 2. Serm. 2. & 3. ad Monachos, triginta humilitatis signa recenset*, ex quo breviter ab aliis hæc colliguntur. I. Si justus se omnibus inferiorem & viliorem agnoscat: II. Si omni tempore negligentias suas coram DEO, & hominibus fateatur. III. Si bona opera occultare desideret, & suum profectum abscondat. IV. Si sua mala consideret, & quæ bona alii fecerint manifestet. V. Si aliorum defectus taceat, & eum ratione officii tenetur, eos in humilitate spiritus corrigat.

VI. Si se ad increpandum non facilem, sed tardum, non ex pusillanimitate, sed ex propriæ vilitatis cognitione reperiat. VII. Si correptiones & emendationes pro culpis & negligentiis libenter suscipiat. VIII. Si correptus culpam non defendat, non neget, non palliet, non excuset, non murmuret, & accusatus se sinè causa accusari non clamet. IX. Si sit in voce dulcis, mitis, modestus, & non clamosus. X. Si quæ de proximis audit, in meliorem partem interpretetur. XI. Si neminem quantumvis peccatorem despiciat. XII. Si laudari non appetat, & cum laudatur ingemiscens erubescat. XIII. Si laudes & favores in veritate contemnat, & ab his qui eum laudant, & magnifaciunt se subtrahat. XIV. Si ex detractionibus & correptionibus quas patitur, gaudium concipiat, in Divino amore crescat, & se tanquam reum ex culpæ consideratione compungat. XV. Si correptus non recalcitret, nec crimina manifestissima corripientis obijciat, sed silentium servet. XVI. Si cuncta mundi hujus solatia deserat, & nullas mortalium amicitias requirat. XVII. Si hominum auxilia ad ascendendum non exquirat, sed in sua mediocritate consistat. XVIII. Si tribulatis ex corde compatiatur, aliorum defect9 patienter toleret, & pro delinquentibus oret. XIX. Si nulli DEI beneficia invideat, dona omnibus imprecetur & cupiat, & de fratrum profectu congaudeat. XX. Si multitudinem suorum peccatorum in cordis contritione in memoriā revocet, & se omni DEI beneficio indignum putet. XXI. Si suū judici-

ci-

cium & voluntatem abneget, & aliorum judicio & voluntati ſe ſubmittat. XXII. Si veſtes novas, pulchras, pretioſas, deſpiciat. & indumenta vilia, & ab aliis projecta ſibi dari concupiſcat. XXIII. Si ſit obſequiis aliorum deditus, & ſervitiis abjectiſſimis domus addictus. XXIV. Si viliora miniſteria, quæ alii refugiunt & abominantur: facere delectetur. XXV. Si in congregatione ſedem viliorem & poſteriorem quærat, & nec æqualibus, nec inferioribus ſe præferat. XXVI. Si propter DEI amorē, quamvis fuerit doctus & eruditus, tamen ſuam ſcientiam & peritiam abſcondat. XXVII. Si ſilentiū diligat, & nè offendat in ſermone, aut nè lingva labatur, loqui pauciſſima conſveſcat. XXVIII. Si riſum immoderatum, & omnes inordinatos cachinnantium geſtus evitet. XXIX. Si Dominum timeat, & ob timorem ejus omne peccatum declinare decernat. XXX. Si obedientiæ & ſubjectionis amator efficiatur, & in his omnibus, quæ propoſita ſunt mentis ſtabilitate firmetur.

Gradus quoq; Humilitatis à Patribus, & Theologis varii deſignantur. Primò ex parte ejus cui humilis ſe ſubdit, *quatuor numerantur.* 1. Subdere ſe majoribus, & non præferre ſe æqualibus. 2. Subdere ſe æqualibus, & non ſe præferre minoribus. 3. Non modò nulli ſe præferre, ſed etiam omnibus minoribus ſe ſubijcere. 4 Univerſis etiam ſceleſtiſſimis ſe ſubijcere.

Secundò ex parte actuum, quibus ad perfectionē Humilitatis pervenitur. *D. Anſelmus lib: de ſimi-*

lit: ponit septem gradus. 1. Cognoscere se peccatorem & contemptibilem. 2. Dolere de suis peccatis, & imperfectionibus. 3. illa confiteri, etiam extra Sacramentum. 4. Velle, ut etiam alii defectus nostros cognoscãt, & in nobis esse credant. 5. Patienter sustinere, quando nobis objciuntur ab aliis, & divulgantur. 6. Ferre patienter se pro sua culpa contemptibiliter tractari. 7. De hoc etiã gaudere.

Tertio S. Benedictus in sua Regula duodecim gradus Humilitatis assignat. Primus est, Corde & corpore semper Humilitatem ostendere defixis in terram oculis: cui opponitur *Curiositas*, per quam aliquis curiosè ubiq; & inordinatè circumspicit. *Secundus gradus* pauca verba & rationabilia loqui, & sinè ullo clamore: cui opponitur *Levitas mẽtis*, per quam scilicet homo superbè se habet in verbo. *Tertius*, ut non sit facilis & promptus in risu cui opponitur *Inepta lætitia. Quartus est* Taciturnitas usq; ad interrogationem: cui opponitur *Jactantia. Quintus est*, tenere quod communis Regula aut observantia monasterii habet: cui opponitur *Singularitas*, per quã aliquis sanctior vult apparere. *Sextus est*, credere & pronũtiare se omnibus viliorem: cui opponitur *Arrogantia*, per quam homo sese aliis præfert. *Septimus est*, ad omnia inutilem & indignum sè confiteri & credere: cui opponitur *Præsumptio*, per quam aliquis reputat se sufficientẽ ad majora. *Octavus est*, Confessio peccatorum: cui opponitur *Defensio eorum. Nonus est*,

in

in duris & aſperis patientiam amplecti: cui opponitur *Simulata Confeſſio*, per quam aliquis non vult ſubire pœnam pro peccatis, quæ ſimulatè confitetur. *Decimus eſt*, Obedientia cui opponitur *Rebellio*. *Undecimus eſt*, ut homo non delectetur facere propriam voluntatem: cui opponitur *Libertas*, per quã homo delectatur liberè facere, quod vult. *Ultimus gradus Humilitatis* eſt Timor DEI: cui opponitur *peccanti conſvetudo*, quæ implicat DEI contemptum. *Sciendum autem eſt*, aliquas operationes in prædictis Gradibus denotari, quæ magis ſpectant ad alias virtutes: tamen adſcribuntur Humilitati propter aliquam ſpecialem connexionem; vel quia ex ejus proprio actu originantur. Aliqui hos gradus Humilitatis tantum ſigna ejus, vel effectus eſſe dicunt.

Vitia Humilitati *oppoſita* ſunt *duo*: *Unum* per defectum eſt *Nimia demiſſio*, ſeu *Puſillanimitas*. *Alterum* per exceſſum eſt *Superbia*: quæ ſic definitur, quòd ſit *appetitus immoderatus propriæ excellentiæ*: unde ſuperbire, eſt ſuper alios ire. Ejus objectum eſt propria excellentia in omni materia: ſuperbus enim hoc directè amat, ut, ſcilicet, ſuper excellat, ima deſerat, nùlliq; ſubdatur: neq; alicujus etiam ipſius DEI jugo cervicem vult flectere. *Hujus vitii ſuperbiæ Species, & Gradꝰ habentur ſuprà pag*: 312.

Philotimia eſt virtus, quæ ponit modum in appetendis honoribus: cujus *Objectum eſt* honor ſecundùm ſe, ut eſt quoddam bonum amabile, &

delectabile. *Materia* ejus sunt passiones concupiscibilis, *Amor*, *Desiderium* quas hæc virtus refrænat, nè immoderatè ad honorem ferantur. Vocatur autem *Philotimia* Latinè *amor honoris*.

Studiositas est virtus, quæ moderatur affectum erga studium; nè homo plura, aut altiora scire velit, quàm oportet, & incitando eum ad sciendum, quæ scire oportet; nè propter laborem à studio retrahatur. *Per excessum* opponitur ipsi *Curiositas*: per quam aliquis adhibet superfluam diligentiam, ut aliquid sciat inutile, & quod nihil ad ipsum scire attinet, vel quod ejus captum superat, *Per defectũ* opponitur *Negligentia*, quæ est quædam omissio, vel remissio animi in ordine ad discendum illa, quæ unusquisq; scire tenetur.

Modestia morũ est virtus, quæ externos motus & gestus corporis in seriis ex rationis præscripto componit & temperat servatq; in illis decorũ. Unde ejus *Objectum* est exterior gestus & omnes actiones corporales sensibus obviæ: v. incessus, statio, sessio, motus capitis, contractio & explanatio vultûs, membrorum jactio, vox, risus, aspectus, & alia id genus, quæ internam animi dispositionẽ demonstrant. Hæc igitur omnia prædicta modestia morum componit, ut honestè fiant & juxta rationis præscriptum: habita ratione personæ, loci, temporis, negotiorum &c. *Ejus materia intrinseca* sunt passiones concupiscibilis, prout circa dictos motus versatur. *Ad hanc virtutem pertinet* moderatio Visûs quæ communiter dicitur *Modestia oculo-*

culorum, cujus studium meritorum est feracissimū propter frequentissimas occasiones, quæ se offerunt ad mortificandum visum. Huc *etiam pertinet moderatio linguæ*, quæ cultus silentii vocatur. Hoc autem silentiū non consistit in eo, quod est præcisè non loqui: hoc enim pacto etiam lapides silent: sed in eo, quod est verba metiri, & reticere propter aliquod honestum motivum; ut ob amorem DEI, ob imitationem Christi, & Virginis Sanctissimæ, ad vitanda verba otiosa, ad conservandam internam recollectionem & devotionem, ad servandā observantiam Regulæ silentium servare præcipientis, & ob alios fines honestos, quibus multiplicatis multæ exercentur virtutes. *Præterea ad Modestiam morum* reducitur *Veritas & Affabilitas* seu Amicitia prout respiciunt exteriorem hominis cōversationem, & externam interni conceptus manifestationem. *Vitium Modestiæ morum* oppositum est *Immodestia*.

Eutrapelia est virtus, quæ in ludicris & jocis servat decorum: seu, quæ jocis & ludis modum rationis imponit. Ad hujus virtutis exercitium tria requiruntur. *Primum est* ut verba, aut facta in quibus quæritur delectatio, neq; sint turpia, neq; proximis nociva: immò neq; verba sacra, quibus ad jocos & facetias uti prohibet Conciliū Tridentinū. *Secundum* nè totaliter gravitas animi solvatur. *Tertium* ut ea quæ in laudem vel jocum assumuntur, competant personæ; ejusq; dignitati, & statui, congruantq; tempori, loco, & cæteris circumstatiis.

Hæc virtus est in appetitu concupiscibili, cujus passiones sunt materia intrinseca illius. *Duplex vitium* opponitur illi *per excessum Scurrilitas & Inepta lætitia:* per defectum *Duritia vel Aggrestitas.*

Ultima pars potentialis Temperantiæ & Modestiæ Species: est Modestia cultus: in corporis cultu rerumque externarum apparatu mensurā rationis, ac decorum servans. Hæc *dividitur* secundùm Andronicum apud D. Thomam *in tres species*, nempe *Humilitatem, per se sufficientiam, & simplicitatem*, per quas triplex excessus in externo apparatu & cultu moderari debet. *Primus est excessus*, cùm aliquis propter æstimationem, & gloriam ornatum adhibet majorem, aut pretiosiorem quàm oportet: & hunc excessum reformat *Humilitas*, quæ est *Secundum Andronicum* habitus non superabundans in sumptibus & præparationibus. *Secundus est*: cùm aliquis per superfluum ornatum quærit corporis delicias. Et hunc excessum tollit. *Per se sufficientia, quā Andronicus definit:* Est habitus contentus quibus oportet, & determinativus eorum, quæ ad vivere conveniunt. *Tertius est*, quando in cultu & ornatu nimia cura adhibetur ob solam curiositatem sinè alio pravo finè; & hunc aufert *Simplicitas* quæ est habitus contentus his, quæ cōtingunt, Prædicti autē excessus ex duobus capitibus contingere possunt: vel ratione quantitatis, quia plùs expenditur, quàm oportet: vel ratione insolentiæ, quia præter

ter conſvetum patriæ morem, receptamq́; proborũ conſvetudinem, novi uſus & formæ veſtium à peregrinis nationibus mutuantur. *Ad Modeſtiam* cultus revocatur. *Liberalitas* quæ ponit modum circa pecunias & ſumptus, quatenùs hæc deſerviant ad externum apparatum. *Ad eandem virtutem* reducitur *Paupertas Voluntaria* quæ prout eſt virtus refrænat appetitum à cupiditate & amore pecuniarum, redditq́; animum ab eis liberum & expeditum. *Notandum autem eſt*, quod licet Paupertas voluntaria videatur non differre à Liberalitate: nihilominùs ſatis probabiliter dici poteſt differre. Nam ſicut circa honores ponuntur tres virtutes diſtinctæ: nempe circa Magnos *Magnanimitas*; circa mediocres *Philotimia*; & pro eorum totali abjectione *Humilitas*- ita circa divitias triplex eſt virtus; v. *Magnificentia* circa magnas *Liberalitas* circa moderatas; & circa earum totalem renunciationem *Paupertas*. .

Praxis Temperantiæ & aliarum virtutũ ad eas ſpectantium habetur pag: ſub titulis & nominibus propriis earum.

CAPUT XIII.

De Donis Spiritus Sancti, *De Beatitudinibus & Fructibus Spiritus S.*

POſt Tractatum de virtutibus Theologicis & Moralibus, etiam de Donis Spiritus Sancti tractandum eſt, quorum cognitionem viros Spirituales habere neceſſe eſt. *Sunt autem* Dona Spiritus S. *Habitus ſupernaturales perficiẽtes hominẽ,*

minem, ut promptè sequatur instinctum & motionem Spiritus S. seu, *ut prompte obediat Spiritui S.* quæ *distingvuntur à virtutibus* quia istæ perficiunt hominem, ut imperium atq; motionem rationis promptè sequatur, Dona verò Spiritus S. ad hæc homini sunt necessaria, ut homo efficaciter moveatur à DEO ad finem supernaturalem consequendum, seu ad vitam æternam obtinendam. Nã per virtutes Theologicas & Morales non ita perficitur homo in ordine ad ultimum finem, quin semper indigeat moveri quodam superiori instinctu Spiritus S. imperfectè enim cognoscimus & diligimus DEUM.

Septem verò sunt Dona Spiritus S. videlicet, *Sapientia, intellectus, Consilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, & Timor Domini.* Ex quibus *Sapientia, Intellectus, Scientia, & Consilium* perficiunt Rationem; *Pietas*, voluntatem; *Fortitudo*, appetitum Irascibilem; *Timor*, appetitum concupiscibilem.

Præterea ex his Donis, Intellectus & Scientia correspondet *Fidei*, Sapientia *Charitati*; Timor primariò correspondet *Spei* Secundariò *Temperantiæ*, in quantùm hoc Donum retrahit concupiscentias à delectationibus propter Timorem DEI; Consilium correspondet *Prudentiæ*; Pietas *Religioni*, quæ est pars potentialis Justitiæ; Fortitudo correspondet *virtuti Fortitudinis.*

Et quia dantur nobis Dona Spiritus S. ut perficiantur Potentiæ nostræ, ut dictum est, ideò sci-

endum

endum eſt, quod *Sapientia perficit rationem* ad cognoſcendum DEUM, ejuſq; perfectiones: ſeu,ad rectè judicandum de Myſteriis Fidei, & de rebus Divinis per ipſum DEUM, de ipſius Bonitate Pulchritudine,Amabilitate &c. & ad ſanã æſtimationẽ perfectionũ DEI, *Intellectus perficit rationẽ*, ad Myſteria Fidei ſanè capienda & penetranda.Undè ad Fidem pertinet rebus Fidei aſſentiri; ad donum Intellectûs, ea penetrare.

Scientia perficit ad rectè judicandum de rebus Divinis per Creaturas, & de rebus creatis atq; terrenis, & ad rectè utendum illis in honorem DEI, noſtramq; ſalutem.

Conſilium ad inveniendum, quod fieri oporteat in rebus neceſſariis ad vitam æternam.

Fortitudo perficit voluntatem, ad perſiſtendum in quocunq; bono opere inchoato, uſq; ad finem vitæ, & evadendum quævis pericula ſalutis.

Pietas ad exhibendum cultum debitum, amorẽ & officium Domino DEO noſtro, ut Patri amantiſſimo, & aliis Sanctis.

Timor perficit nos, ut revereamur DEUM ipſumq; offendere, & ab eo ſeparari timeamus.

Et quoniam actus virtutum dicuntur quidam earũ fructus Fructus enim eſt ultimũ,quod expectatur, & quod cum ſvavitate percipitur: *deinde* quia aliæ ſunt virtutes *Acquiſitæ*, quæ procedunt ex principiis humanæ rationis: aliæ *Infuſæ* quæ à Spiritu Sancto conferuntur: ideò duo ſunt fructuum genera: Nam alii correſpondent virtutibus Acquiſitis:

qui

qui dicuntur *Fructus Rationis:* alii virtutibus Infusis, & Donis, quos appellat Apostolus *ad Galat.* 5 *Fructus Spiritus:* numeranturq; ab illò duodecim: *Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansvetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas.*

Beatitudines autem licet sint actus Donorum Spiritus S. tamen non vocantur fructus sed speciali nomine appellantur *Beatitudines:* quia per tales actus mens nostra æternæ Beatitudini valdè appropinquat, quasi in spe, & inchoativè incipiat jam illis beari. Recensentur autem *Octo beatitudines Matth:* 5. nempe *Paupertas Spiritus,* cui promittitur Regnum cœlorum. *Mititas,* sive *Mansvetudo,* cui promittitur terræ possessio. *Luctus,* cui consolatio. *Fames & sitis Justitiæ,* cui saturitas. *Misericordia,* cui offertur misericordiæ consecutio. *Cordis mundities,* cui DEI visio, *Pax,* cui appellatio Filiorum DEI: deniq; *Beati propter justitiam,* cui rursus promittitur Regnum cœlorum. Hæc tamen Beatitudo ultima non ponit in numero, sed est quædam manifestatio, & confirmatio præcedentium: & ideò solùm septem sunt Beatitudines omninò distinctæ pro septem Donis, quibus correspondent. Nam *Sapientiæ Dono* correspondet Beatitudo septima, *videlicet Beati Pacifici.* Eidē Dono correspondent Fructus quinque, scilicet, *Charitas gaudium, pax, bonitas & benignitas. Dono Intellectus* correspondet Beatitudo sexta, v. *Beati mundo corde.* Ex Fructibus Spiritus S. correspondet

det *Fides*, quæ conſiſtit in quadam ſpeciali certitudine, quam de rebus Fidei per hoc Donum conſequimur. Dono *Conſilii*, correſpondet Beatitudo quinta v. *Beati Miſericordes*. *Fortitudinis* Dono reſpondet Beatitudo quarta v. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiã*. Fructus verò *Patientiæ* quæ eſt actualis ſuſtinentia malorum: & *Longanimitas* quâ ſuffertur diuturna expectatio bonorum. Dono *Scientiæ* correſpondet Beatitudo tertia v. *Beati qui lugent*. Dono *Pietatis* correſpondet Beatitudo ſecunda v. *Beati mites*? eò quòd mititas & Manſvetudo valdè diſponunt ad Divinam reverentiam, tolluntq; impedimenta actuum pietatis. Dono *Timoris* reſpondet Beatitudo prima v. *Beati Pauperes Spiritu*. Fructus verò reſpondent,: *Modeſtia*, *Continentia*, & *Caſtitas*. Et quamvis Fructus Spiritûs, nominibus virtutum vocentur, tamen ut fructus dicuntur, ſumuntur pro actibus virtutum excellentibus, ac delectabilibus, ipſo Spiritu S. agente, productis.

Et quoniam ultra hæc dona & fructus Spiritus Sancti nihil amplius addetur; ideò ultimam manum huic Opuſculo imponendo, ſupplex rogo eundem Spiritum S. ut dono ipſius & gratia, omnes, quicunq; hoc, & aliud Opuſculum ſequens legerint, fructum ad ſuarum animarum ſalutem ſingularem percipiant. Ego autem omnia in his opuſculis contenta correctionis S. M. Eccleſiæ ſubmitto.

SY-

SYNOPSIS

Eorum quæ in hoc libro docentur.

Pro faciliori memoria Tyronum Spiritualium.

QUatuor Partes Diſciplinæ Monaſticæ. *Seu* Quatuor Exercitia Religioſa deſignantur in Inſtruct: Novit: Carmel: videlicet. I. *Mortificatio Paſſionum:* ad quod punctum reducitur Motificatio ſenſuum. Amoris proprii, Voluntatis propriæ & Judicii. II. *Acquiſitio virtutum:* ad quod punctum pertinent Vota Solemnia, Obſervantia Regulæ, Conſtitutionum, Ordinarii, Inſtructionum, Ordinationum, & omnium mandatorum ſuperiorum, quæ univerſa virtus Obedientiæ comprehendit. III. *Studium Orationis*; ad quod ſpectat uſus Præſentiæ DEI, ſive frequentes aſpirationes ad DEUM & Orationes breves Jaculatoriæ. IV. *Actus vitæ Cœnobiticæ*, ſive omnibus communes, ſive alicui peculiares.

Quæ Exercitia ſunt vera Vitæ Spiritualis: quorum tria tantùm hîc ſunt poſita: quia quartū, nēpe, Obſervantia Actuum communium, ſeu particularium, ad exercitium virtutis Obedientiæ pertinet. Idem autem eſt Finis vitæ Spiritualis, & Religioſæ, qui eſt duplex. *Unus eſt Finis ultimus:* & hic eſt vita æterna, quæ conſiſtit in clara viſione DEI: *Alter eſt Finis proximus, ſeu, non ultimo:* & hic eſt Perfectio: quæ cōſiſtit in Charitate DEI & proximi, per quā unimur DEO; ad quā Perfectionē omnes Religioſi ſemper tēndere debent: quia *Status*

Reli-

Religionis ſecundûm Sanctum Thomam, *nihil eſt aliud, quàm quædam diſciplina, ſeu exercitium tendendi ad perfectionem:* ad quam alii Religioſi tendunt per vitam Contemplativam: *alii* per vitam Activam: *alii* per Compoſitam ex his, ſeu, mixtam: Quemadmodum & noſtra ſacra Religio tendit ad perfectionem per vitam Contemplativam & Activã ſimul, ita tamen, ut potiſſima illius ſit pars Contemplativa vita. Quomodò autem ſatisfacimus tam Contemplativæ Vitæ, quàm Activæ habetur *ſuprà pagina* 6.

Et quia tres ſunt Gradus Charitatis: ideò etiam *tres ſunt Gradus Perfectionis: Incipientiū, Proficientium, & Perfectorum.* Et *tres viæ tendendi ad Perfectionem.* Nempe, *Via Purgativa, Illuminativa & Unitiva. Prima via* eſt Incipientium *Secunda* Proficientium. *Tertia* Perfectorum. Unde alia ſunt exercitia Viæ Purgativæ, ſeu Incipientium, per quæ Religioſi tendunt ad Perfectionem, de quibus agitur *Par:* 2, *Pag:* 1. Alia vitæ Illuminativæ ſeu Proficientium, *Par.* 2. *p.* 74. Alia Viæ unitivæ ſeu Perfectorum de quibus *Par:* 2. *p.* 119.

Exercitium primum Vitæ Spiritualis: eſt Oratio, quæ eſt duplex: *Alia Vocalis*, quæ externa voce exprimitur: & hæc dividitur *in Publicam & Privatam*, *Publica* eſt ab ipſa Eccleſia præſcripta, & quæ fit nomine Eccleſiæ: vocaturq; Officiũ Divinum. *Privata eſt*, quam quælibet perſona nomine ſuo pro ſe, vel pro aliis facit: de quibus *p.* 8.

Alia eſt Oratio Mentalis, quæ ſola mente pe-

ragitur: & quæ *nihil est aliud quàm mentis in DEUM elevatio*. Fit autem hæc elevatio per intellectum & voluntatem, quibus quasi duabus alis mens nostra supra terrena, ad superna, & cœlestia, & ad DEUM sustollitur: per intellectum quidem, dū DEUM & cœlestia, vel alia in ordine ad DEUM considerat: per voluntatem verò, dum per considerationem intellectus excitata DEUM amat, peccata ex amore DEI odio habet, vitia exstirpare, virtutes exercere, & sanctè vivere desiderat.

Sunt autem sex partes Orationis Mentalis: Præparatio, Lectio, Meditatio, Gratiarum actio, Oblatio, & Petitio. Et quia hæc Oratio dividitur in Intellectivam, & affectivam: ideo in Meditatione est Oratio intellectiva, & in reliquis partibus est Affectiva.

Præparatio est duplex. Remota, & proxima, *Remota* consistit, tum in fuga distractionum, & abdicatione curarum: tum in continuo Præsentiæ DEI exercitio: tum in puritate vitæ, ac munditia cordis cum intima compunctione. *Proxima* consistit in consideratione magnitudinis Divinæ Majestatis, & propriæ vilitatis. *Exemplum Præparationis habetur pag: 26.*

Secunda pars Orationis est Lectio, quæ adhibetur ad inveniendam Orationis materiam pro Meditatione facienda *V. Pag: 27.*

Tertia pars Orat: Ment: est Meditatio, quæ nihil est, quàm *discursus intellectus voluntatem nostram ad bonum hortantis, & excitantis vel*

à malo

à malo dehortantis, & retrahentis. Ideò enim illum discursum, seu considerationem Materiæ propositæ ad meditandum adhibere debemus, ut excitemus voluntatem nostram ad aliquod bonum amplectendum; & retrahamus eam ab aliquo malo; ita ut *Incipientes* excitentur ad odium & fugam peccati, ad pœnitentiam & verum dolorem de peccatis, ad vitia exstirpanda, ad mortificandos sensus, & inordinatos affectus ex quibus vitia nascuntur. *Proficientes* verò ad exercendas virtutes. *Perfecti* autem ad amorem DEI. Itaq; in Meditatione excitandi sunt hi affectus voluntatis nostræ, videlicet, *Odium mali & Desiderium boni:* quos affectus in quacunq; Oratione exercere debemus; *primò* Odii alicujus vitii; *deinde* Amoris & Desiderii virtutis contrariæ illi vitio. *Unde Incipientes*, quorum munus est purgatio animæ, debent in suis Meditationibus concitare Odium peccatorum atq; dolorem; postea Desiderium emendationis, fugæ peccatorum, & pœnitentiæ, tandem gratias agere DEO, quòd eos tamdiu toleraverit; & emendationem offerre. *Proficientes* quoq; hoc idem facere debent, qui considerando humilitatem, obedientiam, & alias virtutes Christi Domini nostri, agnoscentes quod ipsi sint superbi, inobedientes &c. tunc concipiendum est eis Odium istorum vitiorum: deinde amor & desiderium illarum virtutum, quas in Christo cognoverunt. Hinc gratiarum actionem Redemptori nostro instituere pro illius humilitate, obedientia, & aliis virtutibus, qua-

rum nobis exemplū reliquit,& pro omnibus aliis beneficiis. *Similiter & perfecti*, suas imperfectiones advertentes, habebunt justā causam ad odium illarū, & ad desiderium vitandi ea, quæ DEO displicent. Ut autem magis efficax odium vitii alicujus sit ante ipsum actum odii præmittantur ipsi alii Actus, Videlicet, *Accusatio sui, Admiratio, Confusio, Reprehensio, Expostulatio, Execratio, Abominatio* quæ est ipsum odiū, quod subsequitur *Dolor, Spes, & Propositū vitandi illud vitium, Modi accusationis & aliorū habentur sup:* 53. Deinde post tale exercitium affectus odii, exercendi erunt affectus amoris, & desiderii virtutis illi vitio oppositæ, quam desiderare debemus, quia est honesta, necessaria, utilis, jucunda, & DEO placens, & propter exemplum Sanctorum, præsertim Christi Domini nostri. *De his omnibus v. p.* 51. *& seq: & p.* 63. *& seq:*

Modus verò meditandi habetur *p.* 33. *& seq:* *Quarta Pars Orat: Ment: est Gratiarū actio*, quæ consistit in affectibus Gratitudinis, Amoris, & Laudis DEI. Debemus autem gratias agere primò pro illo beneficio, quod in Meditatione occurrit: deinde pro aliis beneficiis DEI. *Modum Gratiarum actionis vide p.* 60. *&* 72.

Quinta Pars est Oblatio, per quam homo gratiam Domino DEO pro beneficiis ejus rependere conari debet: *Modum Oblationis vide p.* 61.

Sexta Pars Orat: Ment: est Petitio, in qua petendum est auxilium DEI, ad acquirendam virtutem propositam, & passionem superandam, *Modus Petitionis habetur p.* 81. 82. *&* 97. Nè

Nè verò alicui difficilis Oratio mentalis videatur, procuret omninò modos hîc positos mandare memoriæ, *Gratiarum actionis, p. 72. vel 95. & Oblationis p. 78. vel 96. & Petitionis p. 81. vel 97.* quod cum fecerit, nihil in Oratione Mentali in istis Partibus dictis difficultatis habebit: in Meditatione tantummodò aliquid laboris erit, inquirendo, quid sibi fugiendum est, & quid boni faciendum. Sed ultrà hoc debet addiscere memoriter exemplum, *Præparationis, quod habetur pag: 26. Modum Orationis Mentalis faciendæ V. p. 64. & seq: Præterea Modũ breviorem p. 92. & seq:*

Et quoniam ad Exercitium Orationis spectat usus Præsentiæ DEI: ideò sciendum est, quòd *Præsentia DEI nihil est aliud, quàm pia applicatio mentis & affectus ad DEUM:* Et hæc est duplex; alia dicitur *Imaginaria:* alia *Intellectualis. Imaginaria est*, in qua per imaginationem rerum corporalium, efformantur imagines; ut Christi Domini nostri: *Intellectualis est*, in qua sinè ulla imagine per intellectum cogitamus de DEO; videlicet, ubiquè existentem DEUM, nobisq; adesse, & intimũ esse utraq; cõsistit. *Primò* in DEI, vel Humanitatis Christi repræsentatione, seu consideratione, vel cogitatione: *deinde* in pia mentis & affectus ad Deũ, vel Christum applicatione, seu in exercitio variorũ affectuum ad DEUM, vel Christum Dominum, quod est potissimum in Præsentia DEI. *De quo v. p. 241. & seq:* Et quia frequentior est usus, apud FF. NN. Novitios Præsentiæ DEI Imaginariæ, ideò

de hac *videant Praxim* p. 249. quam tradere memoriæ omnino procurent. *Secundum exercitium vitæ Spiritualis est Mortificatio:* quæ est virium animæ nostræ interiorum & exteriorum ad illicita, & terrena proclivių debita moderatio. *Vires exteriores* sunt sensus externi: & *interiores* sunt sensus interni, Appetitus concupiscibilis, & Irascibilis, Intellectus & Voluntas.

Ad quorum intelligentiam *sciendum hominem esse animal rationale:* quia quod habet Animal videlicet, sensus externos, & internos, per quos cognoscit ad vitam suam sustentandam & conservandam necessaria; habet & Appetitum, quo appetit illa; hoc idem habet homo; & ideò dicitur animal. *Est præterea homo Rationalis* per quod differt ab animalibus. Ac propterea homo est compositus ex duabus partibus, quarum una dicitur *pars sensitiva, seu inferior:* altera pars *Rationalis seu superior.* Unde *Pars sensitiva, seu inferior*, complectitur in se omnes sensus externos ac internos, & Appetitum ex parte concupiscibili ac Irascibili cōpositum cum suis motibus, qui passiones vocantur. Jam verò *Pars Rationalis seu superior* complectitur Intellectum, Voluntatem & Memoriam intellectivam. Hic *intellectus*, prout unam notitiam ex alia deducit, *Ratio dicitur*, quæ dividitur in duas portiones, seu partes. Dum enim considerat tēporalia, & secundum rationes humanas *Ratio inferior nominatur:* si autem æterna vel temporalia *Ratio superior nuncupatur*, quæ etiam Spiritus dici-

dicitur. Ad hanc Rationem superiorem pertinet regere Ratione inferiorem, & partem totā sensitivam, ipsiusq; motus inordinatos moderari, quæ moderatio dicitur Mortificatio, & Abnegatio.

Est autem *Mortificatio duplex* una *Exterior*, qua sensus exterior & corpus mortificantur. Alia *Interior* quæ sensus internos, & motus appetitus, voluntatem propriam, & amorem & judicium moderatur.

Utraq; Mortificatio vel est *Communis*, quæ est in illicitis, per quam à prohibitis abstinemus. Alia *Specialis*, quæ est inlicitis per quā à non prohibitis ob amorem DEI, & perfectionis adeptionem nos continemus, videlicet, à cibo, potu, somno, sermone, visu, auditu, recreatione, & aliis similibus. Et hæc Mortificatio specialis est Religiosis propria, & omnibus, qui adperfectionem aspirant.

Sensus externi, ut, visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus *quomodo sunt mortificandi v. p.* 272. *Et seq: Quomodo sensus Interni sunt moderandi*, qui sunt quatuor, nempe *sensus Communis, Imaginativa seu Phantasia, Æstimativa*, quæ in homine dicitur *Cogitativa, & Memoria* quæ in homine dicitur *Reminiscentia v. p.* 278. *& seq:*

Et quoniam Motus appetitus ad interiorem mortificationem pertinet; ideò sciendum est duplicem esse appetitum *v. Sensitivum & Rationalem.* Dicitur autē *appetitus Sensitivus:* quia sequitur sensuū cognitionem. *Rationalis verò* quia sequitur cognitionem Rationis; & hic appetitus est Voluntas.

Est autem appetitus sensitivus nihil aliud, quàm inclinatio ad id, quod sensus judicat conveniens, seu bonum, vel inconveniens seu malũ: quod judicium fit *per imaginativam & Æstimativam.* Ideò verò conveniens, seu bonũ hîc dicitur; quia est delectabile, vel utile, vel honestum, seu honorificum: disconveniens autem, seu malum; quia est vel contristabile & molestum, vel nocivũ, vel inhonestum.

Hic appetitus sensitivus est duplex *Concupiscibilis & Irascibilis* quorum actus seu motus dicitur *Passio:* quia fit cum aliqua corporis immutatione; & propter hoc, quia actus, seu motus Voluntatis nostræ non fiunt cum immutatione corporis, licet nominibus Passionum appellentur, tamen non Passiones, sed Affectus, vel actus simplices voluntatis dicuntur.

Passio est motus appetitûs sensitivi ad imaginationem boni vel mali cum aliqua corporis immutatione, quo, scilicet, fertur ad bonum, & fugit malum. *Sunt* autem *undecim Passiones. Amor, Desiderium, seu concupiscentia, Gaudium seu delectatio, odium, Fuga, Tristitia seu dolor, Spes, Desperatio, Audacia timor & Ira:* ex quibus *sex* priores Passiones *sunt appetitûs Concupiscibilis.* quæ versantur circa bonum & malum absolutè sumptũ; *& quinq; posteriores sunt appetitûs Irascibilis,* quæ versantur circa bonũ & malũ arduũ & difficile.

Est autem Amor nihil aliud, quàm conversio ad bonum: seu complacentia boni.

Desi-

Desiderium, est amoris extensio: seu progressio ad bonum absens.

Gaudium, est ipsa boni præsentis possessio & fruitio.

Odium, est aversio à malo cognito: seu displicentia mali.

Fuga est recessus à malo futuro.

Tristitia, est oppressio appetitus à malo præsenti.

Spes est appetitus & cordis erectio in bonum arduum possibile.

Audacia, est Spei quædam extensio vel est contra malum arduum progressio.

Desperatio, est spei amissio: seu appetitus dejectio.

Timor, est recessus à malo arduo futuro ineuitabili.

Ira, est motus appetitus ad vindictam.

Circa quas Passiones mortificandas semper invigilare debemus quia immortificatæ vitia generant; mortificatæ verò producunt virtutes: *pro quibus Passionibus refrænandis necessaria est.* I, Mortificatio sensuum. II. Proponenda sunt appetitui vera, & meliora bona; & mala vera. III. Notanda Passio, quæ nos magis infestat, & illa primò impugnanda. IV. Adhibendi sunt Mortificandarũ Passionum Actus interni & externi. V. Implorandum in Orationibus nostris DEI auxilium. Sed qui vult de omnibus passionibus citò victoriam reportare, amorem imprimis studeat moderari & mortificare; quia propter hunc, & aliæ moventur Passiones.

Quomodo autem moderari Passiones debeamus v. p. 292. *& seq:*

Etiã quomodo Appetitus rationalis, seu voluntas propria sit mortificanda v. p. 298. *& seq:*

Quomodo amor proprius v. p. 302. *& seq:*

Item Judicium proprium v. p. 306. *& seq:*

Tertium Exercitium vitæ spiritualis est Virtus, quæ sic definitur; *quòd sit habitus bonus, quô rectè vivitur, quô nullus malè utitur:* quia virtutis habitus inclinat semper ad bonum, nunquam ad malum.

Dividitur autem virtus primò in Acquisitam & Infusam. Acquisita dicitur illa, quæ nostris actibus acquiritur. *Infusa est*, quæ à solo DEO infunditur: & tales sunt virtutes Theologicæ, & aliæ virtutes Morales, quæ in instanti justificationis cum gratia sanctificante infunduntur.

Secundo dividitur in Theologicam, Intellectualem, & Moralem. Acquiruntur autem virtutes. *Primò* cognoscendo virtutis necessitatem, propter quod necessaria est frequens de virtutibus lectio, *Secundò* magni æstimando & desiderando virtutem. *Tertiò* proponendo sæpiùs ob oculos mentis virtutes Christi Domini nostri, & sic nos ad eum imitandum excitando. *Quartò* actus tam internos quã externos virtutum exercendo. *Quintò* ferventer à DEO virtutes postulando. *Ultimò* uni virtuti sibi magis necessariæ exercitio operam dando, præcipuè verò Humilitati, secundum monitũ & doctrinã Christi Domini dicẽtis: Discite à me; quia mitis sum

&

& humilis corde *qua de re v. pag: 325. & seq:*

Quomodo autem per unū actum unius virtutis plures virtutes exercere possumus *v. p.* 336.

Theologicæ virtutes sunt tres. Fides, Spes, & Charitas: dicuntur Theologicæ, id est Divinæ, tū quia habènt DEUM pro Objecto; tum quia à solo DEO nobis infunduntur. Fidem S. Paulus sic definit: *Fides est substātia sperandarum rerum, argumentum non apparentium:* ac si diceret: Fides est fundamentū eorum, quæ videnda speramus in cœlo, & persvasio illorum, quæ visa non sunt. Ab aliis definitur sic: *Est Habitus, seu virtus supernaturalis à solo* DEO *infusa, per quam rebus Fidei assentimur, propter auctoritatem* DEI *revelantis:* Cujus *Objectum Materiale* est id, quod à fidelibus creditur. *Formale verò,* Est prima veritas DEI revelātis, *Subjectum* autem Fidei, est Intellectus, in quo residet.

Dividitur autem Fides in *Fidem vivam ac Mortuam. Fides viva est,* quæ gratiæ sanctificanti & Charitati est conjuncta, qualis est in justis. *Fides Mortua est,* quæ est à gratia & Charitate separata.

Actus Fidei est duplex. Interior, qui est credere, seu est internus assensus: nā credere nihil aliud est, quàm cū assensu cogitare. Et *Exterior* qui est ipsa confessio Fidei quæ fit ore, aut aliis signis exterioribus: Actus internus Fidei dividitur per hoc, quod est: *Credere* DEUM, *Credere* DEO, & *Credere in* DEUM; qua de re *S. Augustinus* sic dicit:

dicit: *Credere DEUM*, est credere, quia est: hoc est, quia est unus in essentia & trinus in Personis, quia est Omnipotens, summè Bonus, Misericors, &c *Credere DEO*, est credere illa esse vera, quæ DEUS loquitur *Credere DEUM* est eum simul diligere.

Effectus Fidei, secundum S. Thomam sunt *duo: Timor & Puritas cordis*. Quidam addunt *Contemptum mundi*. Est verò *Timor duplex* Servilis, quo quis timet, nè à DEO puniatur. Et *Filialis*, quo quis timet offensam DEI, & nè ab illo separetur. *Puritas Cordis* Est Cogitationū, affectionū, sermonū operumq; munditia. *Contemptus mundi*. Est Abrenūtiatio omniū visibiliū propter amorē Dei.

Spes est Habitus à DEO infusus, per quem voluntas firmiter tendit in DEUM, ut in bonum arduū futurū consequi possibile, ipsius DEI auxilio. *Seu*: Spes *Est virtus per quam firmiter speramus beatitudinem æternam DEI auxilio, & per bona opera ex gratia DEI facta obtinendam*. Estq; duplex; *Spes viva, & Perfecta*, quam habent justi: Et *Spes mortua*, ac *imperfecta*, quam peccatores habent. *Subjectum*. Est *Voluntas*, in qua residet, in quantū est eminenter irascibilis. *Objectum* verò *Spei Materiale Primarium*, est Beatitudo nostra æterna: seu est DEUS, ut est Beatitudo nostra. *Secundarium*, est omne id, quod potest pertinere ad Beatitudinem æternam. *Formale Objectum Spei*, est Auxiliū DEI, ratione cujus speramus Beatitudinē æternā; speramus quoq; bona opera vitæ æternæ meritoria à nobis facienda. *Act9*

Actus Spei, est sperare Beatitudinem æternam, seu vitam æternam, ex auxilio DEI, & bonis operibus gratia DEI præstitis obtinendam. Debemus vero sperare *Primariò* in Gratia & Misericordia atq; auxilio DEI, ac meritis Christi: *Secundariò*, in bonis operibus nostris gratiâ DEI factis.

Charitas est virtus divinitùs infusa, quâ homo diligit DEUM *propter ipsum & proximum propter* DEUM. Seu. *Est Habitus supernaturalis inclinans voluntatem ad amandum* DEUM *supra omnia propter se amore amicitiæ.* Dicitur *propter* se: hoc est, non propter bonum nostrũ; quia tunc non esset amor amicitiæ, sed concupiscentiæ. Unde *in Spe* est *amor Concupiscentiæ*; *in Charitate* autem est *amor amicitiæ.* Est autem Charitas virtus omnium virtutum excellentissima, & omnium virtutum forma, & Regina, & Mater sine qua nulla virtus tam infusa, quàm Acquisita est perfecta, & meritoria vitæ æternæ. *Subjectum Charitatis* est voluntas, in qua residet, in quantùm est eminenter concupiscibilis. *Objectum* autem *Formale* Charitatis, est Bonitas Divina super omne diligibilis. *Materiale verò*, est illud quod habet bonitatem Divinam: vel essentialiter, ut est DEUS: vel participativè, ut est Proximus: de quo *v. p.* 389.

Actus Charitatis principalis est *Dilectio*, quâ diligimus DEUM propter se ipsum. Debemus autem diligere eum totaliter *Totalitate Objecti*, ita ut totum, quod est in DEO, diligamus: & *Totalitate Subjecti*, ita ut nihil sit in amante, quod non

tendat

tendat in amorem DEI: quem non possumus, nec obligamur *totalitate Modi*, ita ut tantum DEUM diligamus, quantùm est amabilis; & quia est infinitè amabilis ideò infinitè est diligendus, quod nulla creatura præstare potest.

Effectus Charitatis sunt duplices: *alii Interiores*: V. *Gaudium*. *Pax Misericordia*. *Alii Exteriores*: V. *Beneficentia*, *Eleemosyna*, *Correctio fraterna*.

Est autem Gaudiū, Affectio, seu hilaritas quædam animi interior, ex amati desideratiq; boni possessione concepta.

Pax, est quædam unio voluntatis propriæ cum voluntate alterius.

Misericordia, est alienæ miseriæ in corde nostro compassio: *Compassio* verò *dicitur*, quædā tristitia, & dolor animi de malo alterius. Sunt autem *Misericordiæ actus quatuordecim* septem corporales, qui in hoc versu continentur.

Visito, poto cibo, redimo, castigo, condo.

Alii sunt septem spirituales, qui hoc versu comprehenduntur.

Consule, Castiga, solare, remitte, fer, ora.

Ita ut sub primo verbo intelligatur *Consilium & Doctrina*.

Beneficentia, est Actus Charitatis, quo alicui bonum ipso facto, & re ipsa exhibemus.

Eleemosyna, est opus, quod datur indigenti ex compassione propter DEUM.

Correptio, est Actus Adhortationis, quem impendi-

pendimus proximo nostro ad emendationem ejus.

De virtutibus Intellectualibus lege doctrinā p. 419.

Morales virtutes *dicuntur* illæ, quæ perficiũt vim appetitivam (hoc est appetitũ rationalem seu volũtatem, & appetitum sensitivum) ad producendos actus humanos Legi Divinæ & rationi conformes. *Sunt autem quatuor virtutes Morales Cardinales, seu* Principales, sub quibus aliæ virtutes Morales continentur; Videlicet: *Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia. Prudentia,* quidem, quæ residet in intellectu, *Secundum essentiam est intellectualis virtus:* tamen *inter Morales connumeratur*; quia est moderatrix, & directrix aliarum virtutum moralium.

Præcipuè tamen sunt tres virtutes Morales quæ resident in appetitu. *Dicuntur* enim *Morales à More*, quod nomen significat inclinationem ad aliquid: & quia Appetitus nihil est aliud quàm inclinatio: ideò illæ virtutes propriè debent dici Morales, quæ appetitum perficiunt, videlicet, *Justitia*, quæ perficit appetitum rationalem, seu voluntatem. *Fortitudo*, quæ perficit appetitum Irascibilem. *Temperantia*, appetitum concupiscibilē: ad quas tres virtutes tanquam principales, reducuntur omnes aliæ virtutes Morales; vel ut partes integrales: vel ut subjectivæ: vel ut potentiales.

Prudentia definitur sic: *Est recta ratio agibilium,* seu *Est Habitus rectificans intellectũ circa agibilia:* V. ad rectam electionem agibilium secundum

dum Regulas Morum (*sunt autem Regulæ Morũ:* Dictamen rationis, & Lex Divina, atq; humana) *Objectum Prudentiæ* est Omne agibile: seu omne, quod cadit sub electione, & libero arbitrio: agibile enim idem est atq; Eligibile & Arbitrabile.

Et quoniam Prudentia residet in Intellectu Practico, cujus Actus sunt, *Consilium*, *Judicium*, & *Imperium:* ideò isti quoq; sunt tres actus Prudentiæ; inter quos Imperiũ est principalis actus, ad quod tam Consilium, quam Judicium ordinantur. Est autem *Prudentiæ munus proprium*, proposito fine virtutis per synderesim, media ad illum consequendũ per Consilium inquirere, & per Judicium invenire; & per Imperium executioni mandare. Unde dum synderesis, seu Ratio practica hunc finem Temperantiæ proponit, nempe, Temperatè, seu cum mediocritate comedere: tunc Prudentia debet media invenire, & præscribere, quibus ad hanc mediocritatem perveniatur: V. tantùm, tali horâ toties per diem, comedere.

Ut verò notitia habeatur Intellectûs, seu Rationis practicæ *Sciendum est*, quod licet *Intellectus* sit potentia una, tamen propter diversos fines *appellatur* Intellectus *Speculativus* & *Practicus.* Nam Intellectus *speculativus* dicitur qui solam cognitionem veritatis intendit: *Practicus verò*, qui suam cognitionem veritatis ordinat ad opus.

Justitia definitur sic: *Est constans & perpetua voluntas jus suum unicuiq; tribuens. Objectũ* Justitiæ. Est Jus sive *Justum. Subjectum* verò, est

Volun-

Voluntas, in qua residet: & est specialirer ad alterum; cujus actus est ponere æqualitatem secundum rem, ut tantùm reddatur alteri, quantum re ipsa debetur.

Virtutes quæ sub Justitia continentur sunt istæ. *Religio, Pœnitentia, Pietas, Observantia. Gratitudo, Vindicativa, Amicitia, & Liberalitas.*

Religio, quæ etiam *Latria* vocatur; *Est virtus quæ cultum debitum tribuit* DEO, *tanquam primo omnium Principio.* Cujus *Objectum* Est Divinus cultus; ad quem cultum pertinent *Sacrificia, Oblationes, Laudes, Adorationes, Vota, Juramenta, Imagines, Ritus, Ceremoniæ sacræ.*

Actus Religionis sunt: *Devotio, Oratio, Sacrificium, Oblatio, Votum, Juramentum, Adjuratio Divini Nominis, ejusquè per laudē Assumptio.*

Pœnitentia est virtus offerens DEO debitam satisfactionem, & dolorem pro peccatis.

Pietas est virtus, quâ quis exhibet officium, & cultum debitum parentibus, patriæ, & cōsangvineis.

Observantia est virtus, per quam homines, aliqua dignitate antecellentes cultu quodam & honore dignamur. Hac virtute coluntur omnes aliqua dignitate, virtute, Sapientiâ. & sanctitate præcellentes, ut sunt Superiores, Doctores, Magistri, Sancti &c. *Unde sub Observantia continentur* aliæ virtutes V. *Observantia specialis*, seu, *Urbanitas* quâ honoramus Magistros. *Dulia* quâ colimus Sanctos, & DEO consecratos. *Hyperdulia* qua honoramus Sanctos speciali nexu Divinitati conjunctos;

uti est Beatissima Virgo; & Humanitas Christi. *Obedientia* per quam Superiorum DEI personam gerentium jussis obtemperamus. *Obedientia quæ nam sit perfecta; quod genera ipsius: quæ circumstantiæ; quot gradus ejus v. p, 453.*

Gratitudo est virtus, quæ respicit debitum ortum ex beneficio, utq; illi satisfaciat, rependit aliquid benefactori; ut *Gratiarum actionem*, *Obsequium*, *Cultum*, vel aliud beneficium. Sunt autem *quinq; Officia Gratitudinis* 1. Est accepti beneficii æstimatio. 2. Est benigna acceptatio. 3. Est gratiarum actio. 4. Est beneficii grata commemoratio. 5. Est redditio seu repensio, quando vicissim re, vel obsequio redditur beneficium.

Vindicatio est delicti punitio.

Veritas seu *veracitas* est virtus, quæ nos facit dicere verum. *Ad hanc virtutem tria spectant.* 1. Amare veritatẽ in dictis & factis. 2. Cavere nè contra judicium mentis aliquid dicatur. 3. Patefacere judicium mentis, per verba, aut alia signa. Ad veritatem revocatur *Fides* seu *Fidelitas*, quæ servat proximo fidem in promissis.

Amicitia est virtus, quæ facit ut conservatio nostra cum proximis sit grata. Hæc virtus propriè vocatur *Affabilitas*.

Liberalitas est virtus, quæ versatur circa pecunias, ut decet, illas expendendo; ubi sub pecuniis intelliguntur omnes divitiæ externæ: Est autẽ *Liberalitas duplex*. Alia quæ pertinet ad Temperantiam. Alia quæ ad Justitiam *de quo v. p.* 460.

Ad

Ad Liberalitatē reducitur *Magnificentia*, quæ eſt circa magnos ſumptus in ordine ad alterum.

Fortitudo eſt virtus exiſtens in iraſcibili coërcitiva timoris, & audaciæ moderativa inſtantibus periculis. Cujus ſunt duo actus, nempe *Aggredi & Suſtinere*; inter quos principalior eſt Suſtinere. Sub *Fortitudine* continentur *Magnanimitas*, *Magnificentia*, *Patientia & Perſeverantia*.

Magnanimitas eſt virtus inclinans ad opera magna & heroica, in omni genere virtutum: V. ad magnam patientiam, ad magnam & profundā humilitatem &c. *Ad Magnanimitatem* pertinet *Fiducia*, quæ dicit ſpem conſequendi magna. Et *Securitas animi* quæ oritur ex ablatione timoris.

Magnificentia eſt virtus magnorum operum factiva in ordine ad bonum ipſius Magnifici.

Patientia eſt virtus, quæ moderatur triſtitias, ut omnia adverſa, & hujus vitæ mala æquo animo tolerentur: *Ad Patientiam* reducitur *Longanimitas*, per quam ſuſtinemus æquo animo diuturnam dilationem boni deſiderati.

Perſeverantia eſt virtus, quā ſuſtinemus difficultates ex operis continuatione & diuturnitate provenientes. *Ad Perſeverantiam* reducitur *Conſtantia*, per quam adverſus difficultates, vel impedimenta occurrentia, in bono conſtanter perſiſtimus. Differt verò à Perſeverantia: quia hæc non deſiſtit à bono propter diuturnitatem. Conſtantia autem non deſiſtit propter quæcunq; alia impedimenta.

Temperantia est virtus refrænans appetitum sensitivum in Concupiscentiis & delectationibus corporalibus, quæ maximam vim habent deducendi à bono rationis. *Sub Temperantia* continentur *Abstinentia*, *Sobrietas*, *Castitas*, *Pudicitia*, *Continentia*, *Mansvetudo*, *Clementia*, *Modestia*. *Ad quam* reducuntur *Humilitas*, *Philotimia*, *Studiositas*, *Modestia morum*, *Eutrapelia*, *& Modestia cultûs.*

Abstinentia est virtus, quâ moderamur ciborum delectationes, & in usu illorum debitam moderationem servamus.

Sobrietas est virtus, quæ affectum & usum potûs inebriare valentis debitè moderatur.

Castitas est virtus, per quam concupiscentia carnalis castigatur & coërcetur.

Pudicitia propriè est circa illa, de quibus homines maximè verecundantur.

Continentia est Habitus per quem voluntas resistit Passionibus concupiscibilis, & ab eo firmatur & detinetur, ut Passionum impetum non sequatur.

Mansvetudo, quæ *Mititas* etiam dicitur; Est virtus Iræ moderatrix.

Clementia est virtus Moderatrix pœnæ & vindictæ, mitigando externam punitionem, quantùm justitia, & communis boni ratio permittit: quæ virtus propria est Superiorum & Judicum.

Modestia est virtus exteriorum & interiorum hominis actionum moderatrix. Sic dicta à modo, quasi modum statuens, qui in humanis affectionibus & actionibus servari debet. *Humi-*

Humilitas est virtus quâ coërceretur animus, nè se ad altiora feratur: id est nè inordinatè extollatur. *Seu secundum S. Bernardum:* est virtus, quâ quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. *Plura de hac Humilitatis virtute* V. *Quotuplex est Humilitas, & qui gradus ipsius v. p.* 477.

Philotimia est virtus, quæ ponit modum in appetendis honoribus.

Studiositas est virtus, quæ moderatur affectum erga studium; nè homo plura, aut altiora scire velit, quàm oportet, & incitando eum ad sciendum, quæ scire oportet, nè propter laborem à studio retrahatur.

Modestia morum est virtus, quæ externos motus & gestus corporis ex rationis præscripto componit & temperat, servatq; in illis decorum. *Ad hanc* pertinet *Moderatio visus*, quæ dicitur Modestia oculorum. Et *Modestia lingvæ*, quæ cultus silentii vocatur: præterea *Veritas, & Affabilitas*, seu *Amicitia*, prout respiciunt exteriorem hominis conversationem.

Eutrapelia est virtus, quæ in ludicris & jocis servat decorum: *seu*, quæ jocis & ludis modum rationis imponit.

Modestia cultûs est virtus, quæ in corporis cultu, rerumq; externarum apparatu mensuram rationis ac decorum servat. *Ad quam* revocatur *Liberalitas*, quæ ponit modum circa pecunias & sumptus, quatenus hæc deserviant ad externum apparatum, & *Paupertas voluntaria*, quæ est tota-

lis renuntiatio divitiarum; & quæ, prout est virtus, refrænat appetitum à cupiditate & amore pecuniarum, redditq; animum ab illis liberum & expeditum.

Ultimò data est, doctrina *De donis Spiritus Sancti*, qui nihil aliud sunt, quàm Habitus supernaturales perficientes hominem ut promptè sequatur instinctum, & motionem Spiritûs S. *seu*, ut promptè obediat Spiritui S. *quæ distingvuntur à virtutibus*, quia istæ perficiunt hominē, ut imperiū, atq; motionem rationis promptè sequatur. Dona verò Spiritus S. ad hoc sunt homini necessaria ut homo efficaciter moveatur à DEO ad finem supernaturalem consequendum, sed ad vitam æternam obtinendam. Sunt autem dona Spiritus S. septem: *Sapientia, Intellectus, Consilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, & Timor Domini.* De quibus *V. Cap: XIII. quod est ultimum.*

Ad M. D. T. O. M. G. B.V.M. S. L. O. C. H.

INDEX

INDEX
Rerum Memorabiliũ in hac parte prima contentarũ.

A.

Ap-:

Bene-

De

F.

In-

M.

M.

Ad M. D. T. O. M. G. B. V. M. S. L. O. C. H.

ERRATA ſic CORRIGE.

Pag: 8. v. 14. Eccleſia l. Eccleſiæ.
p. 11. v. 5. in gratiarum actione. l. in gratiarũ a-
p. 13. v. 2. 418. l. 381. (ctionem.
p. 31 v. 29. in oontemplatione. l. in contẽplatione.
p. 50. v. 5. Ita. l. Ira.
p. 56. v. 11. opprobia. l. opprobria.
p. 63. v. 27. det induſtriâ. l. de induſtria.
Ibid: 28. prou. l. prout.
p. 64. v. 18. mortficatio. l. mortificatio.
p. 177. v. 5 ſummendo. l. ſumendo. (batur.
p. 181. v. 17. non commitabantur. l. non commina-
p. 182. v. 4 non apperuiſti. l. non aperuiſti.
p. 186. v. 4. mea. l. à me.
p. 192. v. 18. viam. l. vivam.
p. 193. v. 21. Accaſatione. l. occuſatione.
p. 195. v. 1. meſerrimis. l. miſerrimis.
p. 196. v. 30. patentiæ. l. patientiæ.
p. 207. v. 13 affeſtum. l. affectum.
Ibid: v. 22. commiſerationis. l. commiſeratione.
p. 213. v. 29. ante Religioſi ad de ſi.
p. 216. v. 3. afflictionicus. l. afflictionibus.
p. 239. v. 4. Paulos. l. Paulus.
Ibid: v. 6. meditatantes. l. meditantes.
p. 254. v. 18. Os jam. l. o ſi jam.
p. 260 v. 25. immaculata. l. immaculate.
p. 283. v. 17. ſacundum. l. ſecundum.
p. 30 . v. 9. cobſulo. l. conſulo.
Ibid: v. 20. obnegare. l. abnegare.

p. 332.

ERRATA.

p. 302. v. 13. allæquitud: l. alloquitur. (tare.
p. 307. v. 30. opinione putarem. l. opinionem pu-
p. 338. v. 26. amamabile. l. amabile.
p. 339. v. 21. desinit. l. definit.
p. 352. v. 1. sst. l. est.
p. 371. v. 8. homines. l. hominum.
p. 396. v. 29. magi. l. magis.
p. Ibid: v. 30. causas. l. causa.
p. 408. v. 11. veru. l. verò.
p. 412. v. 16. etq; l. estq;.
Ibid: Eccleastico. l. Ecclesiastico.
p. Ibid: v. 29. aleterius l. alterius.
p. 414. v. 1. totalitater. l. totaliter.
p. 419. v. 25. regimem. l. regimen.
p. 421. v. 17. Luna. l. Lana.
p. 428. v. 13. integrates. l. integrantes.
p. 438. v. 9. ia. l. ita.
p. 446. v. 23. figuificatur. l. significatur.
p. 456. ult. rgata. l. grata.
p. 478. v. 12. nimi. l. animi.
p. 493. v. ult. correctionis. l. correctioni.
p. 495. v. 21. vitæ. l. viæ.
p. 501. v. 2. Ratione. l. Rationem.
p. 504. v. 27. uni virtuti. l. unius virtutis.
Ibid: v. 29. humilitati. l. humilitatis.
p. 515. v. 1. coërceretur. l. coercetur.
p. 516. v. 14. sed. l. seu.